Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841162-p0001-2

Nab. 5.
7.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841162-p0002-7

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS TERTIVS

DENVO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

TVBINGAE
SVMTIBVS JO. GEORGII COTTAE.
MDCCLXXV.

KŒN.PR.FR
UNIVERS.
ZVHALIE



PRÆFATIO
EDITORIS.

Locum *de miniſterio*, *eccleſiaſtico* quem ſuperiori tomo ad finem perducere non licuit, abſolutum, & dimidiam fere partem illius, qui eſt *de magiſtratu politico*, volumine proximo finiendi, exhibet *tomus* hic *decimus tertius* operis *Gerhardiani*.

Longo præfamine neque eget, neque illud deſideraturos eſſe arbitramur LECTORES BENEVOLOS, inſtituti noſtri gnaros.

Quod ſemper curavimus, ut operis Gerhardiani editionem a plurimis, præſertim gravioribus, mendis liberam, quantum quidem fieri poteſt, daremus, id in hoc etiam volumine diligenter actum eſſe, qui velint, facile intelligent, & docebit ipſa libri lectio minus impedita.

Adnotationum vel frequentia, vel longitudine protrahere opus ipsum satis amplum nolumus. Earum, quas tomo huic inserere visum est, pleræque sunt breves; quas vero ampliores e. g. de *Schwenkfeldio & familiae anabaptisticae primipilis*, de *regno Christi non ex hoc mundo*, de *donatione Constantini M.* de *haereseos vera notione*, de *immediata majestatis origine a Deo*, de *anabaptistis in magistratus auctoritatem injuriis*, aliasque, quas *conspectus* tomo subjunctus prodit, adspersimus, eas lectoribus non ingratas fore speramus.

Tardius omnino, ac propositum nobis erat, in lucem prodit hoc volumen. Nemini certe molestior, quam nobis ipsis, est illa mora, injecta ab impedimentis variorum laborum, ipsius quoque interdum valetudinis. Citius hunc tomum excipient, qui sequuntur, *decimus quartus* & *decimus quintus*, cum hic quidem dudum sub prelo sudet.

His, quod addamus, nihil habemus, præter id, quod nos nostrasque curas BENEVOLO LECTORI denuo commendemus.

Scripsimus in academia Eberhardino-Carolina,
quæ est Tubingæ,
feriis annunciationis Mariæ A. O. R.
MDCCLXXV.



Loci XXIV.

DE

MINISTERIO ECCLESIASTICO,

CAPVT IV.

DE CAVSA MATERIALI MINISTERII.

§. CLXXVIII.

Duplex ministerii ecclesiastici materia, in qua &

Egimus hactenus de causa ministerii efficiente, consequens est, ut ad *materiam* ejusdem explicandam descendamus. Est autem duplex ministerii materia, videlicet *materia in qua*, sive *subjectum*, & *materia circa quam*, sive *objectum*. Materia *in qua*, sunt *personae ecclesiasticae*, quae ad officium ecclesiasticum ex coetu christiani populi legitime vocantur, & partes sacri illius officii juxta praescriptum verbi divini fideliter administrant, ubi notandum, quod personae ecclesiasticae diverso respectu dici possint materia ex qua, & materia in qua: illud, quia ex personis ecclesiasticis tanquam partibus materialibus hic ordo sive status ecclesiae constituitur; hoc, quia dignitas ecclesiastici ministerii illis tanquam subjectis inhaeret. Materia *circa quam*, sunt *auditores*, hoc est, grex dominicus, pastorum curae & fidei commissus, quibus verbum praedicandum, sacramenta administranda, disciplina ecclesiastica adhibenda, atque ea ratione conversio & salus ipsorum promovenda; verbum enim tum ἀκουστὸν tum ὁρατὸν est mystici illius corporis, ecclesiae puta, anima; disciplina ecclesiastica est ejusdem nervus, utriusque cura, conservatio & propagatio ministro ecclesiae commissa; utriusque legitima administratio ad conversionem & salutem hominum spectat. *circa quam. auditores*

SECTIO I.

DE MATERIA, IN QVA MINISTERII.

Quare Deus tum angelis, sed hominibus

§. CLXXIX. Circa *materiam in qua*, sive *subjectum* ministerii primo omnium expendendae sunt causae, propter quas Deus ordinariam ecclesiastici ministerii administrationem ***non angelis, sed hominibus*** *ministerium commendaverit?*

minibus commendare voluerit. Dicuntur quidem angeli *potentes virtute, facientes verbum Domini ad audiendam vocem sermonum ejus*, Pſ. CIII. 20. *miniſtri, qui faciunt voluntatem ejus*, v. 21. *miniſtrantes atque adſiſtentes ei*, Dan. VII. 10. dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα, *ſpiritus adminiſtratorii*, Hebr. I. 14. nimirum quia Deus ipſorum opera in adnuncianda hominibus voluntate ſua extraordinarie quandoque uſus eſt; (*) interim tamen quod ordinariam eccleſiaſtici muneris adminiſtrationem & conſilii divini de ſalute noſtra revelationem adtinet, ad eam non angelorum ſed hominum opera *ordinarie* Deus utitur, cujus voluntatis ſuæ cauſas habet dubio procul ſapientiſſimas, quarum quædam concernunt Deum ipſum, quædam vero nos homines. Ad *priorem* claſſem pertinent hæ cauſæ: 1) *Divinae φιλανθρωπίας oſtenſio.* Voluit Deus eo ipſo ſuam oſtendere φιλανθρωπίαν, tanto dignatus homines honore, ut per ora ac linguas eorum vocem ſuam audiri cuperet. Deut. XXXIII. 3. Pſal. CXLIV. 3. Prov. VIII. 31. &c. Si quis in legatum regis eligitur, magni honoris & favoris ſignum illud merito æſtimatur; ita quoque manifeſtum divinæ benevolentiæ & φιλανθρωπίας eſt indicium, quod Deus ex hominibus elegit eos, quos in miniſterio eccleſiaſtico pro Chriſto *legatione fungi* voluit. 2 Cor. V. 20. Cum Deus per prophetam ſacerdoti Eli denunciaret remotionem ab officio, inter cetera ſic locutus eſt: 1. Sam. II. 30. *Loquens locutus ſum, ut domus tua & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo usque in ſempiternum; nunc autem dicit Dominus: abſit hoc a me, ſed quicunque honorificaverit me, glorificabo eum;* ex quibus verbis manifeſte colligitur, eſſe honorem ac dignitatem maximi æſtimandam, quod Deus ex genere humano quosdam evehit ad eccleſiaſtici muneris faſtigium. 2) *Potentiae divinae manifeſtatio.* Voluit etiam Deus hac ratione oſtendere ſuam potentiam, dum diabolo & portis inferorum non opponit angelos virtute potentes, ſed miſellos homines, per quos regnum ſatanæ adgreditur, & in multorum cordibus illud deſtruit. Hanc cauſam reddit apoſtolus 2. Cor. IV. 7. ubi poſtquam de ſuo & reliquorum apoſtolorum miniſterio dixiſſet, ſubjungit: *Habemus autem theſaurum illum ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, in vaſculis teſtaceis*, (ubi juxta interpretationem Iſidori Peluſiotæ lib. II. epiſt. 4. per vaſa teſtacea reſpectus habetur *ad mortale & ex terra factum corpus concionatorum, in quo ceu vaſe fictili verbi divini theſauri hominibus exhibentur*, juxta Ambroſii in comm. expoſitionem *ad infirmitatem naturae humanae, quae nihil poteſt, niſi a Deo acceperit virtutem;*) *ut ſublimitas virtutis ſit Dei & non ex nobis, hoc eſt, ad laudem ſuam Deus per haec ſe praedicat, quae infirma ſunt, ut gloria illi detur, non homini, qui ex luto factus eſt*, quæ ſunt verba Ambroſii in illum locum. Sic cum de miniſterio tractans apoſtolus dicturus eſſet, *ad haec quis idoneus?* 2. Cor. II. 16. præmittit v. 14. *Deo autem ſit gratia, qui nos ſemper triumphare facit in Chriſto, & odorem notitiae ſuae manifeſtat per nos in omni loco.* 3) *Diabolicae ſuperbiae confuſio.* Voluit Deus hoc pacto confundere diaboli ſuperbiam, qui ægerrime fert per abjecta & contemta organa, videlicet per homines, regnum ſuum oppugnari, & eccleſiam Deo colligi, quemadmodum Goliathus Davidem ſibi opponi dolebat, eumque faſtioſe deſpiciebat, 1. Sam. XVII. 43. quo referri poteſt illud Davidis: Pſal. VIII. 3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti tibi robur propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.*

Cauſae reſpectu Dei.

§. CLXXX. Ad *poſteriorem* claſſem referendæ ſunt ſequentes cauſæ: 1) *Infirmitatis humanae ratio.* Voluit Deus hac ratione condeſcendere & conſulere noſtræ infirmitati, dum per homines interpretes & internuncios ſuos humana voce nos

Cauſae reſpectu noſtri.

(*) Muſculus in locis com. c. de min. verbi f. 193. *Tria principalia miniſtrorum verbi ſunt genera: 1) Ante legem Deus uſus eſt miniſterio angelorum, quorum adparitionibus patriarchas de gratia & voluntate ſua certos reddidit; 2) tempore legis miniſtros verbi miſit ad populum Moſen & prophetas; 3) tempore nov. teſt. miſit unigenitum Filium ſuum Chriſtum & poſt hunc apoſtolos doctores.* GERHARD.

nos adloqui & ad se adlicere maluit, quam majestatem suam exserendo, vel angelicam claritatem oculis nostris ingerendo nos a se repellere. Cum Deus in monte Sinai legem suam promulgaret, & majestatem suam conspiciendam præberet; Exod. XIX. 16. Deut. V. 23. populus graviter extimescit: *Ecce* (inquiunt) *ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem & magnitudinem suam, & vocem ejus audivimus de medio ignis, & probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. Cur ergo moriemur, quia devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, & possit vivere?* Idem nobis contingeret, si Deus immediate vel per angelos in sua majestate & claritate nobiscum loqueretur. Quantos enim terrores hominibus incutiat angelicæ claritatis intuitus, patet ex omnibus angelorum adparitionibus, cumprimis vero ex Dan. X. 17. ubi post angeli conspectum in Daniele *nihil manet virium, nec relictus est spiritus in eo.* Quomodo igitur angelorum nobiscum loquentium claritatem oculi nostri nondum glorificati perferre possent? 2) *Novarum revelationum exclusio.* Voluit Deus ostendere, quod omnibus pateat accessus ad doctrinam cœlestem, quodque non sint quærendæ peculiares revelationes extra & præter verbum, nec exspectanda angelorum e cœlis ad nos descendentium prædicatio; sed quod contenti esse debeamus verbo per prophetas & apostolos revelato, ac per successores ipsorum nobis prædicato, quod tam certum & immotum est, ut nec angelo e cœlo aliud prædicanti credi debeat. Deut. XXX. 11. Rom. X. 6. *Mandatum quod ego præcipio tibi, non est mirabile a te, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nobis valet ad cœlum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus & opere compleamus? Neque trans mare positum est, ut dicas: Quis nobis transfretabit mare, & illud ad nos usque deferet, ut possimus audire & facere quod præceptum est?* Gal. I. 8. *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam, quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* v. 9. *Sicut ante diximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* 3) *Obedientiæ probatio.* Voluit Deus nostram probare obedientiam, dum homines infirmitate carnis adhuc circumdatos tanquam legatos suos audiendos & honorandos nobis sistit, non angelos natura sublimiores & eminentiores nobis. Luc. X 16. inquit Christus: *Qui vos audit*, (non angelos, sed) *me audit, & qui vos spernit*, (non angelos, sed) *me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Gal IV. 14. *Tentationem in carne mea non sprevistis nec respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* v. 15. *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & mihi dedissetis.* 1. Thess IV. 8. *Qui* (hæc) *spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nos.* 4) Συμπαθείας *excitatio.* Denique voluit Deus in ecclesia alere mutuam συμπάθειαν, dum præficit illi pastores non angelos, spiritus illos purissimos ab omni peccati labe immunes, sed homines infirmitatibus carnis adhuc nobiscum obnoxios, imo quorum quidam gravissimis peccatis sese prius contaminarunt, ut ex Pauli persecutoris & Petri abnegatoris exemplo conspicuum. Illi igitur humanæ fragilitatis memores eos, *qui lapsu aliquo præoccupantur, instruunt*, καταρτίζουσιν, tanquam membra luxata molliter reponunt *in spiritu lenitatis* Gal VI. 1. *ac scientes timorem Domini hominibus suadent.* 2 Cor. V. 11. in Græco est: ἀνθρώπους πείθομεν, quod Lutherus reddidit: *Wir fahren schön mit den Leuten*, & in glossis marginalibus sic exposuit: *Wir tyrannisiren noch treiben die Leute nicht mit bannen, sondern lehren sie seuberlich, dass wir niemand aufsätzig machen.* Cum enim proprio exemplo humanæ fragilitatis & infirmitatis admoneantur, ideo majori lenitate & mansuetudine erga infirmos in fide & lapsu aliquo præoccupatos utuntur. Hanc rationem reddit Chrysostomus in orat. de Elia, ub. quærit:

rit: *cur nec angelus, nec archangelus ἐπιτρέπθη ἱερατεύειν, ad sacerdotium sit electus? & respondet, quia Natura sua cum sint a peccato immunes, peccata populi repentinis fulminibus fuissent ulturi, habitam igitur esse rationem infirmitatis humanae, & sacerdotium hominibus fuisse commissum.*

Quales personae ex hominibus ad ministerium eligendae?

§. CLXXXI. Posquam expositum fuit hactenus, quare Deus non angelorum, sed hominum opera in ministerio ecclesiastico ordinarie uti velit; explicandum porro restat, *quales personae ex hominibus ad ministerium eligendae?* Diximus hac de re superius in cap. de examine ordinandorum, quod in illis requiratur *confessionis sinceritas, docendi dexteritas, & vitae ac morum integritas*, ubi etiam exposuimus causas, quare hæc singula in ecclesiæ ministro requirantur. Breviter dicendo, quod personæ ad ministerium eligendæ debeant esse *fidei rectae, vitae probatae & docendi donis instructae.* Apostolus Paulus præscribens Timotheo ac Tito formam ac normam, juxta quam examinandi & eligendi sint ecclesiæ ministri, 1. Tim. III. Tit. I. revocat omnia ad duo generalia capita. Requirit enim in episcopo virtutes duplices: quædam sunt ipsi communes cum aliis vere piis; quædam vero sunt ipsi propriæ ac peculiares. Virtutes communes exprimuntur primo generalibus vocabulis, quod debeat esse ἀνεπίλημπτος καὶ ἀνέγκλητος, secundo speciali quarumdam enumeratione, tum per θέσιν, quod debeat esse μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, νηφάλιος, σώφρων, κόσμιος, φιλόξενος, ἐπιεικὴς, τῶ ἰδίω οἴκω καλῶς προϊσάμενος, τέκνα ἔχων ἐν ὑποταγῆ μετὰ πάσης σεμνότητος, ut est in epistola ad Timotheum; item φιλάγαθος, δίκαιος, ὅσιος, ἐγκρατὴς, quod additur in epistola ad Titum: tum per ἄρσιν, quod debeat esse μὴ πάροινος, μὴ πλήκτης, μὴ αἰσχροκερδὴς, ἄμαχος, ἀφιλάργυρος, ut est in epistola ad Timotheum; item μὴ αὐθάδης, μὴ ὀργίλος, quod additur in epistola ad Titum. Propriæ & peculiares virtutes sunt, quod debeat esse διδακτικὸς, 1. Tim. III. 2. δυνατὸς καὶ παρακαλεῖν ἐν τῆ διδασκαλία τῆ ὑγιαινούση καὶ τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ut exponitur Tit. I. 9. ac μὴ νεόφυτος 1. Tim. III. 6. In diaconis ibidem requiritur, ut sint σεμνοὶ, μὴ δίλογοι, μὴ οἴνῳ προσέχοντες, μὴ αἰσχροκερδεῖς, ἔχοντες τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες, τέκνων καλῶς προϊσάμενοι καὶ τῶν ἰδίων οἴκων, ubi notandum, quod in epistola ad Titum hæc norma subjiciatur verbis illis παραγγελτικοῖς, *hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi, si quis est sine crimine &c.* nimirum ut ostendatur, juxta illam normam examinandos & eligendos esse presbyteros, eos scilicet, qui virtutibus ibidem enumeratis sunt instructi. In epistola ad Timotheum normæ illius descriptio simpliciter proponitur, δεῖ ἓν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίλημπτον εἶναι &c. ut ostendatur non sufficere, si quis talem se gerat, quando ad ministerium eligitur, & in principio sui ministerii, sed requiri insuper, ut quamdiu episcopi sive presbyteri nomen & officium gerit, tamdiu ad hanc normam sese conformare modis omnibus studeat.

Virtutes communes in ecclesiae ministro.

§. CLXXXII. Facit autem apostolus communium illarum virtutum mentionem ob hanc causam, quia vitæ integritas ac morum honestas cumprimis & præcipue ab episcopo requiritur, videlicet non propter istas duntaxat causas generales, quæ eam a reliquis christianis exigunt, sed etiam peculiariter hoc nomine, ut sint *exemplaria gregis*, 1. Pet. V. 3. ut in omnibus ac per omnia præbeant *se typum bonorum operum*, 2. Thess. III. 9. 1. Tim. IV. 12. Tit. II. 7. neve ob vitæ improbitatem ministerium suum calumniis hostium exponant, fructificationi verbi impedimentum ac remoram objiciant, sicque faciant, ut doctrina & nomen Domini blasphemetur. Quando vero in enumeratione communium illarum virtutum requiritur ab episcopo, ut sit ἀνεπίλημπτος καὶ ἀνέγκλητος, nequa-

nequaquam id accipiendum eo sensu, quasi omnibus omnino nævis & infirmitatibus humanis carere possit episcopus, sed quod gravioribus criminibus non debeat esse obnoxius. Augustinus tract. XLI. in Johan. *Non dicit apostolus: si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur & nullus ordinaretur, sed ait, sine crimine est, sicuti est homicidium, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium & cetera hujusmodi. Crimen enim est grave peccatum accusatione & damnatione dignissimum.* Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. πᾶσαν εἶπεν ἀρετὴν ἀνεπίληπτον αὐτόν. *Apostolus hoc unico verbo irreprehensibilem omne genus virtutis expressit. Itaque qui sibi vel levis culpae conscius est, male profecto facit eam rem adpetens, qua indignum se per opera fecit, non enim decet hujusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret, debet hujusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum & in ejus vitam velut in exemplar aliquod excellens intuentur.* Gregorius lib. XXIII. expositionis in Jobum cap. 12. *Hi, qui adhuc vitiorum bello subjacent, nequaquam per praedicationis usum praeesse magisterio ceterorum debent.* Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα εἶναι in ipso requiritur, non quasi absolute omnibus ecclesiæ ministris conjugium necessarium sit, nec quasi a ministerio arceantur, qui defuncta priore conjuge, aliam sibi legitime sociarunt; sed castitatem & ἐγκράτειαν in episcopo his verbis apostolus requirit, ne scilicet sit πολύγαμος, plurium uxorum κατὰ ταὐτὸ, uno eodemque tempore simul, maritus, prohibet ergo ad ministerium eligi eos, qui contra sextum præceptum peccando non sunt unius uxoris mariti, quod variis modis contingere potest, utpote si vivant in scortatione, in adulterio, si plures simul habeant uxores, si dimissa vel repudiata uxore legitima extra adulterii causam ducant aliam, si ab alio repudiatam sibi eligant &c. *ac obturat simul ora haereticis, qui nuptias criminantur, ostendens, quod hoc negotium non sit impurum, sed adeo honorabile, ut cum eo possit quis etiam sacrum episcopatus thronum adscendere,* ut commentatur Chrysostomus Tit. I. qua de re, ut & de reliquis virtutibus specialibus infra suo loco pluribus dicetur.

§. CLXXXIII. Illud vero hoc loco explicandum, *quare eum, qui in episcopum eligendus est, apostolus nolit esse* νεόφυτον, 1. Tim. III. 6. hoc est, talem, qui sit nuper implantatus, qui a falsa religione non ita pridem ad veram, ab ethnicismo vel judaismo ad christianismum transiit. Rationem adsignat ipse, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου, *ne per superbiam elatus* ac typho superbiæ inflatus *in judicium diaboli incidat*, hoc est, ne propter superbiam eodem modo puniatur a Deo, quo diabolus punitus est, æterno scilicet exitio; vel, si nomen διαβόλου *adpellative* accipitur, ne in judicium temerarium calumniatoris incurrat. Neophyti enim solent esse audaculi ac fastuosi, unde per imprudentiam & intempestivum zelum quandoque ea dicunt ac faciunt, quæ adversariorum calumniis sunt obnoxia. c. Prohibentur. dist. 48. *Prohibentur neophyti in episcopos ordinari, ut qui heri erat catechumenus, hodie non fiat episcopus, qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in ecclesia, qui vespere erat in circo, hodie non ministret altario &c. Causa autem hujus prohibitionis est, ne elatus in superbiam, tanquam religio christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque sacerdos nescit humilitatem & modos personarum, vel sese contemnere, non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus erogavit. In arrogantiam, quæ est ruina diaboli, incidunt, qui in puncto horae necdum discipuli sunt magistri.* Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. p. 1511. ὁ τὸν νεώτερον ἐνταῦθα λέγει, ἀλλὰ τὸν νεοκατήχητον, *eum, qui noviter esset institutus, veluti novella quaedam plantatio. Ego enim, inquit, plantavi, Apollo rigavit &c.* ἐπειδὴ ἐξ ἑλλήνων προσῆσαν τότε καὶ ἐβαπτίζοντο, μὴ εὐθέως, φησὶ, νεώτερον

Cur νεόφυτος non sit eligendus?

τερον εἰς τὸν τῆς ἀρχῆς ὄγκον ἄγετε, τετέχνευται νεοκατήχητον, εἰ γὰρ πρὶν ἢ γένεσθαι μαθητὴς, διδάσκαλος γένοιτο ταχέως, καὶ εἰς ἀπόνοιαν ἔρχεται, εἰ πρὶν ἢ μαθεῖν ἄρχεσθαι τῶν ἀρχόντων γένοιτο, φυσᾶται. Ambrosius in comment. h. l. *Rudis in fide solet extolli superbia, maxime si accipiat ordinem. Novitate enim & potestate inflatur arbitrans se prae caeteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis in se collatum honorem, putat non magis ad suum, sed ad aliorum profectum se esse vocatum, quasi beneficium religioni det magis, quam accipiat ab ea, per quam rem elatus incurrit laqueum diaboli. Inventa enim occasione superbiae illius satanas praecipitat eum.* Concilium Nicæn. can. II. *Quoniam multa sunt sive per necessitatem, sive ex quacunque causa contra regulam gesta, ita ut homines ex vita gentilium nuper adhuc catechizati vel instructi statim ad spirituale baptisma veniissent, & continuo cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum vel presbyterium provecti sunt, recte igitur visum est de cetero nihil tale fieri, nam & tempore opus est, ut sit catechumenus, & post baptisma multa probatione indiget.* Gregorius lib. VII. epist. III. id declarat pulchra similitudine: *Scimus*, (inquit) *quod aedificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi a novitatis suae humore siccentur, ne si ante pondera, quam solidentur, accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant.*

Quaeritur 1.) An ministerium ad certam familiam sit adligatum?

§. CLXXXIV. Quæ de ministerii ecclesiastici *subjecto* dicenda restant, quinque quæstionibus expediemus. Quæritur 1.) *An ministerium ecclesiasticum ad certam aliquam familiam sit adligatum?* Resp. in vet. test. peculiari mandato & constitutione divina sacerdotium ad tribum Levi fuit adligatum ac pontificatus fuit hæreditarius in familia Aaronis, Num. III. 10. *Aaron & filios ejus constitues super cultum sacerdotii, externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Quia enim sacerdotes levitici, docente epistola ad Hebræos, principaliter adumbrarunt Christum, ideo hoc ipso significatum fuit, officium Christi mediatoris ac sacerdotis cum nullo homine communicari. Sed in nov. test. ministerium non amplius est adligatum ad certam aliquam tribum vel familiam, sed ecclesia habet liberam facultatem vocandi ad ministerium, quoscunque velit, modo in doctrina & vita tales sint, ut congruant formæ 1. Tim. III. & Tit. I. præscriptæ. 1.) Cum enim ecclesia non amplius angustis Judææ limitibus sit inclusa, sed in totum orbem propagata; ideo etiam ministerium non amplius debuit esse adligatum certæ alicui familiæ. 2.) Præterea in nov. test. sublati sunt typi ac figuræ, jam vero hæreditaria illa dignitas sacerdotalis in familia Levi in vet. test. fuit typica. 3.) Quid quod etiam in vet. test. quando Levitæ non faciebant suum officium, Deus ex aliis tribubus excitabat prophetas, qui ipsos in doctrina vel vita aberrantes corrigerent, & in ordinem redigerent. Hieronymus in Esaiæ LXVI. monet, *Deum ideo per prophetam ibidem dixisse, adsumam ex eis sacerdotes & Levitas, quia in nov. test. de quo ibi agitur, non erant sacerdotes nascituri ex una aliqua familia, sed adsumendi ex omnibus gentibus.* Bellarminus lib. de clericis c. 6. itidem aliquot rationibus probat, *non decuisse christianos sacerdotes carnali successione propagari*, sed quid in illis jure desiderari possit, expositum fuit superius in cap. de vocatione sect. IV. §. XCIX.

2) An requiratur certus annorum numerus in vocandis?

§. CLXXXV. Quæritur II.) *An certus ac determinatus annorum vitae numerus requiratur in iis, qui ad ministerium eligendi sunt?* Ex Num. IV. 3. constat, *anno aetatis trigesimo* levitici generis sacerdotes ad publica ministeria demum fuisse admissos, postquam per quinquennium de illis rite obeundis fuissent prius informati, ut colligitur ex Num. VIII. 24. qui administrabant usque *ad annum quinquagesimum.* Christus etiam in nov. test. cum baptismum in Jordane suscipiens per vocem Patris cœlestis & Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem ministerio inaugu-

rare-

retur, *incipiebat esse fere annorum triginta.* Luc. III. 23. Eadem fuit ætas Johannis baptistæ, ut colligitur ex historia evangelica, siquidem semestre natus erat ante Christum, qui mox postea cum tertio mense ministerii Johannis baptizatus esset, fere absolvit annum trigesimum. Ex quo fundamento profluxit constitutio c. Cum in cunctis, $\overline{x}$ de elect. & elect. potest. ex concil. Lateranensi: *Cum in cunctis sacris ordinibus & ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum & literarum scientia inquirenda, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus in se ipso debet ostendere, qualiter in domo Dei oporteat conversari. Ea propter, ne quod de quibusdam pro necessitate temporis est factum, trahatur a posteris in exemplum, praesenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam tricesimum aetatis annum exegerit &c.* c. Si quis. dist. 78. ex Bonifacio: *Si quis trigesimum aetatis suae annum non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus.* c. Presbyter ex concilio Neocaesariensi dist. eadem: *Presbyter ante triginta annorum aetatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitae, sed observetur usque ad praefinitum tempus. Dominus enim trigesimo anno baptizatus est, & tunc praedicavit. Hoc regulare est, unde & Christus & Johannes baptista & Ezechiel & nonnulli prophetarum non leguntur ante hoc tempus prophetasse vel praedicasse.* In auth. presbyterum. C. de episcop. & cleric. talis exstat imperatoris constitutio: *Presbyterum minorem 35. annis fieri non permittimus, sed neque diaconum vel subdiaconum minorem 25. annis, nec lectorem minorem annis 18. item episcopum minorem annis 35. ordinari prohibemus.* Postulari tamen poterit episcopus, qui 27. ætatis annum adtigit, ex constitutione Joh. XXII. c. unic. de postulatione in extravag. commun. Nostra haec est sententia, quod de ætate eligendorum ad ministerium non possit generalis quædam regula tradi, sed quod ἰκανότης hic sit respicienda, quæ in quibusdam citius, in quibusdam tardius animadvertitur. 1.) Statutum de anno trigesimo prius exspectando, antequam sacris ministeriis quis adhibeatur, fuit leviticum, ideoque nos in novo testamento haudquaquam obligat. 2.) Christus etiam suo exemplo noluit certam regulam praescribere, & certum annorum numerum in eligendis ad ministerium determinare. 3.) Nec apostolus in forma, juxta quam eligendi sunt ministri, ullam certæ ætatis mentionem facit, cum tamen de vidua ad certas quasdam operas ecclesiæ præstandas eligenda & sumtibus ecclesiæ alenda dicat: 1. Tim. V. 9. *Vidua eligatur non minor sexaginta annis.* 4.) Sed de Timotheo episcopo dicit: 1. Tim. IV. 12. *nemo adolescentiam tuam contemnat*, quæ verba expendens Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. sic scribit: *Neophytum excludens non significare voluit aetatem adolescentiae, &c. nam profecto si adolescentiam signare voluisset, nihil dicere prohibebat, non adolescentem. Ne ipse quidem, cum ad Timotheum scriberet, aetatem in episcopo summopere inquirendam monuit, cum dicit: Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Ambrosius in comm. 1. Tim. IV. *Timotheus, quantum ad aetatem pertinet, juvenis erat, quantum ad mores & conversationem, senior & gravis, quem ideo sic monet, ut profectus ejus per omnia exemplum esset bonorum operum, ut in adolescente mirabilis videretur, & gravis disciplina, ut actus ejus excusarent aetatem, & non quasi juvenis, sed quasi senior haberetur, & erubescerent majores natu, nisi se exhibuissent juxta formam hujus conversatione & moribus graves, juvenes autem coaevum suum haberent magistrum.* Huc referendum etiam divinum oraculum Jeremiæ prophetæ datum: Jerem. I. 7. *Ne dicas, puer sum, ad omnia, ad quae mittam te, ibis, & universa, quae praecipiam tibi, loqueris.* Quod enim ætati juvenili deest, senili morum gravitate compensatur in illis, qui mente prius canescunt quam mento. Bernhardus in epist. ad Theobaldum: *Multos videmus juniorum super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora praevenire meritis, & quod deest aetati, virtutibus compensare.* c. Presbyter dist. 78. *Regulare est, quod*

quod presbyter ante 30. annorum aetatem non ordinetur; verum quia Jeremias & Daniel ante juvenilem aetatem spiritum prophetiae accepisse legunter, David quoque & Salomon in adolescentia uncti inveniuntur, & Johannes evangelista cum adhuc esset adolescens a Domino in apostolum electus, & cum aliis ad praedicandum missus invenitur, Paulus quoque apostolus in adolescentia a Domino electus, & ad praedicandum missus asseritur, ecclesia similiter necessitate exigente nonnullos ante 30. annos ordinare consuevit. (*) Neque tamen probari nobis potest, quod, referente Erasmo, in papatu sæpius eligantur ad beneficia ecclesiastica etiam *curata* (ut loquuntur) hoc est, quæ curam animarum conjunctam habent, qui ætate adhuc sunt immatura.

3) *An etiam fœminæ ad ministerium ecclesiasticum adhibendæ?*

§. CLXXXVI. Quæritur III.) *An etiam fœminae ad ecclesiastica officia adhibendae?* De *Pepuzianis* refert Augustinus in lib. de hæresib. ad Quodvultdeum c. 27. quod *tantum dederint mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur.* Dicebant enim, *Quintillae & Priscillae in civitate, deserta Pepuza Christum specie fœminae revelatum.* Idem de Pepuzianis & Collyridianis Epiphanius hæres. 19. & 79. refert. Sed apostolus Paulus sexum fœmineum a publico in ecclesia docendi munere disertis verbis removet: 1 Cor. XIV. 34. *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* v. 35. *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* 1. Tim. II. 12. *Docere mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio.* v. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Eva.* v. 13. *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta fuit in praevaricatione.* (**) Extraordinarie quidem aliquæ fœminæ in vet. & nov. test. dono prophetiæ fuere instructæ, ac nuncium resurrectionis mandato Christi fœminæ ad apostolos retulerunt, Matth. XXVIII. 10. Joh. XX. 17. quin & Priscillam apostolus vocat *suam in Domino adjutricem*; Rom. XVI. 3. sed ex eo inferri nequit, quod *ordinarium* in ecclesia publice docendi munus extra necessitatis casum ipsis sit committendum. Rom. XVI. 1. Phœbe vocatur *ecclesiae Cenchreënsis διάκονος* sive *ministra*, per quam Paulus epistolam suam ad Romanos e Corintho misit, id vero nequaquam accipiendum de publico docendi in ecclesia munere, sed de cura ægrotorum, pauperum & peregrinorum &c. (***) Privatim tamen familiam sive domesticam ecclesiam instituere & possunt & debent piæ fœminæ. Distinguendum igitur 1.) inter munera ecclesiastica in *genere*, & officium docendi in *specie*: 2.) inter institutionem *publicam* sive ecclesiasticam, & *privatam* sive domesticam: 3.) inter *ordinariam* regulam & casum necessitatis *extraordinarium*.

§. CLXXXVII. Quæritur IV.) *An vitio corporis adfectis ministerium*

4) *An vitio corporis adfectis ministerium*

(*) Ambrosius de Acholio: *Vere senectus illa venerabilis est, quae non canis sed meritis albescit. Ea est enim reverenda canities, quae est canities animae in canis cogitationibus & operibus adfulgens. Quae est enim vere aetas senectutis, nisi vita immaculata, quae non diebus aut mensibus, sed seculis prolongatur, cujus sive fine est diuturnitas, sive debilitate longaevitas?* Gerhardvs.

(**) Rationes sunt: 1.) quia contra ordinem naturæ est & legis Gen III. 16. ut in conspectu virorum fœminæ eis subditæ loquantur, quod observavit Ambrosius. 2.) Quia est præter earum verecundiam & humilitatem. 3.) Quia vir melioris est judicii discretionis & discursus, quam fœmina. *Muliebre genus lubricum, erroneum atque intellectu humili praeditum*, ait Epiphanius hæres. 79. 4.) *Iure tacere jubetur foemina*, ait Anshelmus, *quae cum loqueretur, viro suo suasit peccatum.* 5.) Quia frenum injiciendum est loquacitati, *quae in hoc sexu fere nimia est.* Chrysostomus hom. IX. 1. Tim. Gerhardvs.

(***) 1 Tim. III. 11. mentio fit *diaconissarum*. Hoc textu abutebantur olim Cataphryges seu Pepuziani, ac mulieribus sacerdotium concedebant, quas *diaconissas* adpellabant, referente Augustino de hæres. c. 27. Epiphanio hæres. 79. ut enim viri ordinabant diaconos, ita fœminæ diaconissas. Sed Paulus ibi non agit de diaconissis ratione ministerii ecclesiastici sic dictis, sed de Diaconorum uxoribus. Gerhardvs.

fectis committendum sit ministerium.

rium sit committendum? Resp. Levit. XXI. 17. exstat disserta prohibitio: *Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere ad Aaron, homo de semine tuo per familias suas qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,* v. 18. *nec accedet quisquam talis ad ministerium ejus, si cœcus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi naso,* v. 19. *Si fracto pede, si manu,* v. 20. *Si gibbosus, si tenuis, si pelliculam habens in oculo, si vel ficta vel humida scabie plerumque infestetur, vel hernioso.* Sed præceptum hoc fuit ceremoniale sive levitico summam unici sacerdotis in nov. test. Christi Jesu perfectionem, & ab omni peccati labe immunitatem denotans, Hebr. VII. 1. ideo in nov. test. iste rigor cessavit. Theodoretus q. 30. in Levit. *Per adfectiones illas non sponte susceptas prohiberi agit voluntarias passiones.* Gregorius etiam lib. I. pastor. c. 11. ista hæc omnia allegorice ad animam transfert. *Cœcus est,* (inquit) *qui supernae lucem contemplationis ignorat, qui praesentis vitae tenebris pressus, dum lucem venturam nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Claudus est, qui quidem quod peragere debeat, adspicit, sed per infirmitatem mentis vitae viam perfectae non valet tenere, quam videt, quia videlicet dum quis ad virtutis statum fluxa consuetudine non erigitur, quo desiderium ejus nititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est, naso quippe odores fœtoresque discernimus, recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Nasus grandis & tortus est discretionis subtilitas immoderata, quae dum plusquam decet, excreverit, actionis suae rectitudinem ipsa confundit. Fracto pede vel manu est, qui viam Domini pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exsors vacat, quatenus haec non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnibus alienus existat. Gibbosus est, quem terrenae solicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat, sed solis his, quae in infimis calcantur, intendit &c. Lippus est, cujus sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Albuginem habet in oculo, qui veritatis lucem videre non finitur, qui arrogantia sapientiae seu justitiae excæcatur. Jugem scabiem habet, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. Impetiginem habet in corpore, quisquis avaritia vastatur in mente, quae si in parvis non compescitur, nimium sine mensura dilatatur. Ponderosus est, qui totis cogitationibus ad lasciviam defluens pondus turpitudinis gestat in corde, & quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non avellitur mente.* Hæc omnia Gregorius, qui singulorum membrorum explicationem ex scripturis ibidem probare conatur. Quamvis vero ecclesia nov. test. non sit præcise ad legem illam leviticam adligata, tamen εὐσχημοσύνης ergo, quantum fieri potest, tales ministri sunt eligendi, qui ob defectum aliquem corporis non sint aliis contemui, quia etiam propter defectus quosdam insigniores quidam omnino a ministerio excluduntur. In jure canonico de hac quæstione exstant sequentes canones. c. Communiter; dist. 33. *Communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terra arrepti a daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti sine hujusmodi passionibus in terra probantur elisi &c.* c. Clerici; dist. eadem ex Gelasio: *Clerici, qui in adolescentia a daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum adscendere non possunt.* c. Pœnitentes; dist. 55. ex syn. Rom. *Aliqua membrorum damna perpessi ad sacros ordines adspirare non audeant. Corpore autem vitiati intelliguntur non casu sed propria voluntate abscissi.* c. Si quis abscideriti; dist. eadem ex can. ap. *Si quis semetipsum abscideriti, hoc est, si quis sibi amputaverit virilia, non fiat clericus, quia sui est homicida & Dei conditioni inimicus.* c. Priscis; dist. eadem ex Gelas. *Ad clericale munus non accedat, qui est vel ab adolescentia sordi-*

datus vel corpore vitiatus. c. Qui partem; dist. eadem ex Innocentio: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigerit, dum operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percutit, hos canones praecipiunt & clericos fieri, & si in clero reperti fuerint, non abjici. In illis enim voluntas est vindicanda, quae sibi causa fuit ferrum injicere, in istis autem casus veniam meruit. Similiter vero intelligendum est de his, qui per languorem a medicis secantur, aut a barbaris absciduntur, aut a dominis castrantur.* Idem habetur c. Si quis a medicis. c. Eunuchus. c. Si quis pro aegritudine. c. Si quis in infirmitate. c. Lator. dist. eadem. Sed de superveniente corporis vitio post suscepram scilicet ordinationem aliter statuunt. c. Praecepta; dist. eadem: *Praecepta canonica, quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles corpore, ita si quis in eo fuerit constitutus, ac si tunc fuerit sauciatus, amittere non potest, quod tempore suae sinceritatis accepit. Hoc autem* (subjungit Gratianus) *non de omnibus membris intelligendum est, qui enim oculum casu amiserit, licet desit voluntas, tamen sacerdotium adipisci non potest*, quod probat ex constitutione Gelasii. Sed ad severitatem horum canonum non sumus simpliciter adligati, praestat enim ministrum carere oculo alterutro, quam ecclesiam idoneo ministro.

§. CLXXXVIII Quaeritur V) (*) *An invitis deferendum sit ministerium ecclesiasticum?* Sozomenus lib. VI. histor. ecclesiast. cap. 30. ac Socrates lib. IV. histor. ecclesiast. cap. 18. de *Ammonio monacho* referunt, quod cum ad episcopatum gerendum impelleretur, clam aufugerit, *dextramque sibi auriculam praeciderit*, ut corporis deformitas impedimento esset, quo minus ad id munus deligeretur. Postea cum Evagrius ad episcopatum a Theophilo, episcopo Alexandrino, delectus *ex occulto itidem aufugeret*, nullo corporis membro amputato, Ammonioque forte fortuna occurreret, & facete illum propterea perstringeret, quod auriculam praecidendo facinus fecisset, neque coram Deo reum ipse peregisset: Ammonius illi respondens: *At tu, inquit, non putas te poenas daturum, quod lingua propter nimium tui ipsius amorem excisa, gratia quae donata est tibi, minime usus es.* (**) Similia recusationis exempla in historia

5) *An invitis deferendum sit ministerium?*

(*) *An spurii ad ministerium promovendi?* Deut. XXIII. 2. *Non ingrediatur in ecclesiam Mamzer.* Sap. III. 16. *Filii adulterae non proficient.* cap. XVII. caus. 1. q. 7. Tali conjugio (vi raptarum) generati ecclesiasticis ordinibus non adplicentur, nisi forte eos aut maxima ecclesiae utilitas vel necessitas postulet, vel evidens meritorum praerogativa commendet. Decret. lib. I. tit. 17. c. 1 & 2. *Ut filii presbyterorum & caeteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur.* Paulus neque ad Timotheum, neque ad Titum spurios excludit ab episcopatu vel diaconatu, nisi huc referre velimus illud, quod in genere dicit: *Oportet illum habere bonum testimonium ab extraneis.* In offi. decuriones fieri possunt spurii, si necessitas id postulaverit. Si tamen alius competitor aeque dignus ac legitime natus adfuerit, is spurio praeferendus. Chrysostomus hom. IV. op. imp. in Matth. non vult, ut hujusmodi natales liberis fraudi sint. Et utitur hoc argumento: *Si fur, homicida, vel adulter egerit poenitentiam, prior vita illi fraudi non erit, multo minus patris peccatum filio fraudi esse debet, qui si recte se gerat, tanto erit illustrior & majori laude dignus, quod patrem non fuerit secutus.* Hieronymus ad Pamm. dicit, *spurios non esse contemnendos, quod habuerint manum Dei opificis, nec Deus dedignatus sit illos fingere, eisque animam adolere.* Item: *Si Christus dignatus est spurios in sua genealogia recenseri, cur nos eos non admittimus ad ministerium?* Canones hic sunt diversi, quidam admittunt spurios, quidam vero rigidiores eos excludunt. Vide in seq. artic. quaest. *An spurii ad magistratum admittendi?* GERHARDVS.

(**) Augustinus epist. CCIV. Donato neganti, *quemquam ad bonum cogendum esse*, sic respondet: *Adtende, quid apostolus dixerit:* Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; *& tamen tam multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quae nolunt, donec ipsis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Ambrosius epist. LXXXII. de se testatur, quod coactus fuerit, ut episcopatui vel invitus humeros subjiceret. Augustinus epist. CCXXV. seu 5. tertiae serici, Tagastae in propria patria vere invitus a plebe raptus est ad presbyterium. De Pri-

ria ecclesiastica occurrunt complura. Quamvis vero ad ministerium *ipsis angelicis humeris tremendum*, ut Bernhardus loquitur, non sit temere prosiliendum; quamvis etiam ex sincera cordis humilitate cum apostolo dicendum sit, πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; 2.Cor. II. 16. unde etiam Christus Matth. IX. 38. utitur voce ἐκβαλλειν, ut ostendat, hoc munus tam arduum esse, ut nemo illius difficultates expendens, facile id sibi imponi patiatur: tamen si quis per legitimam vocationem ad officium docendi ab ecclesia postulatur, ac sibi conscius est necessariorum requisitorum, nequaquam ex diffidentia debet vocationem recusare, multo minus in fugam se cum Jona conjicere, minime omnium corpori vitium aliquod inferre, sed fretus Dei promissione & auxilio, præmissis seriis ad ipsum precibus, oblatam functionem ecclesiasticam suscipiat. Cum Moses a Deo vocaretur ad eductionem Israëlitarum ex Ægypto, ipseque tergiversaretur dicens: Exod. IV. 10. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguae sum;* tunc Deus ipsum erigit, & confirmat promissione suæ gratiosæ præsentiæ & auxilii: v. 12. *Ego ero in ore tuo, doceboque, quid loquaris.* Sed cum tergiversando pergeret dicens: v. 13. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es;* iratus Dominus in Mosen fuisse dicitur. Ergo non placet Deo præpostera legitimæ vocationis ex diffidentia profecta reluctatio. Jonas quoque detrectans officium Ninivitis prædicandi exorta propter ipsum in mari tempestate præceps in illud projicitur. Jon. I. 15. Laboranti igitur & operas nostras desideranti ecclesiæ non debemus ministerium denegare. In fragmentis apostolorum a Stephano Prætorio editis Petrus ad Clementem dixisse fertur: *Ne refuge suscipere ecclesiae gubernacula peccati periculo deterritus, quin potius statue, te plus peccare, si populum Dei in mediis fluctibus periclitantem, cum possis juvare, tua opera destituas. Si autem pro omnium salute invigilabis, pro omnium salute praemia accipies.* Quo etiam pertinet illud Augustini lib. XIX. de civ. Dei cap. 19. *Locus superior, sine quo populus regi nequit, non decenter adpetitur, quamobrem otium sanctum quaerit caritas veritatis, negotium justum suscipit necessitas caritatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendae atque intuendae vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem, sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimatur justa necessitas.* Itemque ejusdem contra Manichæos, quod adlegatur in c. Olim, caus. 8. q. 1. *Olim jussus est frater praemortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi susciteret sobolem, ejusque nomine vocaret, quod inde nasceretur, quodsi recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem. Nunc evangelii quisque praedicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est, Christo suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At vero qui electus ab ecclesia ministerium evangelizandi & baptizandi renuerit, ab ecclesia ipsa digne meritoque contemnitur. Qui enim & sibi prodest & ecclesiae, bene intelligitur utroque pede calceatus, unde illud:* quam speciosi pedes evangelizantium *&c. qui vero lucrandorum curam refugit aliorum, discalceati illius non figuratum significavit, sed in se impletum portavit opprobrium &c.* (*) Proinde si quis modeste & honeste suam adducens

B 2 infir-

niano, viro clarissimo, Melaniæ marito ibidem memorat, quod Melania ipsa renitente & reclamante per vim presbyter fuerit ordinatus. Hieronymus epist. 60. 61. 62. de Pauliniano fratre suo memorat, quod summa vi adhibita & diaconus & postea presbyter ab Epiphanio factus sit. De Fr. Thoma miraculis claro in lib. consorm. refertur, quod pollicem sibi amputaverit, propter humilitatem, ne sacerdos fieret. GERHARDVS.

(*) Leo & Anthemius l. Si quemquam 31. C. de episc. & cler. *Tantum ab ambitu debet esse sepositus episcopus, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi, profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Bernhardus serm. XII. in cant. *Fratres revereamur episcopos, sed vereamur labores eorum, si labores pensamus, non adfectemus honores, agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles & foemineos humeros virorum supponere sarcinis.* GERHARDVS.

infirmitatem initio recusat ministerii partes suscipere, persuadendus est bonis rationibus, ut Deo vocanti pareat; sin vero in recusatione sua constanter pergat, invitus nequaquam eligendus vel ordinandus. 1. Cor. XVI. 12. Neque enim *placent Deo coacta servitia*, sed spontaneum sibi deferri expetit obsequium, Psalm. CX. 3. ac Petrus 1. epist. V. 2. ad officium hoc rite peragendum μὴ ἀναγκάστως, ἀλλὰ ἑκουσίως ἐπισκοπεῦντας requirit. Gregorius lib. VI. epist. 169. ad Cyriacum: *In scripturis vestris vos magnopere requiem quaesiisse narratis, sed per hoc ad pastoralem solicitudinem vos congrue venisse ostenditis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus &c. Pastori sanctae ecclesiae dicitur*: pasce oves meas, *ex quibus verbis colligitur, quod si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se pastorem summum minime amare. Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris ad publicum nostrum egressus est, nos quid dicturi sumus, qui secretum nostrum praeponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis ex corde adpetenda est. & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit, qui praedicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire, quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum unus praedicationis officium vitare conatus est, & alter adpetiit, nam mittenti se Domino Jeremias respondit, dicens*: Ah Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. *Et cum omnipotens Deus ad praedicandum sibi personam quaereret, dicens*: Quem mittam & quis ibit ex vobis? *ultro se obtulit Esaias dicens*: Ecce ego, mitte me. *En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippe sunt praecepta caritatis, amor Dei & proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Esaias officium praedicationis adpetiit. Per contemplativam vero Jeremias amori conditoris sedulo inhaerere desiderans, ne mitti ad praedicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter unus adpetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Iste ne tacitae contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia & is, qui recusavit, plene non restitit, & is, qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quisquam mysteria sacra audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat.*

SECTIO II.

DE MATERIA CIRCA QVAM MINISTERII.

Materia circa quam, sive objectum ministerii.

§. CLXXXIX. Materiam *circa quam* sive *objectum* ministerii diximus esse gregem dominicum pastorum curæ & fidei commissum. 1. Petr. V. 2. *Pascite eum, qui in vobis est, gregem.* Quemadmodum œconomus occupatur in familia sibi commissa recte gubernanda, ita ministri ecclesiæ sunt *œconomi* ac dispensatores mysteriorum Dei; 1. Cor. IV. 1. occupantur igitur in domo Dei, quæ est ecclesia, recte regenda. Act. XX. 28. *Adtendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos ποιμαίνειν, pascere ecclesiam Dei, quam adquisivit suo sanguine.* 1. Tim. III. 14. *Haec scribo tibi*, v. 15. *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei versari, quae est ecclesia Dei vivi.* Huc pertinet parabola Christi: Luc. XII. 42. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* v. 43. *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* Itemque altera illa Matth. XIII. 52. *Omnis scriba doctus ad regnum cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Quemadmo-

modum enim paterfamilias non unum eumdemque cibum omnibus proponit, sed alium servis, alium filiis, alium hospitibus honoratioribus: ita quoque minister ecclesiæ pro diversitate auditorum alia atque alia doctrinæ cœlestis capita tractat; pervicacibus, præfractis & impœnitentibus proponit comminationes legis, contritis ac territis conscientiis evangelium. Item unam eamdemque doctrinam aliter tractat coram rudioribus & simplicioribus, aliter coram eruditis & provectioribus: 1. Cor. III. 2. *lac vobis dedi, non escam, nondum enim poteratis*, atque hoc est ὀρθοτομεῖν, *recte secare verbum veritatis.* 2. Tim. II. 15. Quemadmodum pastor alio modo tractat oves sanas, quam ægrotas, adultas, quam tenellas; ita quoque pastor dominici gregis ovium sibi concreditarum diversitatem respiciens ita eas pascat, ut quod *infirmum, consolidet; quod ægrotum, sanet; quod confractum, adliget; quod errans, reducat; quod periit, quærat.* Ezech. XXXIV. 4. Quemadmodum medicus ac chirurgus pro diversitate morborum ac vulnerum pharmaca & emplastra mutat, atque re ita exigente cauteria & sectiones adhibet: ita quoque verbi minister pro diversitate auditorum modo leniores modo acerbiores reprehensiones adhibeat, quin & necessitate ita exigente mortuum membrum excommunicationis gladio abscindat: ac cum quatuor potissimum instrumenta muneris sui recte & salutariter obeundi divinitus sibi data acceperit, quæ sunt *verbi & sacramentorum mysteria, disciplina, & bona ecclesiastica*; ideo in horum dispensatione & administratione pro diversitate personarum, cum quibus ipsi res est, eo modo se gerat, ut olim audiat lætissimum illud Christi προσφώνημα Matth. XXV 21. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* De quo piorum ecclesiæ ministrorum officio inferius plura.

CAPVT V.

DE FORMA MINISTERII.

Forma ministerii.

§. CXC. *Formam* ministerii docendi causa possumus statuere duplicem *internam & externam.* Interna est *potestas ecclesiastica* divinitus huic muneri concessa ad hominum ædificationem. 2. Cor. X. 8. Illam potestatem vocamus ministerii formam internam, quia est quasi anima illius; si enim absque potestate ecclesiastica esset, non posset ministerium consistere, nec partibus sui muneris rite fungi. Externam ministerii formam constituimus in *diversis gradibus & ordinibus* ministrorum, quibus externa ministerii facies decorata in oculos hominum incurrit.

SECTIO I.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

An ministerio ecclesiastico competat potestas?

§ CXCI. Quidam existimant ecclesiastico *ministerio* non posse nec debere *potestatem* aliquam tribui; 1.) cum ipsa ministerii appellatio potestatem ἀρχικὴν excludat: 2.) cum Christus respectu potestatis magistratum politicum & ministerium ecclesiasticum sibi invicem opponat: Matth. XX. 25. Marc. X. 42. Luc. XXII. 25. *Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent, benefici vocantur, vos autem non sic.* 3.) cum Paulus neget, se ac reliquos apostolos *dominari fidei piorum*: 2. Cor. I. 24. 4.) cum Petrus prohibeat, ne *presbyteri dominentur populo christiano.* 1. Petr. V. 3. Sed hæc & similia nequaquam omnem, sed a) αὐτοκρατορικὴν ac b) πολι-

πολιτικὴν potestatem ministerio ecclesiastico derogant; illa enim soli Deo competit, hæc vero magistratui civili divinitus concessa est, ideoque neutram earum ministerium ecclesiasticum sibi arrogare debet. Quod autem præter illam αὐτοκρατορικὴν & πολιτικὴν potestatem detur adhuc alia ministerio ecclesiastico competens, demonstratur 1.) *Scripturae dictis*: Matth. XVIII. 17. *Si frater in te peccans, arbitros non audierit, dic ecclesiae. Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* v. 18. *Amen dico vobis, quaecunque adligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Joh. XX. 23. potestas clavium datur apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.* 2. Cor. X. 8. *Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem & non in destructionem vestram, non erubescam.* 2. Cor. XIII. 10. *Vt non praesens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* II.) *Honorificis ministrorum encomiis*: Vocantur enim *pastores, patres, doctores*, προεστῶτες, ἡγούμενοι, ut ostendimus superius, quæ encomia non possent habere locum, nisi potestas quædam ipsis esset data. III.) *Exemplis*: Christus & apostoli in ministerio usi sunt potestate clavium. Paulus 1. Cor. V. 4. incestuosum Corinthium excommunicat &c. IV.) *Rationibus*: Absque potestate aliqua ecclesiastica non potest ministerium partes sui officii peragere, nec σύσημα corporis Christi mystici consistere. Ergo Deus talem potestatem ministerio dedit. *Antecedens* est manifestum, quia officium ministrorum consistit in prædicatione verbi, administratione sacramentorum, exercitio clavis ligantis & solventis, vigore disciplinæ ecclesiasticæ. Jam vero hæc omnia non possunt locum habere absque potestate aliqua ecclesiastica. Pertinet etiam ad conservandam corporis mystici unitatem & integritatem, ut præfracte facinorosi ex ecclesiæ consortio expellantur, & pœnitentes iterum recipiantur, 1. Cor. V. 7. 2. Thess. III. 14. id vero fieri nequit absque aliqua ecclesiastica potestate. Deinde ut reliquis ecclesiæ ordinibus, politico scilicet & œconomico potestas aliqua divinitus est concessa, ita quoque ordini ecclesiastico aliquam potestatem esse datam, in propatulo est. Quemadmodum enim nec politicus, nec œconomicus ordo potest obtinere finem suum, propter quem institutus est, nisi per potestatem cuilibet illorum ordinum concessam; ita nec ecclesiasticus ordo potest obtinere finem, propter quem divinitus institutus est, nisi per aliquam potestatem itidem divinitus ei concessam.

Qualis potestas ministerio data?

§. CXCII. *Quae vero & qualis sit illa potestas* ministerio data, plurimum variant sententiæ. Episcopi enim pontificii, cumprimis vero episcoporum episcopus, pontifex Romanus, potestatem tum ecclesiasticam absolutam, tum politicam sibi arrogat, contra Dei verbum, quod potestatem ecclesiasticam certis limitibus determinavit, & politicam ab ea distinctam esse voluit. Antequam vero de abusu ecclesiasticæ potestatis, qui in regno pontificio obtinuit, disseramus, explicabimus prius, in quo *potestas ecclesiastica* ministerio data juxta præscriptum verbi divini sit statuenda. Augustana confessio in artic. VII. abusuum cap. de potest. eccles. sic loquitur: *Sentiunt*, (nostri) *potestatem clavium seu episcoporum juxta evangelium esse potestatem seu mandatum Dei praedicandi evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato mittit Christus apostolos*: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Ite, prædicate evangelium omni creaturæ &c. Ex quibus colligitur, quod potestas ecclesiastica sit duplex, videlicet 1) potestas *praedicandi verbum, & administrandi sacramenta*, 2) *potestas clavium*, per quam peccata remittuntur vel liguntur. Illam vocant potestatem *ordinis*, hanc vero *jurisdictionis*, in qua nomenclatura quamvis aliquid desiderari possit, tamen cum usu eccle-

ecclesiæ sit recepta, ideo sano sensu eam retinemus. Sunt qui triplicem potestatem ecclesiasticam statuunt, *ministerii, ordinis & jurisdictionis.* Illam vocant autoritatem & potestatem publice prædicandi verbum & administrandi sacramenta per legitimam vocationem datam: istam statuunt in certis gradibus partim jure divino, partim positivo seu adprobatione ecclesiæ introductis: hanc in disciplina ecclesiastica seu potestate clavium. Hæc diversitas in enumeratione partium potestatis ecclesiasticæ, distinctione quadam conciliari potest. Si respectus habeatur *ad potestatem ministerio divinitus concessam*, illa absolvitur duabus istis partibus, videlicet potestate tum prædicandi verbum & administrandi sacramenta, tum potestate clavium, illa etiam potestas omnibus ministris ex æquo communis est, cum in infimo ministerii ecclesiastici gradu constitutus æque eam obtineat, atque is, qui reliquis ministris præfectus est. Si vero respectus habeatur *ad potestatem certo ministrorum gradui ab ecclesia concessam*; tunc potestas ordinis a potestate ministerii dicto modo distingui potest, nimirum ut potestas ministerii dicatur ea, quæ in prædicatione verbi & administratione sacramentorum consistens omnibus ministris ex æquo competit, potestas vero ordinis, quæ propter gradus in ministerio eminentiam, certis personis ecclesiasticis propria est, non tamen jure quodam divino, sed ecclesiæ institutione. Sic episcopi majorem habent potestatem, quam presbyteri, nimirum non ministerii, sed ordinis respectu, ex quo facile adparet, quod potestas ordinis diversimode accipiatur. Qui enim διχοτομίαν utuntur, potestatem ecclesiasticam in *ordinis & jurisdictionis* potestatem distribuentes, illi per potestatem ordinis intelligunt eam, quæ in prædicatione verbi & administratione sacramentorum consistit, quam alii vocant potestatem *ministerii.* Qui τριχοτομίαν utuntur, potestatem ecclesiasticam in ministerii, ordinis & jurisdictionis potestatem distinguentes, per potestatem ordinis intelligunt eam, quæ propter gradus eminentiam ab ecclesia institutam certis quibusdam personis ecclesiasticis est propria. Ministerium est ordo divinitus institutus, & in ministerio sunt diversi ordines ab ecclesia introducti, ad illum respiciunt διχοτομοῦντες, ad hos vero τριχοτομοῦντες. (*)

§. CXCIII. *Potestatem ordinis* quidam vocant ἀυθεντικὴν; sed adpellatio ἀυθεντικῆς potestatis gloriosior videtur, quam ut ministerio conveniat, quia solus Deus ἀυθεντικῶς in ministerio agit, ideo illi soli absoluta potestas competit; sed ministri non nisi ὀργανικῶς agunt, ideo actiones suas ad divinum arbitrium & præscriptum adcommodare debent. Ad hanc ordinis potestatem cum pertineat, uti dictum fuit, prædicatio verbi, ideo ad eam referri quoque debet *publica scripturae interpretatio*, qua coram tota ecclesia verus scripturæ sensus eruitur, & ad auditorum informationem adcommodatur; ea vero non debet esse ἰδίας ἐπιλυσεως, 2. Petr. I. 20. sed *fidei analoga*, Rom. XII. 7. hoc est, conveniens cum præcipuis & apertis scripturæ pronunciatis veræ religionis fundamenta continentibus. Quidam ad eam referunt *potestatem νομοθετικὴν*, quæ sancit utiles & salutares constitutiones cum verbo Dei congruentes, *decorum & ordinem* spectantes, 1. Cor. XIV. 40. quarum quædam respiciunt ritus & cærimonias, quædam vero disciplinam rectamque vivendi normam &c. sed quia illarum constitutionum sanctio non ad solum ministerium, sed etiam ad christianum magistratum, *Potestas ordinis.*

(*) Becanus in resp. ad aphorismos Calvinistarum p. 68. *Ecclesiastica potestas est triplex: una ordinis, altera jurisdictionis interioris, tertia jurisdictionis exterioris*: 1.) *ut feruntur ad sacramenta conficienda & ministranda*, 2.) *ad regendum populum christianum in foro conscientiæ*; 3.) *ad eumdem populum regendum in foro exteriori. Ad potestatem ordinis spectat, consecrare eucharistiam, confirmare, ordines conferre, chrisma conficere, oleum infirmorum benedicere. Ad potestatem jurisdictionis interioris, jus dicere in foro conscientiæ, id est, absolvere vel ligare. Ad potestatem jurisdictionis exterioris, synodum convocare, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, beneficia conferre, excommunicare vel aliis modis delinquentes punire.* GERHARDVS.

tum, utrumque tabulæ decalogi custodem pertinet, ac eum consensu ecclesiæ fieri debet, ideo ad potestatem ordinis ministerio propriam non satis commode referri potest. (*) Quidam potestatem ordinis subdistinguunt in duas species, videlicet δογματικὴν, quæ est facultas ecclesiæ circa doctrinam, & fidei dogmata, videlicet potestas custodiendi scripturas instar tabellionis, eas diligenter legendi, secundum scripturas de dogmatibus judicandi, genuinas & germanas scripturas a falsis & adulterinis instar vindicis discernendi, doctrinam ex scripturis adprobandi, ac falsam doctrinam improbandi, & διατακτικὴν seu *constitutivam*, quæ est potestas ecclesiæ in rebus externis & indifferentibus, canones ac regulas ad ordinem & decorum, item certos ritus constituendi, ac ad fovendum ecclesiæ membrorum in externo cultu consensum stabiliendi, vel etiam abrogandi, prout ecclesiæ necessitas vel utilitas postulat. Sed hæ potestates ad totam ecclesiam pertinent, non autem ecclesiastici ordinis sunt propriæ, quamvis primas ac præcipuas illius partes ministerio ecclesiastico competere facile concedamus.

Potestas jurisdictionis.

§ CXCIV. *Potestas jurisdictionis* quam vocant κριτικὴν, in usu clavium consistit. Est autem duplex clavium potestas, *solvens & ligans*. Matth. XVI. 19. Joh. XX. 23. Quamvis enim unum sit verbi ministerium, quo peccata solvuntur & ligantur, proinde etiam generica consideratione una clavis ad aperiendum & claudendum regnum cœlorum efficax; tamen pro diversitate objectorum, mediorum & effectorum una clavis dicitur *solvens*, qua pœnitentes a peccatis absolvuntur, & cœlum illis aperitur: altera *ligans*, qua impœnitentibus peccata retinentur, & cœlum illis clauditur. Illa vocatur *absolutio*, hæc *excommunicatio*. Utraque vel *publice* vel *privatim* exercetur. Absolutio *publica* est, quando omnibus vere pœnitentibus ex evangelio adnunciatur remissio peccatorum propter Christum; *privata*, quando in specie alicui pœnitenti peccata remittuntur. Excommunicatio *publica* est, quando omnibus impœnitentibus & incredulis ex lege adnunciatur ira Dei & æterna damnatio; *privata* quando in specie alicui præfracte facinoroso peccatorum retentio denunciatur. Ratione graduum duplex statuitur excommunicatio, *minor* scilicet & *major*. Illa est exclusio sive suspensio ab usu cœnæ dominicæ, hæc e communicatione ecclesiæ ejectio, illa vocatur καθαίρεσις, hæc vero ἀφορισμός. Ad hunc extremum ecclesiasticæ censuræ gradum non est temere sine gravi consilio & sine ecclesiæ & præcipue christiani magistratus consensu progrediendum, sed ordo a Christo præscriptus, Matth. XVIII. 15. diligenter observandus. Denique ratione objectorum potestatem jurisdictionis statuunt duplicem; *communem*, ad totum ecclesiasticum cœtum auditorum spectantem, quæ propterea vocatur popularis; & *propriam*, ad personas in ecclesiasticis officiis constitutas pertinentem, quæ ob id vocatur clericalis. Ad hanc potestatem jurisdictionis etiam pertinet *ordinatio ministrorum*, per quam ministerium commendatur fidelibus hominibus, & *censura morum*, per quam in officio continentur auditores.

Potestas ecclesiastica non est dominatus quidam politicus.

§. CXCV. Quomodo *legitimus ecclesiasticæ hujus potestatis usus* comparatus esse debeat, ex descriptione officii ecclesiasticis personis incumbentis inferius tradenda erit conspicuum, hoc loco contra pontificios demonstrandum, potestatem ecclesiasticam 1) *non esse dominatum quemdam politicum*, 2) *nec absolutam dictatoriam & αὐτοκρατορικὴν quamdam potestatem*. Prius demonstramus hoc fundamento: Quascunque potestates Deus ipse distinctas esse voluit, eæ non sunt

(*) Habet ecclesia potestatem faciendi constitutiones, sed non nisi de actibus adiaphoris & mediis, *quas propterea veteres decreta potius & κανόνας adpellare maluerunt, quam νόμους*, ut scribit Socrates lib. III. c. 6. & lib. VI. c. 36. de actibus autem necessariis & ad essentiam fidei pertinentibus normam & leges veluti fundamentales regni Christi nullam condemnandi, sed tantum judicandi potestatem habet, eamque ipsam non nisi delegatam, ministerialem & ἑρμηνευτικὴν. GERHARDVS.

sunt invicem commiscendæ vel confundendæ. Sed ecclesiasticam & politicam potestatem Deus ipse distinctam esse voluit. Ergo &c. *Adsumtum* variis modis demonstrari potest, sed hoc loco contenti erimus, distinctionem utriusque potestatis, in quadripartito genere causarum ostendere. Distinguuntur illæ 1) *causa ὀργανικῇ sive, instrumentali.* Potestas ecclesiastica utitur gladio spiritus, videlicet verbo, Eph. VI. 17. ac clave ligante & solvente; Matth. XVI. 19. &c. nequaquam vero gladio corporali, quo potestas politica divinitus est armata. Gen. IX. 6. Rom. XIII. 4. 1. Petr. II. 14. &c. 2) *Materia circa quam*, seu *objecto.* Potestas ecclesiastica occupatur in rebus spiritualibus & æternis ad salutem consequendam immediate spectantibus: politica vero occupatur in rebus corporalibus & externis, in conservanda pace & tranquillitate, in defendendis subditorum facultatibus, fama & corporibus, in administratione civilis justitiæ, in gubernanda disciplina externa &c. ad salutem consequendam indirecte ac mediate spectantibus. 1. Tim. II. 2. 3) *Forma.* Ecclesiastica potestas est ministratoria ad præscriptum legum divinarum simpliciter restricta: politica est prætoria, quæ habet potestatem ferendarum legum politicarum. Illa coercet delinquentes verbo, hæc pœna corporali & gladio. 4) *Fine.* Ecclesiasticæ potestatis finis est justitia spiritualis, pax conscientiarum & salus animarum; politicæ vero justitia civilis, pax hujus vitæ & salus reipublicæ. *Cum lex evangelica* (scribit auctor libelli de ecclesiastica & politica potestate Francof. anno 1612. edit. p. 23.) *vitam æternam pro fine atque animam humanam pro materia & subjecto nativo habeat, tota occupari debet in internis conscientiae motibus dirigendis, minime vero in manu aut vi externa cohibenda; ac proinde judicat de mediis necessariis ad beatitudinem conformiter ad causas essentiales spirituales religionis christianae, id est, suasive tantum & directive per verbi divini praedicationem, sacramentorum dispensationem, & si res postulet, per exclusionem ab ecclesiastica communione ope censurarum, id est, armorum spiritualium ecclesiae,* quod ibidem probatur ex Joh. XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Luc. XII. 14. *Quis me constituit judicem*, 2 Cor. X. 4. *Arma militiae nostrae non sunt carnalia.* Phil. III. 20. *Politeuma nostrum in cælo &c.* Quamvis vero utræque potestates sint distinctæ, tamen mutuas sibi tradere debent operas, nec altera alteram impediat, sed potius promoveat, ut hominum saluti & gloriæ divinæ inserviatur, qua de re in loco de magistratu politico dicetur uberius.

Nec est potestas αὐτοκρατορικὴ.

§. CXCVI. *Posterius* adsertionis membrum sic probamus: 1.) A *contradictione.* Contradictoria sunt, esse ministrum ecclesiæ, & esse dominum seu habere absolutam & αὐτοκρατορικὴν potestatem. Ergo non possunt simul tribui personis ecclesiasticis. Non est, quod regerant, *diverso respectu personas ecclesiasticas esse ministros & dominos; ministros respectu Dei, dominos respectu ecclesiae*, quale quid etiam in magistratu politico animadvertatur Rom. XIII. 4. quia non Dei tantum & Christi, sed etiam ecclesiæ ministri dicuntur. 1. Cor III. 21. 2. Cor. IV. 5. Col. I. 25. 2.) Ab *adpropriatione.* Quodcunque soli Christo proprium est, non debet ad ministros ecclesiæ transferri. Sed potestas αὐτοκρατορικὴ, dominatus, magisterium absolutum & principatus in ecclesia soli Christo proprius est. Ergo. Adsumtum constat, quia Christus non solum se vocat *Dominum*, Joh. XIII. 13. sed etiam ab apostolo vocatur *unicus Dominus*, 1. Cor. VIII. 6. *ipse unus est noster καθηγητὴς*, quod bis repetitur Matth. XXIII. 8. & 10. *ipse solus est sponsus*, Joh. III. 29. solus est ecclesiæ suæ *caput in omnibus principatum tenens*, Col. I. 18. ipsi soli competit dominium in animas & conscientias hominum &c. 3.) Ab *oppositione*, in quo Christus apostolos sibi opponit, illud, utpote soli Christo debitum, veri apostolorum successores nunquam sibi arrogabunt. Sed Christus apostolos sibi opponit in principatu ac dominatu. Joh. XIII. 13. *Vos vocatis me magistrum & dominum, ac bene*

dicitis, sum etenim; Joh. XIII. 14. *Si ergo ego lavi pedes vestros, dominus & magister, debetis & vos alter alterius pedes lavare.* v. 16. *Non est servus major domino, nec apostolus major eo, qui misit illum.* Ergo principatum ac dominatum, utpote soli Christo proprium, veri apostolorum successores nunquam sibi arrogent. 4.) A *prohibitione.* Quo Christus apostolis & ipsorum in ministerio successoribus interdixit, illud ministri ecclesiæ sibi non debent arrogare. Sed dominatu & principatu Christus apostolis & ipsorum in ministerio successoribus interdixit, Matth. XX. 25. Luc. XXII. 25. ubi apostolatus & dominatus ἀντιθετικῶς opponuntur, ac τὸ κυριεύειν regibus hujus mundi relinquitur, apostolis autem & veris eorum in ministerio successoribus adimitur. Bernhardus lib. II. de consid. ad Eug. col. 1021. *Apostolis interdicitur dominatus, ergo tu usurpare aude aut dominus apostolatum aut apostolicus dominatum, plane ab utroque prohiberis, si utrumque simul habere voles.* Origenes hom. XII. in Matth. *Inter vos autem, qui estis mei, non erunt haec, ne forte, qui videntur habere aliquem in ecclesia principatum, dominentur fratribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate, sic & qui principes spirituales, principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore corporali.* 5.) A *negata usurpatione*, quod apostoli post acceptum Spiritum sanctum nunquam sibi arrogarunt, sed potius veris suis in ministerio successoribus eo interdixerunt, illud ecclesiæ ministri non debent sibi arrogare. Sed apostoli post acceptum Spiritum sanctum potestatem quamdam ἀυτοκρατορικὴν & dominatum nunquam sibi arrogarunt, quia nullus apostolorum sese principem vel dominum adpellavit, sed Petrus se vocat συμπρεσβύτερον, 1. Petr. V. 1. Paulus inquit 2. Cor. I. 24. *non dominamur fidei vestrae*, & taxat Corinthios, qui ab apostolis in ecclesia ministris se denominare voluerint, 1. Cor. I. 12. cui præpostero honori opponit hæc fundamenta: *Num Christus divisus est? num Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* v. 13. *Quid est Apollo, quid Paulus? ministri, per quos credentes facti estis.* 1. Cor. III. 5. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas &c. omnia vestra sunt;* v. 22. *vos autem Christi, Christus autem Dei:* v. 23. quæ omnia principatui ac dominatui fortissime adversantur, inde etiam Petrus Act. X. 25. noluit ea admittere, quæ alioquin principes ac domini tanquam subjectionis signa sibi deferri patiuntur. Hieronymus in Mich. II. *Si in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed & conversationem & abstinentiam amplectamur.* Nec solum nunquam arrogarunt sibi apostoli dominatum, sed etiam eo ministris ecclesiæ interdixerunt: 1. Petr. V. 3. *Pascite gregem non dominantes clero.* Bernhardus lib. II. de consid. col. 1022. *Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis, pascendas, non premendas suscepisti.* Ergo potestatem ἀυτοκρατορικὴν & dominatum ministri ecclesiæ nunquam sibi arrogent. 6.) A *comparatione.* Oeconomus non est ipse dominus vel princeps, nec habet absolutam & ἀυτοκρατορικὴν potestatem, quia οἰκόνομος & οἰκοδεσπότης differunt, ut minister ac dominus. Sed ministri ecclesiæ sunt *œconomi.* Luc. XII. 42. 1. Cor. IV. 1. Ergo non sunt ipsi domini vel principes, nec habent absolutam & ἀυτοκρατορικὴν potestatem, sed hæc dignitas soli Christo relinquitur, qui est solus οἰκοδεσπότης in ecclesiæ domo. Matth. X. 25. Hebr. III. 3. &c. ac solus absolutam in eam habet potestatem. Sic & 7.) legatus non est ipse dominus, nec habet absolutam potestatem, sed restrictam & legantis voluntate ac mandatis definitam. Ministri ecclesiæ sunt *legati.* 2. Cor. V. 20. Ergo non sunt ipsi domini, nec habent absolutam potestatem, sed restrictam & legantis voluntate ac mandatis determinatam.

§. CXCVII. Sed hæc non sunt ad palatum Romani pontificis & episcoporum pontificiorum, illi enim *primo* potestatem ecclesiasticam commutarunt in dominatum politicum; *secun-*

Antithesis pontificiorum.

secundo absolutam quamdam & αὐτοκρατορικὴν potestatem & dominatum in ecclesia sibi arrogant. *Prius* confirmatione non eget, cum sit in publica praxeos luce positum. Augustana confessio in artic. VII. abus. de potest. eccles. hac de re coram imperatore & statibus sic loquitur: *Magnae disputationes fuerunt de potestate episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem ecclesiasticam & potestatem gladii. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus exstiterunt, dum pontifices freti potestate clavium, regna mundi transferre & imperatoribus adimere imperium conati sunt, haec vitia multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii & eruditi.* Et postea: *Si quam habent episcopi potestatem gladii, hanc non habent ut episcopi ex mandato evangelii, sed jure humano donatam a regibus & imperatoribus ad administrationem civilem suorum bonorum, haec interim alia functio est, quam ministerium evangelii. Cum igitur de jurisdictione episcoporum quaeritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione: secundum evangelium seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit episcopis ut episcopis, id est, his, quibus est commissum ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata &c.* Bellarminus lib. V. de Rom. pont. c. 6. potestatem illam ecclesiasticopoliticam sic temperat, ut statuat, non nisi *indirecte* convenire pontifici temporalem potestatem. *Pontifex ut pontifex* (inquit) *etsi non habet ullam mere temporalem potestatem, tamen habet in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium christianorum.* Sed haec moderatio Sixto V. ejus tempestatis pontifici parum placuit, unde Barclajus in libro de potest. papae cap. 13. p. 101. scribit, *parum abfuisse, quin omnia illius* (Bellarmini) *opera censura pontificia magno cum ecclesiae detrimento abolerentur*, id quod ex ordinis jesuitici patribus se audivisse narrat. Ceterum quod Aug. confessio adferit, multo ante commixtionem illam ecclesiasticae & politicae potestatis in pontifice & episcopis ipsius taxatam fuisse, multorum scriptorum testimoniis comprobari potest. Bernhardus in libris de consideratione ad Eugenium papam multa in hanc sententiam adfert. Marsilius Patavinus hac de re integrum librum scripsit anno 1324. pro defensione Ludovici Bavari imperatoris contra papam, cujus titulus: *Defensor pacis.* Autor oneris ecclesiae compilati anno 1519. & postea editi Landsh. anno 1524. c. 20. §. 6. qui a quibusdam vocatur Vbertinus, episcopus Chimensis: *Jesus palam negavit regnum suum esse hujus mundi, quinimo ipse solus fugit in montem, cum cognovisset, quia populi venturi essent, ut facerent eum regem. Quomodo ergo convenit, ut Christi locum tenens, mundanam ditionem non solum admittat, verum etiam ambiat, ut libidine, luxu, violentia, superbia, fastu, divitiis, rapacitate regnet, quem Christus docuit esse humilem & mitem.* Güntherus lib. VI. Ligurin. Friderico Barbarossam de papae imperio sic conquerentem introducit:

Ecce paterna fides & magni praesulis alma
Integritas, humilisque Petri vestigia sectans,
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult quam Petrus haberi &c.
Ergo quid ad summum de regni jure, quid, oro
Pontificem spectat? nullum caput ista super se
Adspicit, excepto coelorum rege, potestas.
Ecclesiam regat ille suam, divinaque jura
Temperet, imperium nobis fasces que relinquat &c.
Cogitet antiquos primaevi temporis annos
Praeteritosque dies, & secula prisca revolvat.
Num Petrus, aut Clemens, aut caetera turba piorum
Sceptra Latina dabat &c.

In hosce Guntheri versus sic commentatur Jacob Spigelius etiam ante Lutherum: *An nescis, Friderice, princeps christianissime, dictum Christi*: inter vos non dominabimini, sicut subditis dominantur reges gentium, *hoc valere scilicet: Tu Petre cum tuis successoribus Romani imperii haeres esto perpetuus. Item*: ego veni ministrare & non ministrari, *esse; imperatores & reges terrarum tua ac successorum tuorum in solio plusquam venerabundi gemmata osculentur vestigia? tum illud*: qui

primus voluerit esse inter vos, erit vester servus, *aliud significare nihil, quam apud vos est praetipiendi potestas, reliquam ecclesiam manet parendi necessitas.* Et postea. *Hoc* (scilicet ad pontificem non pertinere imperii Romani dispositionem) *si quis hodie constanter adseveraret, haeretici nomen apud pontificios adulatores non effugeret. Contrariam tamen partem, ut veritati adfinem, magni nominis viri tutati sunt, licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui universam prope scripturam divinam adulterinis interpretationibus subverterunt.* Petrus de Vineis, cancellarius Friderici II. imperatoris aliquot epistolis demonstravit, *pontifici secularem jurisdictionem non competere.* Idem praestitit Wilhelmus Occam, qui in fuga ob excommunicationem pontificis adprehensa de jure caesaris expressis testatus verbis dixit: *Tu me, imperator, gladio adversus papae injurias tutum sistas & ego te calamo & scriptis defendam.* Petrus Ferrariensis in forma libell. act. confess. glos. VII. adverb. plenam num. 2. *Papa, qui deberet tanquam verus vicarius Jesu Christi vestigia sequi, possidere & manu armata nititur tenere jurisdictionem in terris, civitatibus & villis & locis, quae sunt naturaliter & a mundi creatione & Christi ordinatione imperii Romani, juxta aliud*: quod est Dei, reddatur Deo, & quod est caesaris, caesari; *imo ipse papa in ipso imperatore nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere, & abominabile audire.* Albericus Rosates in lexico in verbo electio: *Pastores ecclesiae mittentes falcem in alienam messem, fecerunt super hoc tres decretales, unam de electione imperatoris &c. quae an sint justae, Deus novit; nullam enim earum (salvo saniori judicio, & si erroneum foret, revoco) credo juri consonam, imo eas credo proditas contra jura & libertatem imperii, & puto potestates esse distinctas, & a Deo processisse.* Antonius Rosellus circa annum Christi 1511. scripsit librum titulo monarchiae, in quo probat, *papam non esse mundi dominum, nec posse aut debere caesari imperare, nec omnino habere gladium temporalem.* Sed de his plura inferius, in quaestione scilicet, an idem possit ministerio ecclesiae & magistratu politico fungi?

Absoluta pontificis potestas.

§. CXCVIII. *Posterius*, quod pontifex Romanus & ipsius episcopi potestatem absolutam & αὐτοκρατορικὴν, adeoque dominatum in ecclesia sibi vindicent, itidem in propatulo est, ac tum in genere tum in specie probari potest. In *genere* notandum, quod perpetuo crepent *hierarchiam* ecclesiasticam. Concilium Trident. sess. XXIII. can. 6. *Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constet ex episcopis, presbyteris & ministris, anathema sit.* Sane si per *hierarchias* vocem nihil aliud intelligatur, quam quod Deus ipse ministerium ecclesiasticum, non minus atque ordinem politicum & œconomicum instituerit, quodque potestatem, autoritatem & dignitatem in scripturis sacris definitam ac determinatam ministerio concesserit; non repugnamus, hoc sensu & respectu ministerium ecclesiasticum dici ἱεραρχίαν, quin imo communi etiam in nostris ecclesiis recepta loquendi consuetudine ita adpellatur. Sed si propriam & adeuratam verbi significationem, itemque si eum sensum, quo pontificii ecclesiasticum ministerium hierarchiam vocant, respicere voluerimus, non poterit *hierarchias* vocabulum ministerio tribui, cum non sit quaedam ἀρχὴ δεσποτικὴ, quidam dominatus ac principatus, sed διακονία. In *specie* notandum, qualem & quantam potestatem pontifex Romanus sibi arroget; qualem item & quantam ipsius episcopi. De potestate pontificis ex canonistis multa adferuntur in libro, qui continet causas recusati concilii Tridentini, p. 134. quod *ejus potestas sit suprema, in qua non habeat parem, quod idem habeat consistorium cum Deo & tribunal cum Christo, quod obtineat plenitudinem potestatis, & plenitudinem clavium, quod contra jus, supra jus, & extra jus possit omnia, quod ejus potestas sit summa & libera, absolutaque ab omnibus vinculis & omni lege coërcente, quod formam sacramentorum ab a-*

posto-

postolis traditam possit immutare, quod possit statuere contra epistolas Pauli, quod potestas ejus sit major apostolo, & quod possit dictis apostoli derogare, quod possit dispensare contra quatuor prima concilia, item contra verba evangelii, licet non contra mentem, &c. Sed prætermissis vetustiorum temporum superstitionibus, videamus, quam potestatem jesuitæ hodie illi tribuant, & manifeste adparebit, absolutam & αὐτοκρατορικὴν potestatem in ecclesia ipsi tribui. Bellarminus in præfat. lib. de summo pontif. ad illum adcommodat vaticinium Esaiæ XXVIII. 16. *Ecce pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum.* Lib. II. de Rom. pontif. c. 2. disputat, *episcopum Romanum in monarchia ecclesiastica Petro succedere*; cap. 18. *habere potestatem constituendi & confirmandi episcopos per totum orbem.* Item, *deponendi omnes episcopos, & injuste depositos restituendi per totum orbem.* Cap. 19. *habere potestatem ferendi leges per universam ecclesiam, dispensandi per universam ecclesiam, censuram exercendi in tota ecclesia.* Cap. 20. *competere illi jus mittendi legatos ad alias ecclesias, qui in illis nomine ipsius omnia administrent, & graviores causas ad ipsius judicium reservent.* Cap. 21. *ex quavis christiani orbis parte legitime ad ipsum provocari posse, ab ejus vero sententia nullam concedi adpellationem.* Cap. 26. *a nemine ipsum posse judicari.* Cap. 31. *esse ipsum caput, fundamentum & sponsum ecclesiae.* Lib. IV. de Rom. pont. cap. 1. esse *ipsum summum & ἀνυπεύθυνον in controversiis fidei ac morum judicem.* Cap. 2. *non posse ullo modo definire aliquid haereticum a tota ecclesia credendum.* Cap. 16. *habere potestatem ferendi leges, quae conscientias obligent, & ad earum obedientiam cogere universam ecclesiam.* Cap. 24. *omnem ordinariam episcoporum jurisdictionem a papa descendere.*

Episcoporum pontificiorum potestas.

§. CXCIX. Episcopi pontificii præter politicam ditionum suarum administrationem etiam αὐτοκρατορικὴν quamdam potestatem in ecclesia sibi arrogant: 1) In δογματικὴ, quia in conciliis congregati ab omni errandi periculo immunes se esse fingunt, modo pontificis instructionem & sententiam sequantur. Bozzius lib. V. de not. eccles. c. 7. Melch. Canus lib. V. loc. comm. cap. 4. Bellarminus lib. II. de concil. cap. 2. & seqq. 2) In ἑρμηνευτικὴ absolutam scripturæ pro lubitu interpretandæ & dogmatum condendorum licentiam sibi tribuunt, ita ut sine ullo ex scripturis examine ipsorum interpretationes & decisiones sint acceptandæ. 3) In νομοθετικὴ ordinationem rituum & cerimoniarum sibi solis, excluso christiano magistratu, vindicant, præscribunt magna ex parte inutiles & otiosas cerimonias, easque cum opinione necessitatis, cultus & meriti observandas, ecclesiæ obtrudunt, multitudine earum conscientias gravant, leges, quas proponunt, non ordinis solum causa servandas proponunt, sed divinis constitutionibus eas exæquant, & coactivam jurisdictionem in earum transgressores sibi arrogant. 4) In κριτικὴ excommunicationis fulmen absque ecclesiæ consensu ejaculantur, & quidem in eos, qui ambitioni & avaritiæ suæ obsistunt, absolvunt subditos ab obedientia magistratus excommunicati, sicque pœnam ecclesiasticam cum civilibus confundunt, indulgentias pretio vendunt, adeoque absolutam ligandi & solvendi potestatem sibi tribuunt.

Argumenta pontificiorum pro adserenda potestate αὐτοκρατορικὴ.

§. CC. Argumenta, quæ pro pontificis potestate & conciliorum infallibilitate stabilienda adducunt, suum alibi habent locum; hic ea duntaxat examinabimus, quæ in genere pro adserenda αὐτοκρατορικὴ potestate ministris ecclesiæ adserenda adferri solent.

1) *Matth. 16 19. Quodcunque ligaveris*

1) *Matth. XVI. 19. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cælo, & quodcunque solveris super terram, erit solutum in cælo. cap. XVIII. 18. Quaecunque adligaveritis super terram, erunt ligata etiam in cælo, & quaecunque solveritis super terram, erunt etiam soluta in cælo.* Joh. XX. 23. *Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum-*

rumcunque retinueritis, retenta erunt. In quibus dictis urgent particulas *quodcunque, quorumcunque &c.* quas existimant esse *universales & absolutam potestatem* ministris ecclesiæ per eas tribui. *Resp.* datur eo in loco apostolis & ipsorum ministerio successoribus potestas clavium in ligando & solvendo consistens. Quemadmodum igitur œconomus per clavium traditionem nequaquam accipit absolutam & αὐτοκρατορικὴν quamdam potestatem, sed ministerialem & ad mandata domini restrictam: ita quoque per clavium spiritualium traditionem ministri ecclesiæ nequaquam acceperunt absolutam potestatem clavibus illis pro arbitrio utendi, sed ministerialem ad mandata Domini restrictam, qua scilicet pœnitentibus peccata remittere, impœnitentibus vero eadem retinere debent, sicut in tractat. de pœnitentia §. CXI. & CXII. & in harm. evang. de resurrect. c. VIII. p. 287. fuit latius comprobatum. Gregorius hom. 26. in evangel. *Tunc vera est absolutio praesidentis, cum aeterni arbitrium sequitur judicis, quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quae videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit dicens:* Lazare veni foras, *postmodum is, qui vivens egressus fuerat, a discipulis est solutus, sicut scriptum est:* cumque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis: Solvite eum & sinite abire. *Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent quam virtutem, ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus per autoritatem pastoralem solvere, quos autorem nostrum cognoscamus per suscitantem gratiam vivificare.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 18. sect. 4. *Tunc sententia sacerdotis adprobatur Dei judicio, cum ita procedit, ut eorum, quos absolvit vel excommunicat, merita non contradicunt.* Petrus Asilus in lib. de tyrann. pontificum c. 5. p. 107. citat dictum Wesseli: *Clavis potestatis nihil operatur sine clave pietatis.* Recte etiam phrasis explicanda est, quid in verbis Christi sit ligare? Bellarminus lib. IV. de pœnit. c. 5. existimat, quod significet *opera satisfactoria pœnitentibus imponere*; sed hæc est turpissima confusio clavis ligantis & solventis, ut enim clavis solvens, id est, peccatorum remissio, tantum respicit pœnitentes: ita clavis ligans, id est, peccatorum retentio, tantum ad impœnitentes spectat. Vide tract. de pœnit. §. CXXVIII. Idem Bellarminus lib. IV. de pont. Rom. c. 16. per clavem ligantem intelligit *potestatem ferendi leges per universam ecclesiam*, cum Matth. XXIII. 4. significet legem ferre. Sed hoc est argumentum a particulari, neque enim sequitur, Matth. XXIII. *ligare* significat leges ferre. Ergo etiam hoc loco, propter evidentem rationis disparitatem, quid enim per τὸ *ligare* apud Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. intelligatur, clarissime expositum exstat apud Joh. XX. 23. & Luc. XXIV. 47. Nec simpliciter dicitur de pharisæis Matth. XXIII. 4. quod ligent, sed quod *adligent onera gravia & δυσβάστακτα, eademque imponant in humeros hominum*, quæ verba manifeste ostendunt, de qua adligatione hoc loco sit sermo. Sed illa significatio ex verbis Christi Matth. XVI. 19. & XVIII. 18. non potest elici; verum *ligare* ibi est impœnitentibus denunciata æternæ maledictionis sententia peccata retinere, ut ex circumstantiis textus & parallelis scripturæ locis intelligitur.

§. CCI. II.) Paulus 1. Cor. XI. 34. scribit: *Caetera, cum venero, disponam*, nimirum *ex potestate* divinitus data. 2. Cor. X. 8. &c. Ergo apostolus vindicavit sibi *potestatem absolutam* disponendi in ecclesia pro arbitrio. *Resp.* 1) Sermo ibi est non de dogmatibus fidei, in quibus potestatem aliquam sibi nuspiam arrogat apostolus; Act. XXVI. 22. Rom. XV. 18. 1. Cor. XI. 23. &c. sed de cerimoniis ac ritibus sua natura liberis ad εὐταξίαν & εὐσχημοσύνην ecclesiasticam facientibus. Præcedit enim: *Cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis vero esurit, domi manducet, ne in judicium conveniatis.* Ambrosius in comment. addit: *Caetera, quae*

2) *1. Cor. 11. 34. Caetera, cum venero, disponam.*

ad aedificationem ecclesiae pertinent. Chrysostomus hom. XXVIII. in 1. Cor. XI. *aut ad quaedam alia, aut ad hoc ipsum. Nam quoniam verisimile erat, eos & dicere causas aliquas, & non licebat omnia corrigere per literas, quae admonui,* (inquit) *interim ferventur. Si quid autem habetis aliud, quod dicatis, illud reservetur ad meum adventum, aut de hac redicens, ut dixi, aut de aliquibus aliis non valde urgentibus,* περὶ ἑτέρων τινῶν ἃ σφόδρα κατεπειγόντων. Jam vero in ordinationibus illis ecclesiasticis aliquam ministris potestatem esse datam non diffitemur. 2) Illud ipsum non potestate quadam αὐτοκρατορικῇ, sed consensu ecclesiæ accedente apostolus disponebat. 2. Cor. VIII. 8. ἃ κατ' ἐπιταγὴν λέγω, *non quasi imperans hoc dico.* 3) Inde etiam potestatem excommunicandi inesse fuosum nequaquam absque ecclesiæ Corinthiacæ consensu exercebat. 1. Cor. V. 4. *In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu,* v. 5. *statui tradere hujusmodi hominem satanae.* 4) Potestas igitur illa, quam divinitus sibi datam adserit, non ad destructionem sed ad *aedificationem*, 2. Cor. X. 8. XIII. 10. non est αὐτοκρατορικὴ & absoluta, sed *ministerialis* potestas a principatu & dominatu plane sejuncta.

3) *Pastores dicuntur praepositi.*

§. CCII. III.) Pastores ecclesiæ dicuntur προεστῶτες, quibus *exhibendus honor*, 1. Tim. V. 17. & ἡγούμενοι, quibus *obedientia praestanda.* Hebr. XIII. 17. Ergo competit illis dominatus & potestas αὐτοκρατορικὴ. Resp. 1) Προεστῶτες dicuntur ratione dignitatis, sed ipsi per humilitatem judicare debent sibi magis convenire, ut prosint, quam praesint. 2) Ἡγούμενοι itidem dicuntur ratione potestatis cujusdam, ea vero non est politica sed spiritualis; non αὐτοκρατορικὴ, sed ministerialis; non conscientiis vel fidei dominans, sed saluti hominum inserviens. 3) Hinc Christus ipse ἡγεμονίαν ecclesiasticam dominatui opponit, & per διακονίαν illam definit: Luc. XXII. 25. *Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent in illis, benefici vocantur.* v. 26. *Vos autem non sic; sed qui major est inter vos, fiat sicut junior, καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς διακονῶν, & qui antecessor est, sicut ministrans.* 4) Ἡγούμενοι vero dicuntur, quia non verbo solum, sed etiam vitæ exemplo auditoribus sese exhibere debent viæ duces, 1 Timoth. IV. 12. exemplo Christi, Joh. X. 4. quam rationem exponit epistola ad Hebr. XIII. 7. quia Deus πιστοὺς ἡγήσατο αὐτὸς, quibus *ministerium commendaret*, 1 Tim. I. 12. & quia πάσης τιμῆς ἄξιος ἡγεῖσθαι αὐτὸς convenit, 1 Tim. V. 17. ut superius §. 33. late expositum fuit.

§. CCIII. IV.) 1 Tim. V. 19. *Adversus presbyterum noli admittere accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ergo penes Timotheum fuit *potestas judicialis* cognoscendi adcusationes presbyteris intentatas, & judicium de illis ferendi. *Resp.* 1) Distinguendum inter ecclesiæ primitivæ & nostræ tempora. In primitiva ecclesia magistratus nondum erat christianus, ideo ad episcopum deferebantur querelæ de presbyteris; sed cum hodie per Dei gratiam magistratus ad fidem sit conversus, merito illi causarum civilium dijudicatio relinquitur. 2) Magistratus christianus constituit consistoria ecclesiastica: in quibus & ecclesiasticæ & politicæ personæ præsident, coram illis causæ ecclesiasticarum personarum tractantur, criminalibus ad forum politicum rejectis. 3) Aliud est *episcopalis audientia*, quæ per imperatores christianos episcopis fuit postmodum concessa, tot. tit. C. de episc. audient. Novell. de episc. judic. & Novell. 86. & 97. aliud potestas politica & αὐτοκρατορικὴ. Episcopalis enim illa notio sive audientia mitiori verbo sic dicta certis limitibus fuit restricta ac determinata, siquidem causas civiles duntaxat concernebat, dummodo sine sumtu & scriptura mature litem definirent. Si vero litigantes solemni processu coperent experiri, aut episcopus de causis cognoscere recusaret, coram judice civili litem intendere liberum erat. In criminalibus vero

4) *1 Tim. 5, 19. Adversus presbyterum noli recipere adcusationem.*

a ma-

a magistratu civili duorum mensium spatio causa erat expedienda, non poterat tamen clericus damnatus pœna civili adfici antequam ab episcopo exauctoratus esset. Sin vèro de ecclesiastico crimine, puta hæresi, simonia, usuris, perjurio clericus argueretur, cognitio pertinebat ad episcopos, in quibus exsequendi duntaxat partes judici civili datæ erant, postulante judice ecclesiastico, qua de re in tractatu de magistratu pluribus dicetur.

SECTIO II.

DE GRADIBVS MINISTRORVM ECCLESIÆ.

An sint gradus inter ecclesiae ministros?

§. CCIV. Disquisitio de gradibus & ordinibus ministrorum absolvitur hisce membris: 1) *An sint & esse debeant gradus inter ecclesiae ministros?* 2) *Qui & quot sint illi gradus?* Circa *prius* membrum notandum, quod & *adpellationum*, & *functionum* & *donorum* diversitas probet esse gradus inter ecclesiæ ministros. *Adpellationum* diversitas tum in veteri tum in novo testamento occurrit. In vet. testamento erat summus sacerdos, erant sacerdotes inferiores, erant levitæ illorum ministeriis deputati. Num. III. 1. In novo testamento Paulus hasce ministrorum distinctas adpellationes recensет: Eph. IV. 11. *Christus dedit alios quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem evangelistas, alios autem pastores ac doctores.* 1 Cor. XII. 28. *Alios quidem posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum.* v. 20. *Num omnes apostoli? num omnes prophetae? num omnes doctores? num omnes potestates?* v. 30. *Num omnes donum habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?* 1 Tim. III. 2. & 8. Tit. I. 7. *episcoporum & diaconorum* distincte fit mentio. Functionum diversitas ex definitione singulorum istorum ordinum postea erit tradenda. Donorum diversitas & scripturæ sacræ & experientiæ testimonio comprobatur Rom. XII. 6. 1 Cor. XII. 4. & seqq. 1 Petr. IV. 10. &c.

§. CCV. Dubium igitur esse nequit, tum in vet. test. tum in primitiva ecclesia apostolica fuisse gradus & ordines inter ecclesiæ ministros; sed, *an adhuc hodie inter evangelii ministros gradus esse debeant?* quæstionis est. Disserit hac de re latissime Hadrianus Saravia in tract. de diversis ministrorum gradibus, ejusque adversus Bezam defensione edit. Londini ann. 611. (*) Nos *ἀναρχίαν & ἀνασασίαν* tollentium ordinem ex ministerio ecclesiastico vehementer improbamus, cum sit fons discordiæ & omnis mali; retinemus autem in nostris ecclesiis & retinendum esse censemus ordinem inter ministros, ut alii sint *episcopi*, alii *presbyteri*, alii *diaconi &c.* 1) Deus ipse donorum varietate & differentia ordinem facit inter ministros; quæ donorum diversitas cum non solum in primitivæ, sed etiam hodiernæ ecclesiæ ministris animadvertatur, ideo in nostra quoque ecclesia debent esse ministrorum gradus. 2) exemplum apostolicæ & primitivæ ecclesiæ est *ἀξιομίμητον*. Sed in ea fuere distincti ministrorum ordines & quidem divinitus constituti. 1 Cor.

(*) Hugo Grotius piet. ord. Holland. p. 118. *Infirmitatem hanc Puritani putant esse magnam, quod ecclesiae regantur per episcopos. Quid boni multi in nostrae ecclesiae regimine desiderent, quibus modis putent vitia ad ἀναρχίαν accedentia commodissime posse sanari, differere hic non institui. Neque tamen me contineo, quin fontem & originem tum hujus tum aliorum κλημμάτων indicem. Existimamus, tanto nos puriores fore, quanto longius ab omnibus ecclesiae Romanae institutis recesserimus, nullo discrimine, neque volumus animadvertere, inter multos illius corporis morbos aliquas tamen manssisse sanioris aevi reliquias. Excessit medicina modum.* p. 120. *In synodo Emdana multa ministri de regendis ecclesiis decrevere. Primum caput est, ne ecclesia una in alteram dominatum exerceat, imo ut omnes a suspicione quavis & occasione dominatus sibi caveant. Quamquam autem episcopalis eminentia dominatus non est, his tamen vocibus eam indicari satis manifestum est.*

1 Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. 3) Omnia in ecclesia fieri debent εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1 Cor. XIV. 40. sed εὐταξία illa requirit ordinem inter ecclesiæ ministros, ne confusiones oriantur. In omni cœtu recte gubernando requiritur ordo eorum, qui præsunt, idem igitur in cœtu ecclesiastico requiritur. 4) Constitutio ordinis inter ecclesiæ ministros alit concordiam & unitatem, prohibet turbas ex φιλαυτίᾳ & ambitione inferiorum ministrorum metuendas, ac vinculum injicit temeritati eorum, qui ecclesiæ pacem turbare conantur. 5) Ex ordine & gradibus ministrorum hoc insuper nascitur commodi, quod probatis in ministeriis inferioribus prius possint, qui ad superiora evehendi sunt. 1 Tim. III. 13. οἱ καλῶς διακονήσαντες, βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται, in quæ verba sic commentatur Chrysostomus homil. XI. in 1 Tim. III. *Qui in his, quae inferiora sunt, diligentiam suam vigilantiamque monstraverint, facile & ad ea, quae superiora sunt atque excellentiora, pervenient.* Atque hoc in primitiva ecclesia diligenter fuit observatum, ut per gradus ad superiora ministeria fieret accessus. Gregorius Nazianzenus in vita Basilii de ipso testatur, quod *primum voluminum sacrorum lector in ecclesia exstiterit, deinde vero interpres & enarrator, demum in presbyterorum, & denique in episcoporum numerum cooptatus fuerit.* Idem etiam *legem nauticam* in ministrorum electione observandam esse dicit, *quae gubernatori futuro primum remos committit, deinde ad proram collocat*, sicut etiam in re militari ex milite primum fit centurio, & tum demum imperator. Cyprianus Aurelium quemdam illustri loco natum adolescentem Christi nominis confessorem egregium cum collegis suis *in lectorem primum ordinavit, etsi enim sublimiore gradu dignus esset, placuit tamen, ut ab officio lectoris inciperet*; lib. II. epist. V. 6) Quemadmodum *inter angelos* in ecclesia triumphante Deo servientes sunt certi gradus & ordines; Eph. I. 21. Col. I. 16. 1 Pet. III. 22. ita quoque inter ministros verbi in ecclesia militante Deo servientes gradus atque ordines esse convenit. c. ad hoc dist. 89. ex Bonifacio ad Eulalium: *Ad hoc dispensationis provisio gradus diversos & ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio & recte officiorum gereretur administratio singulorum, neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiae ordo servaret; quia vero quaeque creatura in una eademque qualitate gubernari vel vivere non potest, caelestium militiarum exemplar nos instruit, quia dum sunt angeli & archangeli, liquet, quia non sunt aequales, sed in potestate & ordine differunt alter ab altero.* (*)

Quae de gradibus ministrorum sint notanda.

§. CCVI. Monendum vero circa hosce ministrorum gradus: 1) potestatem ministerii & jurisdictionis distinguendam esse ab ordine, sive, ut quidam loquuntur, ab *ordinis potestate*. Quamvis enim diversi sint in ministerio ecclesiastico ordines; tamen *potestas ministerii* in prædicatione verbi & sacramentorum administratione, ac *potestas jurisdictionis*, in usu clavium consistens, omnibus ministris ex æquo competit, proinde verbum prædicatum, sacramenta dispensata, & absolutio adnunciata ab eo, qui legitime ad ministerium ecclesiasticum vocatus est, etiamsi is infimo ministerii gradu constitutus sit, tam valida sunt & efficacia, quam si a summo episcopo, propheta vel apostolo fuerint prædicata, dispensata & adnunciata. Vt enim donorum, ita quoque graduum diversitas non mutat doctrinæ & sacramentorum vim sive efficaciam. 1 Cor. III. 5. *Quid Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos ad fidem adducti estis, & unicuique sicut dedit Dominus.* v. 7. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed Deus,*

(*) Basilius in psalm. 33. *Quidam in ecclesia sunt velut oculi, ut seniores; quidam velut lingua, ut pastores; alii velut manus, ut diaconi; alii velut pedes, ut qui vilioribus ecclesiae ministeriis serviunt.*

Deus, qui incrementum dedit. 2 Cor. XII. 9. *Virtus Dei perficitur in infirmitate.* Gal. II. 8. *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est etiam mihi inter gentes.* 2) Diversitas illa graduum dependet quidem a jure divino, tum *ratione generis*, quatenus necessarium est ad εὐταξίαν & tranquillitatem in ecclesia, esse aliquos distinctos gradus; tum *ratione donorum*, quatenus Deus ipsa donorum varietate & diversitate declarat, velle se, ut distincti inter ministros gradus constituantur; tum *ratione quorumdam graduum* in specie, quatenus prophetarum & apostolorum munus a reliquis gradibus ipsemet distinxit, iisque praetulit; interim tamen *absolute & generaliter* de omnibus ecclesiasticis ministerii gradibus dici nequit, quod eorum institutio & distinctio ab institutione divina dependeat, siquidem gradus illi non sunt certo & necessario numero vel a Deo praescripti, vel ab apostolis usurpati, sicut sacramenta divina institutione & apostolorum praxi ad numerum binarium restricta sunt, sed ecclesiae libertas relicta est, pro ratione circumstantiarum, temporis scilicet & amplitudinis, in quovis coetu plures vel pauciores gradus inter ministros instituendi. 3) Nemo debet se ipsum ad superiora ecclesiae ministeria offerre, vel proprio arbitrio sese illis ingerere, sed exspectet, donec consentiente ecclesia, cumprimis vero presbyterii suffragio ad fastigium illud honoris evehatur. *Qui primatum in terra adpetit, confusionem in cælo invenit.* 4) Sedulo cavendum, ne *primatus ordinis* degeneret *in principatum potestatis.* Contigit illud in Romana ecclesia, cujus episcopis tum ob urbis, quae imperii sedes erat, celebritatem, tum ob praedecessorum in veritate constantiam & sanctitatem, tum ob martyrum frequentiam, tum ob communem illam veterum opinionem, quod a Paulo & Petro ecclesia illa sit plantata, primatus ordinis fuit olim delatus; sed is progressu temporis fuit mutatus in principatum potestatis, tandem plane degeneravit in tyrannidem, quidvis pro libitu statuentem & agentem. c. Primae sedis dist. 99. ex concilio Carthag. III. can. 26. *Primae sedis episcopus non adpelletur princeps sacerdotum vel summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primae sedis episcopus. Universalis autem nec etiam Romanus pontifex adpelletur.*

§. CCVII. Ad *alterum* disquisitionis institutae membrum: *Qui & quot sint ministrorum gradus?* non potest commodius responderi, quam si distincta ecclesiae tempora respiciamus. Quemadmodum enim ecclesia distinguitur in *ecclesiam veteris & novi testamenti*, ita quoque ministros ecclesiae distribuere possumus ratione ea, ut alii dicantur *ministri veteris, alii novi testamenti.* 2 Cor. III. 6. Veteris testamenti ministri subdividi possunt in eos, qui *ante Mosen* & solennem legis repetitionem ecclesiae praefuerunt, & eos, qui *post Mosen*, id est, post legis repetitionem & institutum cultum leviticum sacris ministeriis fuere initiati. Illi in duas iterum dispesci possunt classes, quidam *ante*, quidam vero *post diluvium* docuerunt. Vtrique tam vet. quam nov. testam. ministri ulterius distingui possunt in *ordinarios* sive perpetuos, & *extraordinarios* sive temporarios. *Gradus sacerdotum in vet. test.*

§. CCVIII. *Ante legem* per Mosen promulgatam & cultus levitici institutionem docendi munus ordinarie *a primogenitis familiarum* fuit administratum, inde Rubenum primogenitum suum Jacobus vocat *primum in donis*, id est, in sacrificiis offerendis, Gen. XLIX. 3. cui scilicet primogenitura ratione oblatio sacrificiorum & sacerdotium debebatur, nisi incestuosa pollutione se eo indignum reddidisset. Idem colligitur ex Gen. XXVII. 15. ubi Esavo primogenito tribuuntur *vestes sacerdotales*, quarum fragrantiam Isaacus sensit, v. 27. Cumprimis vero huc pertinet, quod Exod. XIX. 22. *primogeniti* dicuntur כֹּהֲנִים *sacerdotes*, nimirum quia sacerdotii dignitas ordinarie ad ipsos spectabat. Nec dubium, quin constitutio illa de sacerdotio primogenitis in qualibet familia committendo vel immediate ab ipso Deo fuerit *Ante legem Mosaicam.*

rit facta, vel ab Adamo Spiritus sancti instinctu probata, quamvis Moses in tanta brevitate nullam illius rei faciat mentionem. Respexit dubio procul illud διάταγμα ad Christum unicum novi testam. ἀρχιερέα, qui est *primogenitus Patris secundum divinam*, & *primogenitus matris secundum humanam naturam*, Ps. LXXXIX. 28. Col. I. 15. Hebr. I. 6. Matth. I. 25. Luc. II. 7 *primogenitus inter multos fratres*, Rom. VIII. 29. *primogenitus ex mortuis*. Col. I. 18. Apoc. I. 5. Cum enim Levitas, quibus postea ordinarium ministerium fuit commissum, loco primogenitorum ex populo Israel Deus elegisse dicatur, Num. III. 12. & vero sacerdotium leviticum, epistola ad Hebræos teste, sit typus Christi, ideo congruum veritati, quod primogeniti ante & post diluvium sacerdotio in qualibet familia fungentes typum gesserint Christi, unici illius in novo testamento sacerdotis. Primogeniti illi ecclesiæ per singulas familias tum temporis distinctæ sacrificiorum oblatione & doctrinæ prædicatione servientes dicebantur *patriarchae*, Act. VII. 8. Hebr. VII. 4. quasi dicas ἀρχοντες πατριῶν, ita enim exponunt patriarcharum nomen LXX. interpretes 1 Paral. IX. 9. ac cum Moses israeliticum populum convocaret, jamdum in certas πατριὰς sive familias erat distinctus, quibus præerant primogeniti ἄρχοντες πατριῶν propterea dicti Exod. VI. 25. Præter illos ecclesiæ per singulas familias distributæ doctores ordinarios Deus quosdam extraordinarie excitavit, quibus per adparitiones, visiones, somnia, angelicas ὀπτασίας &c. sese clarius patefecit, Spiritu prophetico illos implevit, donis peculiaribus exornavit, corruptelas doctrinæ illorum ministerio repurgavit, & præ reliquis ad fastigium auctoritatis in ecclesia extulit. Tales ecclesiæ ante Mosen collectæ doctores extraordinarii fuere, *Adam*, *Seth*, *Enos*, *Enoch*, *Noah*, *Sem*, *Abraham*, *Isaac*, *Iacob*, *Ioseph*; quibus per adparitiones divinas clarior lux cœlestis doctrinæ contigit, unde etiam κατ' ἐξοχὴν *patriarchae & prophetae* dicuntur. Vide plura de his superius §. 39.

§. CCIX. *Post solennem legis promulgationem* Israelitis ex ægyptiaca servitute eductis in monte Sinai per Mosen divinitus factam, *Post legis promulgationem.* instítutum fuit *levíticum sacerdotium*, in quo dignitas sacerdotii ad oriundos ex tribu Levi fuit translata, ut penes illos ordinaria & hæreditaria ea esset. Exod. XXVIII. 1. Num. I. 50. III. 6. &c. Hierarchia illa levitica distincta erat in tres ordines: unus enim inter Levitas erat *summus sacerdos*, Aaronis successor, caput & vertex totius hierarchiæ, illi suberant sacerdotes reliqui ex Aaronis posteris oriundi, *secundi ordinis* propterea dicti, quibus *Levitae* in sacrificiis & aliis divini cultus partibus expediendis ministrabant. Quamvis vero ex Dei instituto unus duntaxat esset summus inter omnes sacerdos, tamen adparet ex 2 Reg. XXV. 18. ipsi adjunctum fuisse collegam, qui ipso vel absente vel impedito partes muneris sustineret, qui ob id *sacerdos secundus* dicebatur, sic enim ibi loquitur Spiritus sanctus: *Tulit princeps militiae Serajam sacerdotem primum & Sophoniam sacerdotem secundum*; nisi velimus dicere, sacerdotis secundi nomen accipiendum pro eo, qui est *secundi ordinis*, additur enim, & janitores tres, scilicet ex tertio sacris operantium ordine, qui fuit Levitarum. Sed prior explicatio confirmatur ex eo, quod in prima statim levitici sacerdotii constitutione Aaroni, summo sacerdoti, conjungitur Eleazar, qui vocatur נָשִׂיא נְשִׂיאִי, *praelatus praelatorum*, *princeps principum Levi*, qui Aarone quidem erat inferior, interim reliquis Levitis omnibus superior. Num. III. 32. Summus sacerdos quædam officia habebat cum reliquis sacerdotibus communia, quædam vero propria & peculiaria. *Communia* erant, victimarum in altari holocausti oblatio, Lev. I. 9. pro peccatis populi in sacrificiorum oblatione deprecatio, Lev. IX. 7. solennis populi benedictio, Num. VI. 23. ignis perpetui in eodem altari per ligna subjecta conservatio, Lev. VI. 12. tymiamatis in altari ad id destinato incensio, quam bis quotidie, mane scilicet & vesperi, peragebat, Exod. XXX. 7. lucernarum in

candelabro aureo per olei adfusionem præparatio, Lev. XXIV. 2. panum propositionis singulis sabbatis facienda permutatio, Lev. XXIV. 8. vaccæ rufæ extra castra immolatio, Num. XIX. 3. ex cujus cineribus parabatur aqua lustrationis; mulieris de adulterio suspectæ in casu zelotypiæ adjuratio, Num. V. 11. lepræ a reliquis scabiei speciebus discretio, Lev. XIII. 2. leprosorum, puerperarum, menstruatarum ac seminifluorum mundatio, Lev. XII. 7. XIV. 2. XV. 14. &c. legis divinæ interpretatio & populi ex ea informatio, Mal. II. 7. tubarum in progressu ad bellum, in festis & neomeniis inflatio. Num. X. 8. XXXI. 6. *Propria* summi sacerdotis officia erant 1) publica totius populi ab omnibus immunditiis expiatio semel in anno peragenda, decimo scilicet die mensis septimi, in qua ἀρχιερεὺς sanctum sanctorum solennibus ritibus ingressus, & se & sacerdotes & totum populum expiabat. Levit. XVI. 2) Reliquorum sacerdotum consecratio: Num. VIII. 11. *Elevare faciet Aaron Levitas elevationem coram Domino, & erunt ad faciendum opus Domini*; ubi tamen monendum, quod in illa Levitarum consecratione non solius Aaronis, sed etiam Mosis opera intercesserit. Dicit enim Deus ad Mosen v. 13. *statues Levitas in conspectu Aaron & filiorum ejus, & elevare facies eos elevationem*; itemque quod filii Israel *posuerint manus suas super Levitas*, v. 10. ut intelligeretur, publico totius ecclesiæ nomine consecrationem illam fuisse factam. 3) Vltimæ sententiæ in controversiis forensibus pronunciatio; Deut. XVII. 12. ubi tamen notandum, quod sacerdoti conjungatur *judex*, & quod regula judicii statuatur lex divina, ne absolutam quamdam & αὐτοκρατορικὴν potestatem sibi datam existimaret. 4) Oraculi divini in causis dubiis interrogatio: Num. XXVII. 21. *Eleazar sacerdos consulet Dominum in judicio Vrim.* 1 Sam. XXIII. 9. David per pontificem Abiathar quærit a Deo, an in urbe Ceila commorari debeat? quo vero modo divina oracula pontifici fuerint reddita, de eo latissime ex Hebræis & recentioribus doctoribus differit P. Fagius in notis ad paraphr. chaldaic. Exod. XXVIII. Ceterum ut ab Aarone pontificum & sacerdotum, sic per reliquos Levi filios genus Levitarum est propagatum, qui in numerum sacris operantium cooptati, quod anno ætatis vigesimo quinto fieri consueverat, victimarum præparatione, vasorum custodia, purgatione & aliis operis sacerdotibus ministrabant, & hora sacrificii psalmos canebant: Numer. VIII. 24. *Hæc est lex Levitarum, a viginti quinque annis & supra ingredientur, ut ministrent in tabernaculo conventus.* v. 25. *Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt*, v. 27. *eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo conventus, ut custodiant, quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non facient.* Erant igitur Levitæ custodes & janitores, qui portabant arcam, velum, mensam, cortinas, tectum tabernaculi, tentorium, funiculos, vasa, tabulas, vectes, columnas, bases, & totam suppellectilem; distributi erant in tres familias, *Gersonitarum, Caathitarum ac Meraritarum*, ac singulis divino mandato adsignatum, quas sacræ supellectilis partes deberent portare; Num. III. & IV. sed jus sacrificandi non habebant. Num. XVIII. 3.

Ordines sacerdotum a Davide instituti.

§. CCX. Aucto & Israelitarum & Levitarum numero propheta regius David sacerdotes ex Eleazar & Ithamar Aaronis filiis prognatos in 24. *familias* sive classes distribuit, & ordinem earum sorte distinxit, ut singulis septimanis novi sacerdotes ex aliis familiis accederent, 1. Paral. XXIV. 4. 2. Paral. XXIII. 5. 2. Reg. XI. 7. cumque singulis sabbatis nova sacerdotum familia sacrorum ministerio adhiberetur, singulorum ministerio certi dies præscribebantur, unde Lucas I. 5. dicit, *Zachariam, baptistæ patrem, fuisse ἐξ ἐφημερίας Abia.* Singulis classibus præerant sacerdotes, qui שָׂרֵי הַכֹּהֲנִים, ἀρχιερεῖς, *principes sacerdotum*, שָׂרֵי הַמִּקְדָּשׁ, *principes sanctuarii vocabantur*, 1. Par. XXIV. 5. qualis sacerdotum princeps fuit Esdra. Esdr. VII. 6. Cumque Davidis tempore ministerium ferendæ ar-

cæ

cæ cessaret, Levitæ eo ordine ab ipso fuerunt distributi, ut alios statueret *sacerdotum & templi ministros*, alios *cantores*, alios *janitores*, alios *scribas*, alios *judices*. Sacerdotum & templi ministri aquam & ligna portabant ad tabernaculum, & decimas recipiebant, templum & vasa ejus purgabant, si quando contaminata forent, sacrificia sacerdotibus adducebant, & in horum pellibus detrahendis, inque aliis, quæ opus essent quotidie, aut sabbato, aut diebus festis eos adjuvabant, præcavebant insuper, ne quis impurus tabernaculum ingrederetur &c. Cantores psallebant hymnos sacros tempore sacrificii & voce & organis, videlicet tubis, cymbalis, psalteriis, citharis. Janitores ad januas templi excubabant, & sacras arculas observabant, quorum munus videtur fuisse reliquis omnibus inferius: Psalm. LXXXIV. 11. *Elegi ad limen sedere in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Scribæ describebant, legebant & interpretabantur sacras literas: Jer. VIII. 8. Judices dirimebant controversias. Levitis hisce ministrabant Nathanæi ex Gibeonitis propagati, qui ligna cædebant, & aquas hauriebant.

§. CCXI. Scribarum tria in sacris literis occurrunt genera. *Unum* eorum, qui regibus ministrabant, quodcunque tandem illorum munus fuerit, 2. Sam. IX. 3. XX. 25. 2. Reg. XII. 10. XXII. 3. hodie vocantur cameræ secretarii. *Alterum* eorum, qui privatorum contractus & instrumenta videntur descripsisse, quos notarios hodie vocamus, 1. Paral. II. 55. Psal. XLV. 2. Jer. XXXII. 11. cui rei operam solitos fuisse navare Cinæos, nullam alioquin hæreditatem cum tribubus sortitos, liquet ex 1. Paral. II. 55. De his duobus scribarum generibus hoc loco non agimus, sed de *tertio*, quod fuit eorum, qui divini juris inter ceteros periti tum in synagogis, tum in templo legem docebant, unde etiam νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι fuere dicti: Matth. VII. 29. VIII. 19. XXIII. 2. Marc. XII. 28. Luc. V. 30. XI. 44. &c. γραμματεῖς dicebantur, quia legi describendæ & interpretandæ vacabant, sacrarum tabularum custodes & interpretes. Jer. VIII. 8. Matth. XIII. 52. Vide Bezam in adnot. Matth. II.

§. CCXII. Ordinarie igitur ministerium ecclesiasticum a Mose usque ad Christum leviticis *sacerdotibus* fuit demandatum, sed quia illi in conservanda ac propaganda doctrinæ cœlestis sinceritate erant quandoque negligentes, quin & baaliticis, aliisve idololatricis cultibus eam contaminabant; ideo extraordinarie Deus vocavit *prophetas*, quorum ministerio corruptelæ abstergerentur, promissio de Messia repeteretur & illustraretur, atque ad pœnitentiam agendam pœnarum specialium comminatione homines invitarentur. Quamvis enim utrique tum sacerdotes tum prophetæ in docendi munere occupati essent, tamen alia erant differentiæ capita, quibus invicem distinguebantur, utpote 1) *Vocationis modo*: Sacerdotes per ordinariam successionem ministerium ecclesiasticum obtinebant; prophetæ per extraordinariam missionem, peculiari Spiritus sancti adflatu illi admovebantur. 2) *Origine*: Sacerdotes semper erant ex tribu levitica & quidem ex Aaronis posteritate; sed prophetæ etiam ex aliis tribubus divinitus excitabantur, ut constat exemplis Esaiæ, Danielis, Amos. &c. 3) *Officio*: Sacerdotum officium erat non tantum docere, sed etiam sacrificare; prophetæ vero docendi munere contenti partes sacrificandi nunquam adtingebant. Quod enim de Elia legitur, 1. Reg. XVIII. 38. ipsum aliquando *sacrificasse*, id fuit plane singulare & extraordinarium exemplum peculiari Dei instinctu ad convincendos baaliticos sacerdotes factum, unde etiam extra locum a Deo desinitum sacrificium illud oblatum fuit, quod alias severe prohibitum erat. 4) *Donorum mensura*: Sacerdotes non fuere instructi dono miraculorum nec scientia futurorum; sed prophetæ vel dono miraculorum, vel scientia futurorum, vel aliis peculiaribus & extraordinariis donis instructi fuere, unde vocantur *videntes*: 1. Sam. IX. 9. Deus enim ipsis loquebatur vel per visiones tum internas menti, tum externas oculis objectas, Jer. I. 11. Ezech. I. 1. &c.

Sacerdotum & prophetarum in V. T. discrimen.

5. &c. vel per somnia θεόπνευστα, vel per internum adflatum, vel per angelorum adparitionem, vel per familiarem adlocutionem: Num. XII. 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione adparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* v. 7. *At non talis est servus meus Moses.* v. 8. *Ore enim ad os loquor ei, adspectu, & non per aenigmata & figuras Deum videt.* 5) *Doctrinae certitudine*: Sacerdotes errandi periculo fuere obnoxii, ut ostendunt exempla Uriae, Passur &c. sed prophetae, utpote immediate a Deo adflati, in doctrina non errarunt, nec errare potuerunt. 6) *Duratione*: Sacerdotes fuerunt in populo israelitico usque ad Christum; sed prophetae a temporibus Samuelis usque ad Malachiam ultimum vet. test. prophetam floruerunt, Act. III. 24. post cujus tempora nullus amplius ad Israelitas missus fuit propheta. Monendum tamen hoc loco *prophetae* nomen quandoque ordinariis doctoribus ex tribu Levi oriundis tribui, ut adparet ex Jer. XXVI. 11. XXIX. 1. ubi sacerdotes & prophetae conjunguntur, ac nomine prophetarum videntur intelligi illi, quos paulo superius vocavimus scribas; sed ea ratione prophetarum nomen hic non accipimus, verum pro doctoribus extraordinarie & immediate a Deo vocatis, nec humanitus institutis, sed divina inspiratione illustratis, quorum seriem proposuimus §. XL.

Ministri ecclesiae in novo test.

§. CCXIII. Doctorum ecclesiae nov. test. ἔξαρχος & caput est Christus, qui propterea dicitur ἀρχιποιμὴν, *princeps pastorum*, 1. Petr. V. 4. ἀρχιερεὺς, Hebr. II. 17. &c. ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν, 1. Petr. II. 25. in quo typus sacerdotii levitici complementum suum obtinuit. Postquam enim in vet. test. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Deus olim locutus patribus per prophetas, novissime locutus est nobis per Filium*, Hebr. I. 1. *qui est in sinu Patris, ipse ἐξηγήσατο, enarravit, & expositi nobis consilium Dei* de salute nostra. Joh. I. 18. Is praecursorem sibi elegit Johannem baptistam, qui poenitentiae concione viam sibi pararet, de quo ipse testatur; Matth. XI. 11. *Non surrexit inter natos mulierum major Johanne baptista, qui autem minor in regno caelorum, major est illo.* Idem non solum duodecim apostolos, sed & septuaginta discipulos, in schola sua prius informatos, in civitates Judaeae misit, quos dono miraculorum instruxit, ut praedicationi evangelii fidem & autoritatem conciliarent, Luc. X. 1. ac post suam resurrectionem novis Spiritus sancti donis per adflatum collatis apostolos instruens mandatum illis dedit de praedicanda in toto terrarum orbe evangelii doctrina, Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. quin & denuo promissionem de miraculis ipsorum ministerio edendis repetivit, Marc. XVI. 16. atque hac ratione per immediatam vocationem, per potestatem & mandatum ubivis docendi, per privilegium infallibilitatis in doctrina, per miraculorum operationem reliquis nov. test. ministris ipsos antetulit, & in gradu ministerii summo, a se scilicet proximo, eos collocavit, unde Paulus dicit, 1. Cor. XII. 28. quod Deus constituerit in ecclesia πρῶτον ἀποστόλους, *primum* sive *primos apostolos.*

Ante Christi in caelos adscensionem.

§. CCXIV. Hic ergo ante Christi adscensionem inter ecclesiae nov. test. ministros fuit ordo: 1) *Christus*, ἔξαρχος, 2) *Johannes baptista*, 3) *duodecim apostoli*, 4) *septuaginta discipuli.* Post adscensionem Christi plures fuere inter ecclesiae ministros gradus atque ordines constituti, quod ipsum ut fiat evidentius, atque ut de ordinum istorum discrimine & officio plenius constet, conjungemus omnia scripturae dicta, quae de gradibus illis agunt. Eph. IV. 11. sic loquitur *apostolus*: *Christus* (ad dextram Patris caelestis per suam in caelos adscensionem evectus) *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores*; hoc est, Christus non solum in diebus carnis suae, sed etiam post glorioſam suam in caelos adscensionem distinctos inter ecclesiae ministros voluit esse ordines ac gradus; *ad consummationem scilicet sanctorum,*

rum, in opus ministerii, in aedificationem corporis sui mystici, quæ causa v. 12. subjungitur. 1. Cor. XII. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde charismata sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* v. 29. *Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes?* v. 30. *Numquid omnes charismata habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur?* Rom. XII. 7. *Si quis habet prophetiam; secundum analogiam fidei, sive ministerium, in ministrando, sive qui docet, in doctrina,* v. 8. *sive qui exhortatur, in exhortando*, scilicet diligens sit, fidelis & industrius. Phil. I. 1. *Omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis.* 1. Tim. III. 2. *Oportet episcopum esse irreprehensibilem unius uxoris maritum &c.* v. 8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues.* Tit. I. 5. *Ideo reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, & constituas oppidatim presbyteros.* v. 7. *Oportet enim episcopum esse irreprehensibilem.* 1. Petr. IV. 11. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, si quis ministrat, ministret tanquam ex viribus, quas suppeditat Deus.* Act. VI. 3. constituuntur *diaconi, qui ministrent mensis.* Gal. VI. 6. *Qui catechizatur, communicet τῷ κατηχοῦντι in omnibus bonis.*

Post Christi adscensionem.

§. CCXV. Ex his scripturæ dictis colliguntur sequentes ordinum & graduum inter ecclesiæ apostolicæ ministros divisiones: 1) Quorumdam vocatio fuit *immediata*, & nulli certo loco adligata, utpote apostolorum, prophetarum & evangelistarum: quorumdam vero vocatio fuit *mediata*, & ministerium certorum locorum, utpote episcoporum, presbyterorum, pastorum, doctorum &c. 2) Quidam ordines fuere *certi temporis*, qui ecclesiæ fundationi peculiariter fuerunt destinati, ideo etiam ecclesia constituta exspirarunt, utpote munus apostolorum, prophetarum, evangelistarum, dona sanationum, virtutes, genera linguarum: quidam vero *perpetui* sunt in ecclesia, qui ecclesiæ pleniori ædificationi & consummationi inserviunt, quorum officium usque ad Christi adventum extenditur, ut episcopi, presbyteri, pastores, doctores, diaconi. 3) Eorum, qui functiones ecclesiasticas gerunt, quidam statuuntur *docentes*, quidam *ministrantes*. Illis tribuitur προφητεία, his διακονία Rom. XII. 7. Illorum nomine intelliguntur, qui in docendo & exhortando, vel, ut apostolus 1. Tim. V. 17. loquitur, *in verbo laborant*, tales sunt episcopi, presbyteri, pastores, doctores: horum vero nomine intelliguntur, qui aliis in rebus, utpote in eleemosynarum distributione, morum censura, pauperum & ægrotorum cura ecclesiæ serviunt, *diaconi* peculiariter appellati. Act. VI. 3. Rom. XVI. 1. &c. 4) Ministerium ecclesiasticum respectu eorum, circa quæ occupatur, est vel *internum* vel *externum*. *Internum* in prædicatione verbi & administratione sacramentorum occupatur, eo funguntur pastores, qui laborant in verbo. *Externum* duplex est, aut enim *externam ecclesiae œconomiam*, aut ejusdem *externam politiam spectat*. Illo funguntur, qui ærario ecclesiastico & bonorum ecclesiasticorum administrationi præsunt, tales olim erant diaconi, Act. VI. 3. Hoc vero administrant, qui morum censuræ & regendæ disciplinæ vacant, tales olim erant presbyteri sive seniores. Huc pertinet illud Basilii in Psalm XXXIII. ubi quatuor gradus ministrorum constituit, quod scilicet alii sint in ecclesia *instar oculorum*, ut seniores, alii *instar linguae*, ut pastores, alii *tanquam manus*, ut diaconi, alii *tanquam pedes*, vilioribus ecclesiæ ministeriis addicti. Videamus de singulis ordinibus in specie.

Apostoli.

§. CCXVI. I.) Apostoli fuerunt *primarii* ecclesiæ nov. test. doctores immediate a Christo vocati, & in schola ejus peculiariter instituti, qui primo quidem ante Christi passionem & resurrectionem ad Israelitas tantum ablegati fuerunt, ut præconio evangelii ipsi viam pararent; Matth. X. 6. sed post resurrectionem Christi acceperunt

runt mandatum de prædicando evangelio per totum terrarum orbem, Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. ac promissionem de collatione peculiarium Spiritus sancti charismatum, Act. I. 4. per quam sint *induendi virtute ex alto*, Luc. XXIV. 49. itemque de potestate edendi miracula ad doctrinæ evangelicæ confirmationem. Marc. XVI. 17. Hæc promissio impleta fuit in ipsis die pentecostes, in quo visibili Spiritus sancti effusione ad summum apostolatus officium solenniter fuere inaugurati, Act. II. 1. redintegrata prius sancta ipsorum decade per Matthiam in locum Judæ proditoris sortis judicio electum, Act. I. 26. & postmodum extraordinarie adjuncto ipsis Paulo, electo illo Christi organo, Act. IX. 15. qui se passim vocat *apostolum*, Rom. I. 1. 1. Cor. I. 1. &c. *ac minimum apostolorum*, 1. Cor. XV. 9. 2 Cor. XII. 11. notanter dicit, οὐδὲν ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. Sed & Barnabas apostolorum ordini accensendus quibusdam videtur. 1) Quia Act. XIII. 2. immediata Spiritus sancti vocatione ad partem quamdam muneris apostolici una cum Paulo segregatur. 2) Quia Act. XIV. 14. æque ut Paulus vocatur *apostolus*. 3) Quia conventione inter apostolos facta functionis apostolicæ partes ea ratione sunt distributæ, ut Jacobus, Petrus & Johannes inter Judæos, Paulus autem & Barnabas apostolatu fungerentur inter gentes. 4) Quia Spiritus S. nomen Barnabæ apostoli Pauli nomini præmittit; Act. XIII. 7. XIV. 14. XV. 12. sed in numerum evangelistarum rectius refertur iste Barnabas, quam apostolorum, cum segregatio illa per Spiritum S. facta Act. XIII. 2. non fuerit prima & immediata Barnabæ vocatio, sed duntaxat ad certum locum destinatio: generaliori igitur significatione nomen *apostoli* accipitur, quando Barnabæ tribuitur, quod Paulo apostolo præponitur, inde est, quia prior fuit ad Christum conversus. Act. IX. 27. Hi apostoli per immediatam vocationem, mandatum ubique docendi & potestatem miraculorum constituti fuere spirituales architecti, qui ædificium ecclesiæ nov. test. ministerio suo inter omnes gentes fundarent. 1. Cor. III. 10. *Secundum gratiam, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat.* Rom. XV. 20. *Sic praedicavi evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem.* v. 21. *Sed sicut scriptum est: quibus non est adnunciatum de eo, videbunt, & qui non audient, intelligent.* Inde est, quod Justinus in dial. cum Tryph. p. 202. Tertullianus lib. IV. adverf. Marcion. pag. 293. conferunt apostolos cum duodecim filiis patriarchæ Jacobi. Quemadmodum enim ex Jacobi filiis Israelitæ in vet. test. propagati fuere, ita apostolorum ministerio spirituales Israelitæ in nov. test. ex omnibus gentibus in Christi regnum fuere collecti. Weidnerus in locis fid. christ. præcipuis tract. I. p. 115. ex veteribus plures colligit typos, quibus duodenarius apostolorum numerus existimatur præfiguratus: *Duodecim illi apostoli* (inquit) *praefigurati fuere per duodecim fontes in Elim*; Exod. XVI. *per duodecim gemmas in veste sacerdotis, ac per duodecim tintinnabula e veste talari pontificis suspensa*; Exod. XXVIII. *per duodecim panes propositionum*; Lev. XXIV. *per duodecim exploratores in terram Canaan ablegatos*; Num. XIII. *per duodecim viros de duodecim tribubus Israel a Josua electos*; Jos. III. *per duodecim lapides de medio Jordanis sublatos*; Jos. IV. *per duodecim lapides altaris*; Jos. XVIII. *per duodecim praefectos Salomonis*; 1. Reg. IV. *per duodecim boves mare aeneum sustentantes*; 1. Reg. VII. *per duodecim portas civitatis propheticae*; Ezech. XLVIII. *per duodecim gemmas in corona mulieris*; Apoc. XII. *per duodecim fundamenta caelestis Hierosolymae*; Apoc. XXI. quorum typorum adplicationem ostendimus in postill. eccles. in festo Andreæ. Irenæus libr. III. cap. 16. p. 201. vocat eos *veritatis praedicatores & apostolos libertatis*; & in præfat. lib. IV. p. 232. *speculatores & ministros veritatis.* Rationem adpellationum exponit lib. III. cap. 1. p. 169. *Non per alios* (inquit) *dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei volun-*

luntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostrae futurum. Respicit Irenæus dubio procul ad Eph. II. 20. ubi *exstructi* dicimur *super fundamentum prophetarum & apostolorum*; itemque ad Apoc. XXI. 14. ubi *murus civitatis sanctae dicitur habere fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina apostolorum agni*, quia apostoli utpote immediato Spiritus sancti adflatu ducti habuerunt privilegium non errandi, ideoque doctrina ipsorum est θεόπνευς & ἀνυπέυθυνος, juxta quam veluti canonem ac regulam omnes reliquæ doctrinæ exigendæ & examinandæ. Dicuntur apostoli, id est, missi sive *legati* κατ' ἐξοχὴν quia peculiari mandato & promissione instructi ad fundandas ac plantandas in toto orbe ecclesias fuere a Christo ablegati: Joh. XX. 21. *sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Ut ergo Christus propter suam a Patre in mundum missionem vocatur ἀπόστολος, Hebr. III. 1. ita quoque primarii illi ecclesiæ in nov. testam. ministri propter immediatam suam a Christo missionem apostoli dicuntur. Quandoque tamen *apostoli* nomen generalius accipitur pro quibusvis ecclesiæ doctoribus a Christo missis, licet non immediate, nec ad summum illud apostolatus officium. Rom. XVI. 7. Andronicus & Iunias dicuntur ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, *insignes inter apostolos*, quamvis etiam reddi posset, apud apostolos (*), ut retineatur propria significatio Phil. II. 25. *Necessarium existimavi mittere ad vos Epaphroditum, cooperarium & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum*; ubi notandum, Epaphroditum non vocari absolute & simpliciter apostolum, sed cum adjectione *Philippensium* apostolum, nimirum quia una cum Paulo doctrinam christianam illis tradiderat (**). Eodem sensu a quibusdam accipitur illud Pauli 2. Cor. VIII. 23. *sive pro Tito, sive fratres nostri apostoli ecclesiarum.* (***)

§. CCXVII. Quæritur hoc loco 1) *An Petrus fuerit caput ac princeps apostolorum*, cui specialis primatus ac principatus in reliquos apostolos a Christo sit datus? Affirmant pontificii, (*) non tam de Petro quam de papa, quem Petri in monarchico illo primatu successorem fingunt, hac in parte soliciti. Bellarminus libr. I. de pontifice Rom. cap. 10. *Affirmant* (inquit) *catholici, Petrum apostolum fuisse*

1) *An Petrus fuerit apostolorum princeps?*

(*) Haec posterior interpretatio priori praeferenda videtur, scilicet verba apostoli nihil aliud innuunt quam hoc, quod *Andronicus* & *Junias* fuerint *noti inter apostolos*, i. e. quod insignia illorum in ecclesiam merita apostolis propriae dictis cognita satis fuerint atque perspecta.

(**) Alii tamen haec verba gentium apostoli, quae *Phil. II. 25.* exstant, non de *doctore* Philippensium, sed de *legato*, qui a Philippensibus ad Paulum missus sit, praeeunte Theodoreto, exponere malunt.

(***) In hocce effato Paulino vocem istam *apostoli* in *latiori* sensu accipi, nemini facile potest esse dubium.

(*) Copiosius de hocce argumento contra pontificios disputat Gerhardvs noster in *confessione catbol. libr. II. art. III. cap. 2. p. 531. seqq.* Jungi tamen merentur ex nostris theologis Dannhavervs in *bodomoria spiritus papaei, phantasm. II. p. 570. seqq.* itemque *in anti-Christosoph. sect. II. art. VIII. p. 811. 814. 857. 866.* Scherzervs in *anti-Bellarmino disp. IV. thes. II. p. 221. & thes. III. p. 236.* Calovivs in *mataeol. pap. sect. I. quaest. 12. & 13. p. 26. seqq.* & Qvenstedivs in *syst. theol. part IV. cap. XV. quaest. V. p. 1661. seqq.* nec non ex coetus reformati doctoribus Chamiervs in *panstrat. catbol. libr. XI. XII. p. 192. 242. libr. XIII. cap. IV. p. 248.* Rivetvs *tom. III. oper. f 117.* Franc. Tvrretinvs in *theolog. elenct. part. III. loc. XIII. quaest. XVIII. p. 173.* & vel maxime Abrah. Rambvrtivs in tribus disput. *de monarchia totius ecclesiae, quae statuitur in Petro constituta.* Exstant istae disputationes in *thesauro disput. Sedanens. vol. II. p. 645.* Fuerunt quoque ex ipsis ecclesiae Romanae sectatoribus, qui Paulum non minus, quam Petrum, ecclesiae christianae caput fuisse contenderunt. Fecit id cumprimis Antonivs Arnaldvs, theologus Gallus, Jansenii partibus addictissimus, qui in praefatione libri *de la frequente communion* §. 6. Petrum & Paulum disertis verbis *duo ecclesiae capita* adpellavit, eandemque sententiam in tractatu suo posteriori Parisiis MDCXLV. 8. edito, qui inscribitur: *la grandeur de l'église Romaine établie sur l'autorité de S. Pierre & Paul*, denuo propugnavit. Insurrexerunt vero mox contra eundem Petr. a S. Joseph, congregationis b. Mariae Fulien sis theologus, Isaacvs Harbertvs, ecclesiae Parisiensis presby-

fuisse totius ecclesiae caput, & principem loco Christi ab ipso Christo institutum, est enim revera non simplex error, sed haeresis, negare b. Petri primatum a Christo institutum. Hanc sententiam confirmare nititur *primo* ex duobus evangelii locis Matth. XVI. *Tu es Petrus & super hanc petram &c.* Joh. XXI. *Petre, pasce oves meas, deinde* ex *plurimis Petri privilegiis & praerogativis, tertio* ex *veterum testimoniis.* Sed Petrus non est alio modo ecclesiae fundamentum, quam quo modo etiam reliqui apostoli dicuntur ecclesiae fundamenta, Apoc. XXI. 14. Eph. II. 20. nimirum ratione doctrinae de Christo, qui est unicum ecclesiae fundamentum, teste Paulo, 1. Cor. III. 11. & ipsomet Petro 1. epist. II. 4. & seqq. Nec alias claves accepit Petrus, quam quas reliqui etiam apostoli acceperunt. Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 23. Nec aliud mandatum pascendi oves Christi accepit Petrus, quam quod reliquis etiam apostolis datum de praedicando evangelio in toto terrarum orbe. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Praerogativae & privilegia, ut & veterum testimonia nihil aliud probant, quam primatum ordinis, qui a primatu monarchicae potestatis tantum differt, quantum summum coelum ab infima terra. Opponimus autem pontificio somnio de monarchica Petri in reliquos apostolos potestate: 1) *Christi διάταγμα.* Cum Luc. XXII. 25. contentio inter apostolos orta esset, quisnam eorum videretur major? ibi Christus nequaquam ad Petrum illos remittit, sed ab arrogando dominatu omnes arcet: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Quodcunque Christus diserte prohibet, id Petro nequaquam tribuendum. Sed Christus diserte prohibet monarchicum inter apostolos dominatum. Ergo &c. 2) *Christi honorem proprium*: Quod uni & soli Christo convenit, id Petro adsignari haudquaquam debet. Sed monarchicus in apostolos & ecclesiam dominatus soli Christo convenit; ipse constitutus est a Patre coelesti *rex* super Sion ecclesiae: Psalm. II. 6. ipse est solus nov. test. ἀρχιερεύς: Hebr. VII. 21. ἀρχιποιμήν sui gregis: Joh. X. 14. 1. Petr. V. 4. ipse est *unicus magister noster*: Matth. XXIII. 8. ipse solus ecclesiae *sponsus*: Joh. III. 29. *fundamentum*: 1. Cor. III. 11. *caput*: Col. I. 18. haec igitur dignitas & potestas monarchica Petro

ter, doctor Sorbonicus, ac complures alii coetus Romani doctores, quorum indicem dedit THOMAS ITTIGIVS in peculiari dissertatione *de origine controversiae circa aequalem Petri & Pauli primatum &c.* quae in *heptade dissertationum* ejus, *adpendici dissertationis de haeresiarchis seculi apostolici* &c. subjuncta exstat *p. 401. seqq.* Ex recentissimis scriptoribus, qui de hocce argumento contra ARNALDVM disputarunt, eminet VINCENTIVS LVDOV. GOTTI, ordinis praedicatorum, ecclesiae Romanae cardinalis, in libro, cui titulus: *veritas religionis christianae ex devictis haeresibus demonstrata &c. tom. III. cap. CXVIII § IV. p* 472. edit. Venetae, quae MDCCL. Venetiis typis fuit exscripta. Ipse quoque INNOCENTIVS X. ecclesiae Rom. praesul, sententiam hanc de aequali Petri & Pauli dignitate peculiari decreto d. XXIV. Jan. MDCXLVII. edito ut haereticam damnavit; prout patet ex *indice librorum prohibitorum*, qui jussu ALEXANDRI VII. editus est, *p. 252.*

Nec praetermittendum hoc est, quod in imaginibus antiquis, itemque in bullis plumbeis pontificum Romanorum, Paulus positus conspiciatur ad dexteram, Petrus autem ad sinistram. Atque hunc ipsum ritum collocandi imagines duorum apostolorum, antiquissimum esse, testatur FRANCISCVS MVCANTIVS, qui olim apud GREGORIVM XIII. P. R. *caerimoniarii*, ut vocant, munere functus est. Vid. JANNINGVM in *actis sanctor. tom. VII. Junii, auctario I. ad appsidem antiquam Vaticanam p. 102.* Ex quo omnino colligi posse videtur, Paulum Petro non tantum aequalem, sed & superiorem dicendum esse. Aft varia ratione ex hac difficultate, quae magnam habere videtur speciem, se extricare conantur, qui solius Petri primatum tuentur. Diversa eorum hanc in rem cogitata expofuit LEO ALLATIVS *cap. VI. libr. I. de concord. ecclesiae orient. & occident.* Conferenda, tamen quae de hocce argumento scripserunt cardinalis GOTTI *loc. cit. p. 472.* & ante eum THEOPH. RAYNAVDVS, *tom. X. oper. p 224.* & PETR. DE MARCA, archiepiscopus quondam Parisiensis, in *exercitat. de singulari primatu Petri*, quae ejus *opusculis* a BALVZIO, Parisiis MDCLXXXI. junctim editis, *p. 53. seqq.* inserta est, §. XXI. XXII. *p. 70. seqq.* quibus ex protestantibus ITTIGIVS *loc. cit. p. 498. seqq.* atque ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, theologus olim Gothanus, in *der Belehrung vom Vrsprung und Wachstum des Pabstums cap. IV. §. V. p. 119. seqq.* addi merentur.

tro tribui non debet. 3) *Ipsius Petri verba & facta*: 1. epist. V. 1. vocat sese συμπρεσβυτέρον, *conseniorem & testem passionum Christi & ejus, quae in futuro revelanda est, gloriae participem*; v. 3. prohibet, ne presbyteri *dominentur clero*; absit vero, ut id dicamus a Petro fuisse factum, quod, ne ab aliis ecclesiæ presbyteris fieret, tam diligenter prohibuit. Act. VIII. 14. patitur se *ablegari in Samariam* una cum Johanne tanquam coæquali in apostolatu. Act. XI. 3. patitur *se adcusari*, quod ad gentes fuerit ingressus, & ut coæqualis sese purgat. Gal. II. 14. patitur se a Paulo *reprehendi*; v. 9. dat eidem *dextram societatis*, δεξιὰν κοινωνίας. 4) *Reliquorum apostolorum testimonia*: 1. Cor. I. 12. reprehendit Paulus Corinthios, quod quidam dicerent, *se esse Apollo*, alii *se esse Cephae*, ac III. 5. addit, *quid Apollo? quid Paulus? ministri ejus, cui credidistis*. Gal. II. 9. *primarios* apostolos, ὑπὲρ λίαν ἀποστόλους, enumerans, non solum Petrum nominat, sed Jacobum & Johannem illi adjungit, nec solum Petrum, sed etiam Jacobum & Johannem *pro columnis* habitos fuisse adfirit, quin & Jacobum primo loco ponit, imo diserte addit, 2. Cor. XI. 5. *se nullo ex omnibus apostolis inferiorem esse*, quod cum monarchico Petri primatu nunquam conciliari poterit. Gal. II. 7. dicit, *concreditum sibi esse evangelium in praeputium, sicut Petro in circumcisionem;* ubi in ministerio evangelii & apostolatus munere sese Petro confert: v. 14. reprehendit Petrum, quod *non ambulet recto pede ad veritatem*, sed tale quid non fuisset ausus facere, si monarchicus dominatus a Christo illi fuisset adtributus. Ambrosius in comment. Gal. II. *Quis auderet Petro primo apostolo, cui claves regni cœlorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis fiducia electionis suae sciens se non imparem.* 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. hierarchiam ecclesiæ ex professo recenset; nullum autem verbum facit de quodam monarcha reliquis apostolis ac toti ecclesiæ præfecto. Atqui si præter munus apostolicum aliquod sublimius Petro concreditum fuisset, Paulus ibidem id haudquaquam reticuisset. Eusebius libr. II. hist. eccles. cap. 1. ex libr. VI. hypotyp. Clementis adlegat locum: *Petrus & Jacobus & Johannes post adsumtionem salvatoris quamvis ab ipso fuerint omnibus pene praelati, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur Justus, Hierosolymitanorum* (quædam exemplaria legunt, apostolorum) *episcopum constituunt.* Origenes homil. I. in Matth. *Num putas soli Petro claves regni cœlorum datas esse? minime vero, quia* Joh. XX. *ad omnes dicit*: Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remissa erunt; *quasi omnibus talibus constitutis, qualis erat & Petrus.* Cyprianus tract. III. de simpl. prælat. p. 113. *Hoc erant utique & ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti & honoris & potestatis.* Ambrosius de incarn. Domin. sacram. cap. 4. circa finem, primatum *confessionis, non honoris; fidei, non ordinis Petro* adsignat; ubi per primatum ordinis & honoris intelligit eum, qui includit primatum potestatis. Hieronymus libro I. contra Jovin. *Ecclesia super omnes apostolos fundatur, & cuncti claves regni cœlorum acceperunt, & ex aequo super omnes ecclesiae fortitudo solidatur.* Leo serm. I. de natal. apostol. *hos* (Petrum & Paulum) *gratia Dei in tantum apicem inter omnia ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis ac virtutibus nihil diversum, nihil sentire debemus discretum, quia illos & electio pares & labor similes & finis fecit aequales.* Theophylactus in Gal. III. de Paulo dicit: *hic in propatulo collocat, se ejusdem esse cum Petro pretii & honoris.* c. Paulus 2. q. 7. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.* c. Beati; eadem: *Beati Petrus & Paulus eminent inter universos apostolos & speciali quadam praerogativa praecellunt, verum inter ipsos quis cui praeponatur, incertum est, puto enim illos aequales etiam meritis, qui aequales sunt passione &c.* Polyd. Virgilius lib. IV. de rer. invent. cap. 6. *Exstiterunt, qui contendunt Petrum in omnes*

apostolos jus habuisse, de qua re nostrum non est quidquam decernere, qui sacerdotii originem tantum quaerimus, tametsi contra nonnulli aliter censent, quia id videtur apostolus 2 Cor. X. *negare scribens*: Nam etsi amplius quidquam gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus, non erubescam; *non enim dicit, quam dedit Petrus, sed quam dedit Dominus.*

2) *An apostoli privilegio non errandi fuerint instructi?*

§. CCXVIII. Quaeritur II) Quomodo cum privilegio non errandi apostolis dato consistat, quod apostoli post primam suam ad Israelitas legationem *errore de mundano Christi regno* adhuc fuere implicati? Matth. XX. 24. Luc. XVIII. v. 33. Act. I. 6. quod Petrus in specie Christum *a passione adeunda dehortatur*? Matth. XVI. 22. quinimo etiam post acceptum Spiritus sancti donum *dubitat de discrimine ciborum* in novo testamento sublato, Act. X. 14. ac subtrahens se a conversis ex gentibus *non recto pede ambulat ad veritatem*, cogit gentes judaizare, ideoque ut reprehensibilis à Paulo corrigitur? Gal. II. 11. *Resp.* distinguendum 1) inter statum & ordinationem apostolorum, qualis fuit *ante collatum Spiritum sanctum, & post acceptum illius donum.* Ante collatum illis Spiritum sanctum fuerunt adhuc erroribus obnoxii, & laborarunt quarundam doctrinæ cœlestis partium insciti; sed post acceptum Spiritus sancti donum in omnem veritatem fuere perducti, luce cognitionis e supernis collustrati, ac privilegio non errandi divinitus donati: Joh. XVI. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare.* v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* An vero in prima sua ad Israelitas legatione fermentum præconceptæ illius erroneæ opinionis de regno Christi terreno præconio evangelii commiscuerint; an contra speciali quadam Spiritus sancti directione doctrinam evangelii ab illo fermento puram auditoribus propoluerint? ex scripturis certo colligi nequit. Si vel maxime aliquid fermenti & stipularum admixtum fuisse statuatur, id tamen saluti credentium per prædicationem ipsorum promovendæ haudquaquam obfuit, gratiæ divinæ beneficio caliginem illam sensim per uberiorem Spiritus sancti illustrationem dispellente, fermentum expurgante, & stipulas errorum admixtas igne tentationis expurgante. 2) Distinguendum etiam inter apostolorum *conversationem* atque *earumdem praedicationem & scriptionem*, inter *infirmitates vitae & errores doctrinae*; infirmitatibus & lapsibus vitæ adhuc obnoxii fuere apostoli post acceptum Spiritum sanctum, nequaquam vero erroribus doctrinæ. Sane quidam veterum comminiscuntur, Cephan illum, cujus mentio fit Gal. II. 11. non fuisse Petrum apostolum, sed alium quemdam ecclesiæ doctorem ex 70. discipulorum numero. Verum circumstantiæ textus, cumprimis vero historia actorum apostolicorum ostendunt contrarium. Hieronymus in comment. κατὰ πρόσωπον accipit pro eo, quod est *non ex animo*, sed ut iis, qui aderant, speciem reprehensionis exhiberet, ut *Petri simulatio, quam videbat noxiam fore gentibus, simulata reprehensione corrigeretur.* Verum Augustinus libr. de agone christiano cap. 30. rectius censet, seriam fuisse illam reprehensionem, & factum illud Petri *superstitiosam simulationem* adpellat, reliquis illius peccatis diffidentiæ, pugnæ, abnegationis eam accensens: ideoque illud: *secundum faciem*, interprete Luthero in comment. fol. 37. significat *coram, in os*, quia Paulus in conspectu totius ecclesiæ Petro restitit, quo modo ipse apostolus hanc phrasin exponit, quando per æquipollentem locutionem addit, quod Petrum reprehenderit ἔμπροσθεν πάντων, *coram omnibus.* 3) Distinguendum inter *simulationem* sive errorem Petri *directe & in se* consideratum, & inter eumdem *indirecte ratione eorum, quae per consequentiam ex eo deduci poterant*, spectatum. Error Petri directe ac per se consideratus non est in capite quodam doctrinæ, sed in conversatione vitæ; non in ipso dogmate libertatis christianæ, sed in ejusdem legitimo usu. Noverat Petrus divina visione

fione edoctus, legem leviticam, & consequenter etiam discrimen ciborum in nov. testam. sublatum esse; noverat licere cibum capere cum christianis ex gentilismo citra susceptam circumcisionem conversis absque levitici illius ciborum discriminis observatione, quod ipse fecerat in ædibus Cornelii, Act. X. & hoc factum suum contra alios defenderat, Act. XI. quin imo paulo ante, quam venirent a Jacobo missi, cum gentibus conversis cibum sumserat, Gal. II. 5. noverat insuper, observatione circumcisionis & rituum Mosaicorum neminem justificari, Act. XV. 10. ergo in doctrina de libertate christiana & de justificatione directe & per se nequaquam erravit. Quod vero Paulus adserit, ipsum *non recto pede incessisse ad evangelicam veritatem*, id spectat doctrinæ adplicationem atque praxin, quod in usu libertatis christianæ offendebat, & tale quid agebat, ex quo indirecte articulus de libertate christiana & justificatione gratuita convelli videbatur. Quia enim præsentibus Judæis a Jacobo missis subducebat se a conversatione cum conversis gentibus, ex eo in animis illarum nascebatur suspicio, quasi Petrus pseudoapostolorum dogmati in utroque articulo adplauderet. Hunnius in comment. Gal. II.

5) *An apostolatus adhuc vigeat in ecclesia?*

§. CCXIX. Quæritur III) *An apostolatus adhuc vigeat in ecclesia?* Pontificii statuunt, papam in apostolatu succedere Petro, apostolorum capiti. Sic enim scribit Bellarminus lib. I. de Rom. pontif. cap. 11. *apostolos fuisse fundamenta ecclesiae, tribus modis intelligi potest;* primo, *quia primi ecclesias ubique fundarunt*; secundo *ratione doctrinae a Deo revelatae*; tertio *ratione gubernationis, quatenus fuerunt capita, rectores & pastores ecclesiae universae. Prioribus modis omnes apostolos ex aequo fuisse fundamenta*, adserit; *sed modo ultimo solum Petrum fuisse fundamentum, scilicet ut pastorem ordinarium ac caput apostolorum, atque ea ratione pontificem Romanum Petro successisse.* Libr. II. de pontif. cap. 12. disputat, in *apostolatu tria considerari*: primo *immediatam vocationem*; secundo *facultatem novarum ecclesiarum condendarum*; tertio *summam potestatem in omnes ecclesias;* ex his tribus pontificem Romanum solum *secundum & tertium* accepisse, & in eo Petro successisse. Atquisi omnes apostoli acceperunt summam potestatem in omnes ecclesias, quomodo solus Petrus fuit ecclesiæ monarcha accepta in omnes ecclesias summa potestate? Regerit quidem Bellarminus, *in Petro fuisse hanc potestatem ordinariam, in aliis apostolis delegatam*; sed manifeste petit principium, cum omnes apostoli ex æquo a Christo mandatum & potestatem acceperint, cumque summa potestas non possit esse delegata. Si tria sunt in apostolatu invicem connexa, quomodo papa Petro ut apostolo successisse dicendus, cum secundum & tertium duntaxat acceperit? Si pontifex accepit ea, quæ sunt propria apostoli, utique etiam erit Apostolus, non autem Romanus episcopus. Si pontifex in apostolica potestate successit Petro, erit universalis totius ecclesiæ, non autem particularis Romanæ urbis episcopus. Si pontifex Petro ut apostolo successit; consequens fuerit, quod apostoli constituerint in ecclesia post se alios apostolos, non pastores & episcopos. Si Romanus pontifex Petri successor foret, tunc ratione doctrinæ, vitæ & officii in Petro & papa esset convenientia. Sed pontificis doctrina, vita & officium a Petro plurimum discrepat, ut collatio ostendit; relinquitur igitur, quod potius sit ἀντίθρονος, quam σύνθρονος, quodque papa successerit Petro in ecclesia Romana eo modo, ut morbus sanitati & lux tenebris succedere consuevit. Si in toto novi testamenti codice ne verbo quidem fit mentio hujus successionis, qua Romanus episcopus Petro in apostolicæ potestatis monarchia successerit; qua fronte pro *summa rei christianae*, ut Bellarminus in præfatione adpellat, & pro eo, quod *ex jure divino* descendit, ut hoc loco puguat, successio illa Romani episcopi ecclesiæ obtrudi potest? Recte igitur Nilus, Thessalonicensis episcopus, in libro adversus papæ primatum statuit; *Romanum pontificem non succedere Petro in prae-*

fectura totius ecclesiae catholicae, sed solum in Romano episcopatu postea vero eundem ex decretis conciliorum *primatum aliquem ordinis* accepisse, ut videlicet esset primus episcoporum, primus sederet, primus sententiam diceret, non autem primatum potestatis, ut reliquis episcopis imperaret, cum quo consentit illud Cusani libr. II. de concord. cap. 13. *Omnes episcopi sunt aequales quoad jurisdictionem, papatus vero est de gradu positivo, ut omnes gradus majoritatis & minoritatis, quia potestas ligandi & solvendi, in qua fundatur omnis ecclesiastica jurisdictio, est immediate a Christo, & propterea omnes sacerdotes sunt aequales.*

§. CCXX. Quidam Calvinianus, Hadrianus Saravia in libr. de diversis ministrorum gradibus cap. 16. & seqq. itidem statuit, apostolatum adhuc in ecclesia vigere; sed negat solum Romanum episcopum in apostolatu succedere, quin potius omnes episcopos apostolica autoritate adhuc praeditos esse adserit. Nos distincte respondemus: In apostolatu consideratur 1) ministerium docendi evangelium, & administrandi sacramenta cum potestate clavium. 2) ἐπισκοπὴ, inspectio non solum gregis dominici, sed etiam aliorum presbyterorum. 3) Potestas praedicandi in toto terrarum orbe cum immediata vocatione, dono miraculorum, ὑπεροχῇ αὐτοπίστῳ ac privilegio infallibilitatis conjuncta. Respectu primi omnes veri & sinceri ecclesiae ministri, respectu secundi omnes episcopi apostolorum successores dicuntur ecclesiastica loquendi consuetudine. Irenaeus libr. III. adverss. haeres. cap. III. in principio: *Habemus adnumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, & successores eorum usque ad nos.* Cyprianus libr. IV. epist. 9. ante medium: *Omnes praepositi apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Hieronymus in epist. ad Evagr. & habetur c. Legimus dist. 93. *Ubicunque fuerit episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Thanais, ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit, ceterum omnes apostolorum successores sunt.* Respectu tertii, in quo etiam apostolatus proprie consistit, nullus fuit apostolorum successor; sed apostolatus fuit ordo temporarius & extraordinarius, qui una cum ipsis in ecclesia desiit, ac proinde ad ministros ecclesiae sequentium temporum non est propagatus, quod probamus a defectu 1) *potestatis apostolis propriae:* mandatum praedicandi evangelium in toto terrarum orbe ac ubique fundandi ecclesias ad apostolos proprie spectavit, cui etiam illi fideliter obsecuti sunt. Marc. XVI. 20. *Egressi praedicaverunt ubique Domino cooperante.* Rom. X. 18. *Numquid non audiverunt? imo vero in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum.* Col. I. 6. *Verbum evangelii est in universo mundo, & fructificat & crescit.* v. 23. *Praedicatum est evangelium in universa creatura, quae sub caelo est.* Ergo cum apostolis mandatum & potestas illa desiit. Quamvis enim immediate in propria persona forte non pervenerint ad omnes ubique gentes, tamen *quo non pervenit pes apostolorum, eo sonus praedicationis apostolicae pervenit*, atque ipsimet apostoli in certas provincias discipulos suos miserunt, qui vel incoatum ab ipsis opus perficerent, vel ecclesias in illis etiam locis fundarent, quos in evangelistarum potius quam apostolorum ordinem propterea referendos esse judicamus. Eusebius lib. III. hist. eccles. cap. 4. *Quot & quinam veri & ingenui apostolorum imitatores facti satis habiles & idonei ad ecclesias, quas isti fundaverant, pascendas regendasque aestimati fuerint, dictu certe non est proclive, solis illis exceptis, quos aliquis fortasse ex Pauli scriptis obiter possit colligere. Eodem accedit Lucas, qui discipulus Pauli, dum in actis eos enumerare contendit, nominatim percenset &c.* cap. 31. *Et praeter istos alii complures erant eadem aetate percelebres, qui quidem & apostolis proxime successerunt, & tanquam discipuli tantorum & tam insignium virorum eximia & divina virtute decorati ecclesia-*

ecleſiarum fundamentis ab apoſtolis ubique locorum praeclare jactis ſtructuram illam concinnam adjunxerunt, qui & plenius cumulatiusque ampliſicarunt, praedicationem verbi divini & ſalutaria regni cœlorum ſemina fuſe lateque per univerſum orbem diſſeminarunt. Etenim plerique omnes diſcipuli, qui eo tempore vixerunt, ardentiore ſapientiae cœleſtis ſtudio amoreque incenſi & prae quodam divini verbi deſiderio animis perculſi praeceptum ſervatoris antea traditum exquiſite exſecuti ſunt, & his, qui ope indigebant, facultates ſuas libenter impertierunt. Deinde a domiciliis ſuis peregre profecti munus obierunt evangeliſtarum, atque iis, qui ne adhuc quidem omnino verbum fidei audiviſſent, Chriſtum praedicare, & ſcripturas ſanctorum evangeliorum tradere omni cura & cogitatione ſtuduerunt, qui cum in locis quibusdam peregrinis fidei duntaxat jeciſſent fundamenta, paſtoresque alios conſtituiſſent, illisque curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Chriſti ſedulo excolendorum commiſiſſent, ipſi ad alias regiones gentesque cum gratia & virtute divina ſe contulerunt, quippe virtutes multae admirabiles & miracula ſacroſancti Spiritus ope per eos ad id usque temporis gerebantur, ita ut frequens hominum multitudo ipſa prima praedicationis auditione perſuaſa propenſo ſtudio pietatem & cultum, qui Deo omnium rerum opifici ſoli debetur, animis exciperet, amplecteretur que. 2) A defectu *vocationis immediatae*: In apoſtolo requiritur immediata & extraordinaria vocatio. Conſtat enim, omnes apoſtolos ab ipſo Chriſto in diebus carnis immediate vocatos eſſe, quorum ordini cum Matthias in locum Judæ additus eſſet, per ſortem divino arbitrio vocatio ipſius fuit commiſſa, Act. I. 26. eidem cum Paulus adjungendus eſſet, voce cœlitus delata a Chriſto vocatus, Act. IX. 6. & *in tertium cœlum* raptus, 2. Cor. XII. 2. *a Domino accepit*, quod eccleſiis poſtmodum tradidit. 1. Cor. XI. 23. Jam vero immediata & extraordinaria illa vocatio cum apoſtolis in eccleſia novi teſtamenti deſiit, neque enim apoſtoli exſpectarunt, donec alii in ipſorum locum immediate a Chriſto vocarentur, ſed ipſi κατ' ἐκκλησίαν conſtituerunt presbyteros, Act. XIV. 23. atque epiſcopis a ſe conſtitutis in mandatis dederunt, ut κατὰ πόλιν presbyteros conſtituerent. Tit. I. 5. Ergo etiam apoſtolici muneris autoritas & ſublimitas una cum ipſis deſiit. 3) *Infallibilitatis abſolutae*: Doctrina apoſtolorum eſt θεόπνευστος καὶ αὐτόπιστος, ac parem omnino cum doctrina prophetarum in veteri teſtamento obtinet autoritatem, unde *exſtructi dicimur ſuper fundamentum prophetarum & apoſtolorum*, Eph. II. 20. ipſi quoque apoſtoli ratione ſuae doctrinae dicuntur *eccleſiae fundamenta*; Apoc. XXI. 14. quamvis ibi non ipſa cœleſtis Hieroſolyma, ſed murus ejus duodecim fundamenta habere dicatur, ac doctrina ipſorum in ſublime illud divinae autoritatis faſtigium evecta eſt, ut nemini liceat aliquid ipſi addere vel alium fidei canonem tradere. Gal. I. 8. & 9. Apoc. XXII. 18. Chriſtus etiam Joh. IV. 38. confert illos cum prophetis, quos dicit fuiſſe *ſeminatores*, apoſtolos vero *meſſores*, qui in labores eorum introiverint. Atqui talis autoritas non competit ullis aliis novi teſtamenti miniſtris, ſed doctrina eorum juxta canonem & normam praedicationis apoſtolicae examinanda eſt. 1. Theſſ. V. 21. 1. Joh. IV. 1. &c. 4) Θαυματουργίας *miraculoſae*: Apoſtoli inſtructi fuere poteſtate edendi miracula, Matth. X. 1. Marc. XVI. 16. unde τέρατα καὶ δυνάμεις vocantur σημεῖα ἀποστόλων, 2. Cor. XII. 12. quo pertinet etiam illud, quod donum linguarum apoſtolis per viſibilem Spiritus ſancti effuſionem fuit datum, Act. II. 3. quodque per manuum impoſitionem peculiaria Spiritus ſancti chariſmata conferre potuerint. Act. VII. 17. Jam vero donum miraculorum, donum linguarum, & peculiaria illa Spiritus ſancti chariſmata hodie non amplius vigent in eccleſia. 5) *Praedicationis ad nullum certum locum reſtrictae*: Apoſtolorum miniſterium non fuit certo loco adligatum, ſed ipſi mandatum ac poteſtatem acceperant, ubique prædicandi. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Atqui miniſterium eorum, qui in docendi officio a-

poſto-

postolis olim successerunt, & adhuc hodie succedunt, ad certum locum est adstrictum. Act. XIV. 23. *constituerunt presbyteros κατ' ἐκκλησίαν.* Act. XX. 28. Ephesinæ ecclesiæ ministri dicuntur certi gregis *episcopi a spiritu sancto constituti.* Tit. I. 5. *Ideo reliqui te Cretae, ut constituas κατὰ πόλιν presbyteros.* 1 Petr. V. 2. *Pascite eum, qui in vobis est gregem, τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον*, eum, qui vestræ curæ ac fidei commissus. Ergo ministerium eorum non est functio apostolica proprie dicta. b) *Visionis Christi in carne*: Ad apostolicum munus requiritur, ut quis Christum in carne viderit, aut coram docentem audiverit, qui eo fungi velit, inde cum Matthias in locum proditoris Judæ eligendus esset, Petrus ponit hoc requisitum: Act. I. 21. *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus*, v. 22. *incipiens a baptismate Johannis usque in diem, qua adsumtus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Act. X. 41. officium apostolorum sic describitur, quod sint testes *προκεχειροτονημένοι praeordinati a Deo*, quibus proinde Christus ipse post resurrectionem adparuerit, ut de ea testimonium ferre possent. Ideo cum Paulus apostolorum ordini adjungendus esset, Christus e cœlo ipsi adparuit. 1 Cor. XV. 8. Atqui nemo eorum, qui hodie docendi officio funguntur, Christum in carne vidit, aut coram docentem audivit. Ergo ipsorum ministerium non est functio apostolica proprie & specifice sic dicta.

Argumenta Saraviæ, quod apostolatus adhuc vigeat. 1) Ex manifesta ad absurdum deductione.

§. CCXXI. Argumenta Saraviæ, quibus contrarium demonstrare conatur, potiora sunt ista: I) *Nihil valet*, (inquit) *quod apostoli dicuntur extraordinariam habuisse potestatem, nam pari ratione negari posset quemquam hodie habere baptizandi & praedicandi evangelii potestatem. Si quae erant extraordinaria in apostolis, ea relinquere apostoli non potuerunt, eadem ratio efficiet, nec praedicandi evangelii nec baptizandi post apostolos relictam esse autoritatem.* c. 16. Resp. est ratio maxime dispar inter extraordinariam apostolorum autoritatem, & ordinarium praedicandi evangelium & sacramenta administrandi munus. Illa cum apostolis desiit, ut ex argumentis adlatis est clarissimum, hoc vero in ecclesia perpetuo mansit. Munus apostolorum, quatenus talium, in primordio duntaxat ecclesiæ fuit necessarium; sed munus apostolorum, quatenus doctorum & pastorum, perpetuo in ecclesia est necessarium; cum enim salutaris Dei notitia hominibus non innascatur, ideo requiritur opera eorum, qui ex verbo Dei de salutis via homines instruant, quo pertinent argumenta omnia, quibus evicimus superius ministerii ecclesiastici necessitatem, & a reliquis ordinibus distinctionem. Quæ apostolis a Christo dicta & concessa, ea sunt in triplici differentia; quædam *sunt personalia*, quæ ad solos apostolos pertinent; quædam sub persona apostolorum *omnibus ecclesiae ministris*, ipsorum in docendi officio successoribus, dicta sunt; quædam sub persona apostolorum *omnibus fidelibus* dicta. Quando igitur Christus apostolis dat potestatem & mandatum prædicandi evangelium in toto orbe; instruit eos dono miraculorum, effundit super illos Spiritum sanctum, per quem nõvis linguis loquuntur, ornat eos privilegio non errandi, illa sunt personalia, & ad solos apostolos pertinent; ipsum interim docendi officium omnibus ecclesiæ ministris cum ipsis est commune. Ac proinde quando Christus ad apostolos inquit: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos;* Joh. XX. 21. *Euntes, docete omnes gentes, & baptizate eos*; Matth. XXVIII. 19. *Praedicate evangelium omni creaturae*; Marc. XVI. 15. *Oportuit in nomine meo praedicari pœnitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes;* Luc. XXIV. 47. ibi adeurate distinguendum ipsum officium docendi ac baptizandi ab illa speciali determinatione addita, quod docere debeant inter omnes gentes: sicut etiam vocatio divina a modo vocationis immediato & extraordinario, promissio generalis de gratia, auxilio & efficacia per ministerium a speciali

ciali promissione de dono miraculorum, linguarum & privilegio non errandi omnino distingui debent. Officium docendi ac baptizandi, divina vocatio & generalis promissio ad omnes ecclesiæ ministros non minus quam ad apostolos pertinent; sed specialis determinatio de prædicatione evangelii inter omnes gentes, modus vocationis immediatus & extraordinarius, ac specialis promissio de dono miraculorum & infallibilitate doctrinæ ad solos apostolos pertinent.

§. CCXXII. II) *Quemadmodum Moses & Aaron post suam ipsorum mortem eandem gubernandi rationem, qua ipsi usi fuerant, reliquere posteris; ita apostoli & evangelistae fuerunt exemplum & lex nobis posteris perfecti regiminis ecclesiastici, & quod servator noster dixit de sacerdotibus Judaeorum, eos sedere super cathedram Mosis & Aaronis, idem dici potest de episcopis, quod in cathedra Petri & Pauli sedeant, id est, quod successerint in eodem regiminis munere*, cap. 16. Resp. ex distinctione superius tradita res est manifesta. Successerunt apostolis in docendi munere omnes ecclesiæ ministri, successerunt eis in ἐπισκοπῇ & inspectione reliquorum pastorum episcopi, sed respectu illorum, in quibus proprie & principaliter munus apostolorum consistit, quæ Paulo ante sunt enumerata, nullus in ecclesia apostolis successit. Invertimus igitur comparationem: Quemadmodum in ordinariis duntaxat officii sacerdotalis & regiminis politici partibus Mosi & Aaroni quidam successerunt, nequaquam vero in extraordinariis & temporariis, siquidem in eductione Israelitarum ex Ægypto, in promulgatione legis, in constitutione & fundatione levitici sacerdotii &c. nemo illis successit: Deut. XXXIV. 10. *Non ultra surrexit propheta in Israel sicut Moses, quem nosset Dominus a facie ad faciem in omnibus signis atque portentis, quae misit per eum &c.* ita in ordinario docendi, baptizandi, absolvendi munere apostolis successerunt presbyteri, in presbyterorum inspectione episcopi; sed extraordinaria potestas ubique docendi, cum dono miraculorum & privilegio infallibilitatis conjuncta mansit apostolorum propria.

2) *ex levitica ver. test. successione.*

§. CCXXIII. III.) *Incredulis gentibus praedicandi evangelii mandatum non solum respexit apostolorum seculum, sed omnia, quae futura sunt usque ad mundi finem, quia promissio huic mandato addita:* Matth. XXVIII. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, *non ad solos apostolos pertinet.* Ibidem cap. 17. Resp. imo vero promissio latius patet, quam mandatum, siquidem mandatum pertinet ad solos apostolos, alias omnibus ministris ecclesiæ ad exteras & incredulas gentes vi illius mandati abeundum foret, cum tamen apostoli κατ' ἐκκλησίαν, Act. XIV. 23. Titus κατὰ πόλιν Tit. I. 5. presbyteros constituerint; promissio vero non solum ad omnes ecclesiæ ministros, sed etiam omnia ecclesiæ membra, fideles scilicet omnes pertinet, ut Hieronymus & Chrysostomus in comment. recte monent & evidenter colligitur ex Matth. XVIII. 20. *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Deducimus igitur argumentum ad absurdum: Quam late patet Christi promissio: *Ego sum vobiscum &c.* tam late etiam extenditur mandatum de prædicando evangelio in toto orbe. Sed promissio Christi pertinet ad omnes fideles. Ergo etiam mandatum de prædicando evangelio in toto orbe ad omnes fideles pertinet. Conclusio est absurda, ergo aliqua ex præmissis. Non *minor*, quæ est Christi Matth. XVIII. 23. Ergo *major*, quæ est Saraviæ.

3) *ex addita generali promissione.*

§. CCXXIV. IV.) *Si auctoritas apostolica temporaria fuisset, ea personale donum fuisset ac particulare, nec sibi socios & cooperatores in apostolico munere ad Domini opus, ad quod destinati fuerant, adsumsissent. Sed illi alios fecerunt consortes apostolicae suae potestatis, quos sciebant futuros etiam successores*; cap. eod. Resp. non omnis, qui aliquo ut συνεργὸς adsciscitur, in eodem cum illo existit gradu & ordine, quod sic demonstramus

4) *ex potestatis apostolicae communicatione.*

stramus ἀπαγωγὴ πρὸς τὸ ἄτοπον. Quicunque in apostolico munere ad Domini opus, ut socii & cooperatores ab apostolis sunt adsumti, illi in gradum auctoritatis & potestatis apostolicæ fuere evecti. Priscilla a Paulo apostolo ut συνεργὸς in Christo fuit adsumta Rom. XVI. 3. Ergo in gradum auctoritatis & potestatis apostolicæ fuit collocata. Conclusio est absurda, Ergo aliqua ex præmissis. [Non *minor*, quæ est Pauli. Ergo *major*, quæ est Saraviæ. Quid quod apostolus omnes ecclesiæ ministros vocat θεῦ συνεργὸς 1 Cor. III. 9. num vero propterea in gradum divinæ majestatis erunt collocati? Distinguendum igitur inter συνεργίαν cum apostolis in evangelii prædicatione, & inter participationem auctoritatis & potestatis apostolicæ, cum ex priore posterius inferri nequeat. Evangelistæ illi, qui in fundatione ecclesiarum ab apostolis ut συνεργοὶ adsumebantur, nequaquam in ordinem apostolatus ab ipsis collocabantur, sed gradu & dignitate erant inferiores, ut evidenter adparet ex Eph. IV. 11. ubi *evangelistae ab apostolis* distinguuntur, ac 1 Cor. XII. 28. ubi apostoli primo loco in ministerio ecclesiastico novi testamenti collocantur, unde a majore ad minus contra Saraviam argumentamur: Si evangelistæ illi, ad fundandas ecclesias ab apostolis εἰς συνεργὸς olim adsumti, nondum tamen propterea in ordinem apostolorum fuere cooptati; quanto minus hodierni ecclesiæ episcopi propter inspectionem presbyterorum, quam cum apostolis communem obtinent, in gradum apostolicæ auctoritatis ac potestatis evecti sunt censendi? Sed verum prius. Ergo & posterius, ac per consequens apostolatus hodie non amplius viget in ecclesia.

5) *ex operis apostolici per successores facta consummatione.*

§. CCXXV. V.) *Apostoli cum opus praedicandi evangelii inter omnes gentes & plantandi ubique ecclesias ipsi perficere non potuerint, inchoatum reliquere posteris absolvendum. Si simul cum apostolis ad cælos commigrasset apostolica legatio, & praeter particularium ecclesiarum curam propagationem ulteriorem evangelii ad se nihil pertinere judicassent episcopi, quos successores reliquerunt apostoli, nunquam ad tantam magnitudinem regnum Christi pervenisset.* cap. eod. Resp. apostolorum temporibus evangelium ubique inter omnes gentes fuit prædicatum, Rom. X. 18. Col. I. 6, nequaquam igitur opus a Christo sibi demandatum reliquere inchoatum. Quod si in eo sibi quosdam adscivere socios, & in certas aliquot provincias evangelii præcones ablegaverunt, illi potius ad evangelistarum quam episcoporum vel apostolorum ordinem referendi fuerint. Episcopi enim proprie fuere illi, quos certæ provinciæ vel civitati præfecerunt, ut ecclesiarum & presbyterorum curam in illis gererent, quales episcopi fuere Timotheus in civitate Ephesо, Titus in insula Creta, Crescens in Galatia, Linus in urbe Roma, Dionysius Athenis &c. Ad apostolatus quoque ordinem, auctoritatem & potestatem non sufficit unam vel alteram provinciam adire, sed inter omnes gentes peculiari auctoritate, dono miraculorum & linguarum, itemque privilegio infallibilitatis instructa evangelium prædicare, cujus auctoritatis, potestatis & dignitatis nec primævi illi apostolorum συνεργοὶ, nec hodierni ecclesiæ episcopi facti sunt participes. Aliud est fundamentorum in domus exstructione positio, aliud ejusdem ad culmen usque perductio; prius ad solos apostolos pertinet, posterius ad reliquos ecclesiæ ministros.

§. CCXXVI. II.) Atque hæc dicta sint de *primo* ecclesiæ ministrorum in nov. testam. post Christi adscensionem ordine, videlicet de apostolis, (*) quibus 1 Cor. XII. 28. & Eph. IV. 11. *secundo* loco subjunguntur *prophetae*. (**) Accipitur autem nomen *prophetae* in nov. test. dupliciter: 1) generaliter, 2) specialiter. 1) Γενικῶς sumitur. pro quibusvis ecclesiæ doctoribus voluntatis divinæ interpretibus & verbi cœlestis præconibus. Matth. VII. 15. *Attendite a falsis prophetis,*

2) *Prophetae.*

(*) *De apostolis duodecim & apostolatu stricte sic dicto* peculiarem dissertationem edidit Frid Spanhemvs, quæ *tom. II. oper.* ejus inserta est, *p. 291. seqq.*

(**) Exstat pec. diss. sub auspiciis b. Mosheimii Helmstadii *MDCCXXXII.* habita *de illis, qui prophetae vocantur in nov. testam.*

tis, cap. X, 41. *Qui recipit prophetam in nomine meo, mercedem prophetae accipiet.* 2) Εἰδικῶς tribuitur a) Christo, magno illi prophetæ divinitus promisso: Deut. XVIII. 15. Sic Matth. XXI. 11. *Hic est Jesus propheta a Nazareth.* Luc. VII. 16. *Propheta magnus surrexit in nobis.* b) Johanni baptistæ, Christi præcursori: Luc. I. 76. *Tu puer propheta altissimi vocaberis.* c) Prophetis vet. testam. qui de Christi adventu fuere vaticinati: Matth. I. 22. *Dictum est per prophetam.* cap. XI. 13. *Omnes prophetae usque ad Johannem prophetarunt.* d) Peculiari cuidam ordini doctorum in apostolica & primitiva ecclesia, in qua significatione hoc loco a nobis accipitur. Quia enim prophetæ a pastoribus & doctoribus distinguuntur Eph. IV. 11. ex eo colligitur, quod nomen illud ibi non possit accipi generaliter pro quovis ecclesiæ ministro ac divinorum vaticiniorum interprete, sed specialiter pro certo quodam ministrorum gradu atque ordine. Talium prophetarum duæ videntur fuisse classes: 1) quidam prophetiæ dono instructi futuros ecclesiæ in genere vel quorumdam fidelium in specie casus & eventus prædicere poterant, quo prophetiæ dono licet ipsi quoque apostoli instructi essent; tamen placuit Deo sub initium prædicati evangelii etiam alios præter apostolos eo instruere, & hoc divino charismate nascentem ex Judæis & gentibus ecclesiam exornare ac prædicationem evangelii confirmare. Act. XI. 27. *In his diebus supervenerunt ab Hierosolymis prophetae Antiochiam*, v. 28. *& surgens ex eis unus Agabus significabat per spiritum, magnam famem futuram &c.* Idem cap. XXI. 11. prædicit Paulo *captivitatem & vincula &c.* Hoc dono benignissimus Deus vi promissionis suæ Joel. II. 28. etiam fœmineum genus in illo nov. test. exordio instruxit. Sic de Hanna dicitur Luc. II. 36. quod fuerit *prophetissa*, ac de filiabus quatuor Philippi Act. XXI. 9. quod fuerint προφητεύσασαι. 2) Quidam singulari spiritus dono & illustratione scripturas sacras interpretabantur, reconditos & abstrusos earum sensus proferendo, qui vaticinandi potestate interim non erant instructi. Act. XIII. 1. *Erant in ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae & doctores, in quibus Barnabas & Simon &c.* ubi prophetæ a doctoribus ordinariis distinguuntur, ac proinde peculiarem ab illis ordinem constituisse intelliguntur. Huc referri potest 1 Cor. XIV. 24. ubi *prophetare* significat speciali quadam Spiritus sancti revelatione scripturas interpretari ac *prophetarum spiritus* dicuntur *prophetis subjecti*, v. 32. quia doctrina, quam adferunt prophetæ spiritu Dei adflati, ita debet institui ac proferri, ut serviat ædificationi fidelium. Plura de nomine prophetarum vide superius §. 17.

§. CCXXVII. III.) Prophetis Eph. IV. 11. *tertio* loco adduntur *evangelistae*. Accipitur illud nomen dupliciter: 1) *generaliter* pro quovis ecclesiæ doctore, quia ad omnes pertinet εὐαγγελίζεσθαι, Esa. XLI. 27. *dabo Jerusalem evangelistam*; quidam tamen Christum, principem pastorum speciatim denotari, haud inconcinne statuunt. 2 Tim. IV. 5. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, διακονίαν σου πληροφόρησον*; quidam statuunt, evangelistæ nomen specialiter accipi sensu eo, qui mox explicabitur; sed cum Timotheus jam tum constitutus fuerit ecclesiæ Ephesinæ episcopus, nec ulterius Paulum fuerit comitatus, cumque διακονίας nomen generale addatur, ideo convenientius etiam evangelistæ nomen accipitur hoc loco generaliter, sicut etiam Lutherus reddidit: *thue das Werk eines evangelischen Predigers.* 2) *Specialiter* pro certo quodam doctorum in primitiva ecclesia gradu atque ordine, quo modo accipitur Eph. IV. 11. Fuerunt autem tales evangelistæ apostolorum comites συνεργοὶ καὶ συλλειτουργοὶ, a quibus in partem quamdam muneris apostolici adsciti ad diversa loca ab illis mittebantur, ut vel prima evangelicæ prædicationis fundamenta ibi ponerent, vel in rigando, superstruendo, & opere illo, quod ab apostolis cœptum erat, perficiendo vices eorum ibidem gererent, pastores oppidatim constituendo, ἐυταξίαν in ecclesiis ordinando, & ea, quæ deerant, corrigendo. In illorum evangelista-

3) *Evangelistae.*

rum numero censendi sunt *Timotheus*, quem Lystris adsumsit apostolus Paulus, Act. XVI. 3. ac comitem itineris sibi elegit, postea eum una cum Erasto misit in Macedoniam, Act. XIX. 22. ad Corinthios, 1. Cor. IV. 17. ad Philippenses, Phil. II. 19. ad Thessalonicenses, 1. Thess. III. 2. tandem vero ecclesiæ Ephesinæ præfecit episcopum. 1. Tim. I. 3. III. 15. *Titus*, quem Paulus vocat suum *συνεργὸν*, 2. Cor. VIII. 23. eum misit ad Corinthios, 2. Cor. VIII. 6. XII. 18. adsumsit secum Hierosolymam, Gal. II. 1. misit in Dalmatiam, 2. Tim. IV. 10. tandem Cretensium ecclesiarum constituit episcopum. Tit. I. 5. *Philippus*, unus ex septem diaconis, Act. XXI. 8. qui prædicavit in Samaria. Act. VIII. 5. *Barnabas*, quem apostoli miserunt Antiochiam, Act. XI. 22. ubi peculiariter a Spiritu sancto, una cum Paulo, ad opus ministerii segregatus individuum itineris comitem Paulo sese præstitit, profectus cum eo in Seleuciam, Cyprum, Salaminam, Paphum, Act. XIII. 2. & seqq. Pergen, Antiochiam Pisidiæ, v. 14. Iconium, v. 51. Lystram, Derben, Act. XIV. 6. Pamphyliam, 24. ac tandem cum ipso reversus Antiochiam Syriæ v. 25. postmodum una cum Paulo missus est ad concilium Hierosolymitanum, Act. XV. 2. & ex eo ad ecclesias Antiochiæ, Syriæ ac Ciliciæ, v. 23. cum vero Antiochiæ esset, facta dissensione inter ipsum & Paulum separarunt se invicem, & Barnabas quidem adsumto Marco navigavit Cyprum, Paulus vero electo Sila in Syriam ac Ciliciam. v. 39. *Tychicus* Act. XX. 4. quem Paulus misit ad Ephesios, Eph. VI. 21. 2. Tim. IV. 12. ad Colossenses. Col. IV. 7. *Silvanus*. 2. Cor. I. 19. 1. Thess. I. 1. *Judas*, *Barsabas & Silas*. Act. XV. 22. XVI. 19. & alii, inter quos dubio procul fuere complures ex LXX. discipulis, quos Christus ante suam passionem in Judæam ablegaverat; Luc. X. 1. & adparet ex Eusebio lib. V. cap. 10. quod circa alterum a Christo nato seculum *Alexandriae* adhuc fuerint evangelistæ. 3) *Specialissime* pro amanuensibus illis Spiritus sancti, qui evangelicam de Christo historiam literis complexi ecclesiæ non illorum duntaxat temporum, sed etiam ad finem usque mundi colligendæ operam & utilem & necessariam divino impulsu præstiterunt. Inter illos duo fuere apostoli proprie sic dicti, Matthæus & Johannes, duo evangelistæ specialiter sic adpellati, Marcus Petri, & Lucas Pauli individuus comes. Irenæus lib. III. c. 11. p. 183. cap. 14. p. 198. Eusebius lib. VI. hist. cap. 13. Hieronymus in catal. illustr. Nicephorus lib. II. hist. cap. 15. &c.

§. CCXXVIII. IV.) Evangelistis Eph. IV. 11. *quarto* loco adduntur *pastores*, qui non erant extraordinarii & temporarii ecclesiæ doctores, sicut apostoli, prophetæ & evangelistæ; sed ordinarii & perpetui ministri, mediate vocati ad docendum evangelium & administranda sacramenta in certo loco, unde etiam certo cuidam gregi velut pastores erant præfecti. Rom. XII. 8. dicuntur *παρακαλοῦντες*, & distinguuntur a *διδασκάλοις*, perinde uti etiam Eph. IV. 11. *ποιμένων* adpellatione peculiariter honorantur, & a doctoribus specialiter sic dictis distinguuntur, quia non solum scripturas interpretabantur & fidei capita docebant, sed etiam admonendo, arguendo, corrigendo, objurgando, instituendo, hortando, consolando instabant, & ad usum ecclesiæ verbum prædicatum adplicabant. 2. Tim. III. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum in justitia*, v. 17. *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. IV. 2. *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Administrabant etiam sacramenta, precibus solemnibus & publicis instituendis operam dabant, ecclesiasticam disciplinam una cum senioribus conservabant &c. Pastores illi cum non essent immediate vocati, nec dono miraculorum instructi, nec ad munus apostolicum ecclesias fundandi & evangelium in toto orbe prædicandi electi; ideo etiam privilegio infallibilitatis destituebantur, ac errare poterant, si a doctrina apostolorum discedere, & propriis specula-

4) *Pastores.*

lationibus indulgere vellent. Videntur autem pastorum tres constitui posse ordines, ita ut quidam fuerint episcopi, quidam presbyteri, quos hodie vocamus parochos, quidam diaconi, de quibus paulo post plenius dicetur.

5) *Doctores.* §. CCXXIX. V.) Pastoribus tandem conjunguntur *doctores* Eph. IV. 11 Quamvis enim Hieronymus existimet, eosdem ministrorum ordines pastorum & doctorum adpellationibus denotari, cum non per disjunctivam δὲ, ut præcedentes ordines invicem discriminentur, sed per copulativam καὶ conjungantur, cumque nulli sint pastores, qui non sint simul etiam doctores; tamen probabilior est eorum sententia, qui existimant, distinctos ministrorum gradus pastorum & doctorum nomenclatura proponi. 1) Cum distincta nomina arguere videantur distincta officia, neque enim in tanta brevitate apostolus uni eidemque ministrorum ordini diversum nomen tribueret. 2) Cum Rom. XII. 7. διδάσκοντες *a* παρακαλῶσι, *ac* διδασκαλία *a* παράκλησει distinguatur, sicut etiam λόγος *a* γνώσει 1. Cor. I. 5. distinguitur. 3) Cum res ipsa doceat, præter ordinarios ecclesiarum pastores esse in scholis doctores, quibus non est specialis cujusdam ecclesiæ cura commissa, sed qui scripturæ interpretationi, corruptelarum refutationi, & methodicæ cœlestis doctrinæ tractationi incumbunt, ut formentur ad ministerium ecclesiasticum, quibus olim illud demandandum, ac reddantur δυνατοὶ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Tit. I. 9. Ad classem illorum doctorum referendi videntur *catechetae*, Gal. VI. 6. *Zenas*, νομικὸς, *five legisperitus*, Tit. III. 13. quales etiam hodie sunt, qui in scholis publicis docent, & olim in schola Alexandrina floruerunt Pantænus, Origenes, Clemens &c. Valde enim verisimile est, cum presbyteris & pastoribus in ecclesia docentibus institutos simul fuisse ab apostolis docentes in scholis; cum necessarium sit in scholis eos prius informari, qui ministerio ecclesiastico admovendi, nisi extraordinaria immediata & peculiari Spiritus sancti illustratione informentur, quod in mediata vocatione vix habet locum. Quare quod pastores & doctores in verbis apostoli conjunguntur, ideo fieri existimandum, non quod unum eumdemque constituant ordinem, sed quia respectu mediatæ vocationis & perpetuæ in ecclesia durationis conjunguntur, qua ratione apostolis, prophetis & evangelistis opponuntur, quorum vocatio fuit immediata, & munus eorum temporarium atque extraordinarium. Quidam doctorum nomine intelligunt eos, qui concionatores duntaxat agunt, sed sacramentorum administrationem & ecclesiasticæ disciplinæ curam non adtingunt, quod adhuc hodie in quibusdam ecclesiis obtinere videmus. Confer Stapletonum relect. princ. cont. II. q. 3. art. 3.

6) *Instructi variis donis Spiritus.* §. CCXXX. VI.) Apostolis, prophetis & doctoribus 1. Cor. XII. 28. subjunguntur δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν, quibus adpellationibus, si excipias ἀντιλήψεις καὶ κυβερνήσεις, quas v. 29. & 30. in repetitione apostolus omittit, non tam distincti gradus & ordines ecclesiastici ministerii, quam peculiaria & extraordinaria Spiritus sancti charismata certis personis in ecclesia apostolica & primitiva conferri solita describuntur. Cum enim v. 5. & 6. χαρίσματα illa in duas species, διακονίας scilicet καὶ ἐνεργήματα, apostolus distribuisset, v. 28. enumerat quædam χαρίσματα in specie, quorum aliqua pertinent ad διακονίας, utpote munus apostolicum, propheticum, doctorum, opitulationes & gubernationes; aliqua vero ad ἐνεργήματα, utpote δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, γένη γλωσσῶν. Vbi ne quis miretur apostolorum, prophetarum, doctorum, opitulatorum & gubernatorum munus referri ad διακονίας, consideret dictum apostolicum 1. Cor. III. 5. *Quis igitur Paulus? quis Apollo?* διάκονοι, *ministri sunt, per quos ad fidem perducti estis?* neve alicui mirum videatur, eorumdem officium referri ad χαρίσματα, consideret dictum apostolicum Eph. III. 2. *Si tamen audivistis* τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος,

dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vos; ubi apostolicum munus diserte vocatur χάρις. Ceterum per δυνάμεις *metonymice* intelliguntur θαυματοργοί, qui potentia miraculorum edendorum instructi erant ad apostolicæ doctrinæ confirmationem. Matth. VII. 22. *Nonne in nomine tuo δυνάμεις πολλὰς, virtutes multas, fecimus?* cap. XI. 21. *Si factae essent in Tyro & Sidone αἱ δυνάμεις, id est, talia miracula &c.* quia miracula eduntur δυνάμει, virtute & potestate divinitus concessa. Luc. IX. 1. Dedit illis *δύναμιν καὶ ἐξουσίαν super omnia daemonia*, Matth. XIV. 2. *αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. Per χαρίσματα ἰαμάτων* exprimitur certa species *δυνάμεων*, intelliguntur enim illi, qui miraculosæ sanationis dono instructi morbos etiam lethales vel verbo depellere poterant. Marc. XVI. 17. *Signa eos, qui crediderint, haec sequentur*: v. 18. *Super aegrotos imponent manus & melius habebunt.* Per *τὰ γένη γλωσσῶν* intelliguntur illi, qui dono variis linguis loquendi, easdemque interpretandi pollebant: Marc XVI. 17. *linguis novis loquentur.* Talia χαρίσματα non solum in apostolica, sed etiam primitiva apostolicæ proxima ecclesia aliquamdiu viguisse ex Justino, Irenæo & aliis scriptoribus apostolorum seculo proximis constat. Justinus in dial. cum Tryph. p. 246. *Est apud nos videre & fœminas & masculos, χαρίσματα, dona a Spiritu Dei habentes.* Irenæus lib. II. adv. hæres. c. 57. p. 160. *In Christi nomine, qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime & vere, ut etiam saepe credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, & sint in ecclesia. Alii autem scientiam habent futurorum & visiones & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manuum impositionem curant, & sanos restituunt. Jam etiam & mortui resurrexerunt, & perseverarunt nobiscum multis annis. Et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Per *τὰς ἀντιλήψεις* intelliguntur diaconi, qui pauperum & ægrotorum curam habuerunt: per *τὰς κυβερνήσεις* gubernatores sive seniores, qui morum censuræ & ecclesiasticæ disciplinæ præfecti erant, de quibus paulo post plenius dicetur.

Episcopi. §. CCXXXI. Enumeratis hactenus ministerii ecclesiastici gradibus 1. Tim. III. 2. & 8. V. 17. Tit. I. 5. & 7. conjunguntur *episcopi, presbyteri & diaconi. Episcoporum* nomen *ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς*, quod interprete Augustino lib. XIX. de civ. Dei c. 19. est *superintendere*, deducitur. Episcopus igitur Latinis idem est, qui *inspector*, sive ut hodie in ecclesia loquimur, *superintendens.* Ambrosius vertit *superinspectorem;* Hieronymus *superintendentem.* Tribuitur autem in sacris novi testamenti literis nomen *episcopi* in genere omnibus, qui docendi munere in ecclesia funguntur. Illi enim cum *a Spiritu sancto positi sint episcopi ad pascendum ecclesiam Dei*, Act. XX. 28. ac jubeantur *pascere gregem* commissum *ἐπισκοποῦντες*, 1. Petr. V. 2. ideo propter hanc commissi gregis inspectionem jure & merito omnes episcopi vocantur. Sed cum ob *εὐταξίαν* ecclesiasticam & concordiam alendam inter ipsos pastores jam olim tale constitutum fuerit discrimen, ut quibusdam ipsorum non commissi solum gregis, sed etiam aliorum pastorum ac presbyterorum inspectio demandaretur; inde factum, ut *episcopi* nomen significatione speciali adtributum fuerit illis pastoribus, qui in alios docentes habebant inspectionem, cujus significationis vestigia exstant in versione græca Num. VI. 14. 2. Reg. XI. 18. Neh. XI. 22. ut ostendimus superius §. 27. An vero ab ipsis apostolis talis ordo inter pastores fuerit constitutus, & an vestigia hujus significationis in ipsorum scriptis inveniantur, discipiemus postea.

Presbyteri. §. CCXXXII. *Presbyterorum*, quos latine dixeris *seniores*, duo fuere genera in apostolica & primitiva ecclesia, ut colligitur ex 1. Tim. V. 17. Quidam enim docen-

docendi mun ere fungebantur, sive ut apostolus ibidem loquitur, *laborabant in verbo & doctrina*, qui dicebantur episcopi, pastores &c. quidam vero morum censuræ & ecclesiasticæ disciplinæ conservandæ duntaxat præerant, cum magistratus adhuc ethnicus docentes in ecclesia hac in parte destitueret, hi dicebantur κυβερνήται, *gubernatores*, ut colligitur ex 1. Cor. XII. 28. ac προϊσταμένοι Rom. XII. 8. Ambrosius in 1. Tim. V. in principio: *Et synagoga & postea ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in ecclesia, quod qua negligentia obsoleverit nescio, nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.* Vtrique communiter vocabantur προεστῶτες, 1. Tim. V. 17. ac ἡγούμενοι. Act. XV 22. Hebr. XIII. 7. 17. & 24. Ex utrisque simul conjunctis collectum fuit illud collegium sacrum, quod Paulus vocat *presbyterium*. 1. Tim. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; ex quo loco colligitur, in ordinatione ministrorum non solos pastores, sed etiam seniores ex populo electos totius ecclesiæ nomine manus ordinando imposuisse, perinde ut Num. VIII. 10. non solus Aaron, sed etiam seniores ex Israelitis in Levitarum ordinatione manus illis imponunt. Quidam tamen existimant, *presbyterii* nomine specialiter accepto hic intelligi cœtum illorum presbyterorum, qui fuerunt pastores & episcopi. Presbyterio hodie respondet consistorium sive senatus ecclesiasticus, in quo ecclesiasticæ & politicæ personæ præsident, potissimam ecclesiasticæ disciplinæ curam habentes.

Diaconi. §. CCXXXIII. *Diaconorum* a ministrando dictorum itidem duo fuere genera. Quidam curæ pauperum & dispensationi bonorum ecclesiasticorum præfecti erant, quorum origo describitur, Act. VI. 2. illi dicuntur ἀντιλήψεις, 1. Cor. XII. 28. opitulationes, id est, *opitulatores*, quia ex eleemosynis & collectis subveniebant pauperibus, orphanis, viduis ac peregrinis. Fuerunt igitur quasi œconomi ecclesiæ, quibus hodie respondent præfecti ærarii ecclesiastici. Quidam vero episcopis sive presbyteris in docendi & sacramenta administrandi munere erant conjuncti, ut vices eorum supplerent, & labores adlevarent, unde Phil. I. 1. 1. Tim. III. 8. episcopis conjunguntur. Sunt, qui existimant, diaconorum officium a docendi munere plane sejunctum fuisse, cum negent apostoli *mensis simul & ministerio verbi* se vacare posse, Act. VI. 2. cumque Paulus in episcopo quidem requirat, ut sit διδακτικός, in diacono autem duntaxat illud, *ut mysterium fidei teneat in pura conscientia*. 1. Tim. III. 2. & 9. Sed distinguendum inter tempora & functionis partes. Primo quidem in ecclesia Hierosolymitana constituti sunt diaconi eo potissimum fine, ut curam mensarum haberent, hoc est, ut in communione illa bonorum æquali distributioni τῶν βιωτικῶν inservirent; sed postea temporis progressu in aliis ecclesiis etiam habendis ad populum concionibus præfecti fuerunt, teste Hieronymo in epist. ad Rusticum diaconum. Inde apostolus easdem fere virtutes in diacono requirit, quas in episcopo, ac diserte de illis dicit, quod *bene ministrantes gradum sibi bonum adquirant*, 1. Tim. III. 13. hoc est, quod ad altiora officia ecclesiastica provehi possint. Occasio, ex qua factum, ut a cura pauperum & ærarii ecclesiastici administratione ad sacramentorum administrationem & verbi prædicationem adsumerentur, videtur fuisse ea. In ecclesia apostolica & primitiva instituebant ἀγάπας, convivia communia, ex illis, quæ a fidelibus conferebantur, quia igitur diaconi ex illis collectis distribuebant pauperibus, inde factum, ut etiam eucharistiæ administrationi, quæ ex iisdem collectis celebrabatur, admoverentur, ac tandem etiam prædicationi verbi, ut constat ex Justino apol. II. pro christ. Quid quod ne quidem primi illi ecclesiæ Hierosolymitanæ diaconi a docendi munere simpliciter & absolute fuerint exclusi, ut superius § LXVIII. exemplo Stephani & Philippi fuit ostensum.

§. CCXXXIV.

An episcopi presbyteris jure divino superiores?

§. CCXXXIV. Antequam hinc abeamus ad reliquos ministrorum ordines, qui post apostolorum tempora in ecclesia instituti sunt, excutienda est quæstio de discrimine inter *episcopos* ac *presbyteros*. Pontificii existimant, *episcopos presbyteris jure divino quoad potestatem tum ordinis tum jurisdictionis superiores esse*, illud interpretantur hoc modo, quod non solum ἐυταξίας & alendæ concordiæ causa introductus sit ordo inter episcopos & presbyteros, sed quod etiam *jure divino* episcopus majorem habeat potestatem, quam presbyter, videlicet ordinandi, confirmationis sacramentum conferendi &c. Vnde porro inferunt, *Lutherum non habuisse potestatem alios ministros ordinandi, cum non fuerit episcopus, sed duntaxat presbyter, & per consequens nullos hodie in ecclesiis nostris esse veros ministros.* Concilium Trident. sess. XXIII. cap. IV. *sacrosancta synodus declarat praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere & positos, sicut apostolus ait, a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse.* Can. 7. *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit.* Bellarminus libr. de clericis cap. XIV. secutus illud concilii decretum tria demonstrare conatur: primo *jure divino majorem esse episcopum presbytero, quod adtinet ad ordinis potestatem;* secundo *majorem esse etiam, quantum ad jurisdictionem;* tertio *episcopos in veteri ecclesia non fuisse in cœtu presbyterorum quasi consules in senatu, sed quasi reges ac principes in cœtu consiliariorum.*

Nostra sententia probatur 1.) ex scripturæ dictis.

§. CCXXXV. Nos ordinem inter ecclesiæ ministros haudquaquam tollimus, sed libenter concedimus, quoad *potestatem ordinis* esse discrimen inter episcopos & presbyteros, ac respectu illius episcopos esse presbyteris superiores; sed quoad *potestatem jurisdictionis* jure divino quamdam inter episcopos & presbyteros inæqualitatem esse non agnoscimus, cum ex scripturis contrarium colligi possit. I.) Act. XX. 17. Paulus apostolus vocat ad se presbyteros ecclesiæ Ephesinæ, eos scilicet, qui in sermone ac doctrina laborabant, ut colligitur ex v. 28. ubi tribuitur illis τὸ ποιμαίνειν ecclesiam Dei, & v. 30. ubi ex illis ipsis dicuntur surrecturi viri loquentes διεστραμμένα. Jam vero illi ipsi presbyteri v. 28. vocantur episcopi. *Adtendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos.* Ergo in ecclesia apostolica iidem fuere & episcopi & presbyteri. Excipit Bellarminus de cleric. c. 15. *nomina eo tempore fuisse communia, licet res ipsae & potestates fuerint distinctae.* Sed hac de re ex sequentibus fieri poterit judicium. II.) Paulus in ἐπιγραφῇ epistolæ ad Philippenses *episcoporum & diaconorum* adpellationibus omnes ecclesiæ illius ministros complectitur Phil. I. 1. *Paulus & Timotheus servi Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis.* Atqui si episcopi a presbyteris fuissent distincti, apostolus eos haudquaquam præteriisset, sed ἐπιγραφὴν hoc modo formasset, cum episcopo, presbyteris & diaconis. Præterea colligitur ex illo loco, plures tunc temporis in una civitate fuisse episcopos, quod ipsum etiam patet ex Act. XX. 28. Jam vero de episcopis, prout hodie definiuntur, illud verum esse nequit, *cum in una civitate unus duntaxat sit & esse debeat episcopus.* Bellarminus, repudiatis aliorum interpretationibus, utpote Ambrosii, qui in comment. illud: *cum episcopis & diaconis*, refert ad eos, qui scribunt, ut Paulus & Timotheus dicantur episcopi; Epiphanii, qui hæres. 57. scribit, *illo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non fuisse ullos presbyteros, sed episcopos solos cum diaconis;* Theodoreti, qui in comment. 1. Tim. III. scribit, *veros episcopos tunc temporis non episcopos sed presbyteros dici solitos, presbyteris vero episcoporum nomen adtribulum;* repetit Chrysostomi & aliorum

I) *ex Act. 20, 17. ubi iidem dicuntur episcopi & presbyteri.*

II) *ex Phil. 1, 1.*

rum explicationem, *quod tempore apostolorum nomina illa: episcopus & presbyter, communia fuerint omnibus sacerdotibus tam majoribus, quos nunc episcopos dicimus, quam minoribus, quos presbyteros adpellamus, licet res ipsae & potestates distinctae essent.* Resp. Τὰ ὀνόματα τῶν πραγμάτων ἴσα σύμβολα. Si distinctæ fuissent jurisdictionis potestates inter episcopos ac presbyteros, & quidem jure divino, ipsa quoque nomina fuissent distincta. Probandum igitur prius erit certis & immotis scripturæ fundamentis, potestatem jurisdictionis peculiarem jure divino episcopis tunc fuisse adtributam, qua presbyteri caruere, antequam illa responsio locum invenire possit. III.) Paulus ordines ecclesiasticos ex professo recensens 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. distinctam episcoporum non facit mentionem, sed ipsorum nomen & officium *pastorum ac doctorum* nomine exprimit. Ergo episcoporum officium & ordo tunc temporis a presbyterorum officio & ordine non fuere distincta. IV.) Paulus 1. Tim. III. 1. vocabulo ἐπισκοπῆς officium docendi in ecclesia, ac proinde etiam presbyterorum officium in genere complectitur, v. 2. subjungit virtutes in episcopo, hoc est, quovis ecclesiæ presbytero, sive doctore requisitas, v. 8. *diaconos* episcopis adjungit. At si episcopi tunc temporis a presbyteris fuere distincti, cur peculiarem & distinctam presbyterorum non facit mentionem? Si episcopi tunc fuere distincti a presbyteris; consequens fuerit, in solis episcopis & diaconis requiri, ut sint unius uxoris mariti, sobrii, prudentes &c. non autem in presbyteris. Repetit Bellarminus suam exceptionem, *sub nomine episcoporum comprehendi sacerdotes majores & presbyteros, sub nomine diaconorum omnes inferiores ministros, quos* paulo ante hac serie recensuerat, *diaconos, subdiaconos, acoluthos, lectores, exorcistas & ostiarios.* Resp. an vero Bellarminus existimat, persuaderi nobis posse, talem majorum & minorum ordinum distinctionem in ecclesia apostolica fuisse? cum ipsum jus canonicum testetur, plerosque illorum ordinum apostolicæ ecclesiæ incognitos fuisse, ut adparebit suo loco. Si solum nomen episcopi presbyteris fuisset commune, potestate jurisdictionis & officio inter episcopos & presbyteros manentibus distinctis; certe proprium illud episcopi officium & virtutes proprias eo in loco apostolus haudquaquam præteriisset. V.) 1. Tim. IV. 14. *Noli negligere gratiam*, χάρισμα, *donum, quod in te est, quod datum est tibi per impositionem manuum presbyterii.* Ex hoc loco adparet, in ordinatione ministrorum, de qua hunc textum omnes interpretes accipiunt, tesse Bellarmino de sacr. ordin. cap. 2. presbyteros etiam manus imposuisse, ac proinde ab ordinandi potestate eos non fuisse jure quodam divino simpliciter exclusos. Atqui superiorem illam jurisdictionis potestatem jure divino episcopis competentem pontificii in eo vel maxime ponunt, quod episcopus possit ordinare ministros; presbyteri vero minime; cum ex toto codice biblico ne apex quidem proferri possit, quo demonstretur, immutabili quadam necessitate ac ipsius Dei institutione potestatem ordinandi eo modo competere episcopis, ut si minister ab episcopo ordinetur, ejus vocatio & ordinatio censeatur rata, sin a presbytero, quod tunc irrita coram Deo & frustranea sit habenda. Excipit Bellarminus, *presbyterii nomine intelligi ipsum officium Timotheo demandatum, ut sit sensus, per impositionem manuum presbyterii, id est, qua presbyteratum accepisti.* Sed hæc expositio est dura & coacta, conferimus enim locum parallelum: 2. Tim. I. 6. *Resuscites donum Dei, quod in te est per impositionem manuum mearum.* Quemadmodum apostolus ibi docet, sese suas manus in ordinatione Timotheo imposuisse, ita quoque eadem phrasi 1. Tim. IV. 14. docet, presbyteros una secum Timotheo manus imposuisse. Præterea si Timotheus accepto presbyteratu ipso jure etiam fuit episcopus, utique inter episcopos & presbyteros quoad jurisdictionis potestatem jure divino nullum erit discrimen.

III) *ex 1. Cor. 12, 28. Eph. 4, 11.*

IV) *ex 1. Tim. 3, 1.*

V) *ex 1. Tim. 4, 14.*

ſcrimen. Prius adſerit hoc loco Bellarminus, poſterius igitur negare haudquaquam debet. Verum prætermiſſa illa expoſitione Bellarminus aliam profert, quam dicit ſibi videri veriorem, quod *ſcilicet nomine presbyterii intelligatur cœtus epiſcoporum, qui novo epiſcopo manus imponunt*, juxta Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophylactum & Oecumenium in h. l. *Reſp.* bene eſt, ille cœtus epiſcoporum, qui manus ordinando impoſuit, fuit in eccleſia apoſtolica cœtus presbyterorum, & ille epiſcopus, cui manus a presbyterio fuere impoſitæ, in eccleſia apoſtolica fuit presbyter, quod ipſum confirmant græci illi interpretes, quos Bellarminus adducit. Ergo non ſolum nomen epiſcoporum, ſed etiam ordinandi poteſtas fuit presbyteris in eccleſia apoſtolica conceſſa. Vnde enim demonſtrabit Bellarminus, in ordinatione Timothei epiſcopi *omnes totius provinciae epiſcopos vel certe tres epiſcopos ſpecifice & phraſi pontificia ſic dictos conveniſſe, & una cum Paulo manus ei impoſuiſſe?* quod tamen præciſa & abſoluta neceſſitate in epiſcopi ordinatione requiri docet lib. IV. de eccleſ. cap. 8. §. Quantum. VI.) Tit.

VI) *ex Tit. 1, 5.* I. 5. *Ideo te reliqui Cretae, ut conſtituas oppidatim presbyteros.* v. 6. *Si quis eſt ſine crimine, unius uxoris maritus &c.* v. 7. *Oportet enim epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſicut Dei œconomum.* Ex hoc loco manifeſtum, eosdem dici & fuiſſe epiſcopos, qui dicebantur & erant presbyteri, alias nulla foret in textu apoſtolico connexio, quam tamen particula αἰτιολογικὴ γὰρ diſerte ponit. Quæ enim συναφεια hæc foret: Illi conſtituendi ſunt presbyteri, qui ſunt ſine crimine, unius uxoris viri, quia epiſcopum, cujus officium, poteſtas, jurisdictio & gradus differt a presbytero, oportet eſſe ſine crimine unius uxoris virum? Bellarminus repetit ſuam exceptionem, *nomina fuiſſe tunc temporis communia, non ipſas poteſtates*, ſed hoc eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. VII.) Petrus omnium conſenſu fuit epiſcopus, & quidem juxta pontificios ſummus epiſcopus. At is vocat ſeſe presbyterum 1. Petr. V. 1.

VII) *ex 1. Petr. 5, 1.* *Presbyteros inter vos adhortor ὁ συμπρεσβύτερος* ac v. 2. presbyteros illos vocat *epiſcopos, paſcite gregem Dei*, ἐπισκοποῦντες. Johannes etiam epiſt. II. v. 1. & III. v. 1. vocat ſe *presbyterum*, idem tamen fuit epiſcopus. Ergo iidem tunc fuere epiſcopi, qui & presbyteri. Repetit Bellarminus ſuam crambem, *ſola nomina tunc fuiſſe communia.* Atqui ſi jure divino diſtinctæ fuiſſent epiſcoporum & presbyterorum poteſtates, vel unus aliquis proferri poſſet ex ſcripturis locus, in quo nomen epiſcopi ſenſu illo proprio & peculiari acciperetur; jam vero ſcriptura ubique epiſcoporum & presbyterorum nomina pro ἰσοδυναμεῖσι habet, eaque invicem permutat. Si jure divino diſtinctæ fuiſſent epiſcoporum & presbyterorum poteſtates; apoſtoli, qui toties de officiis eccleſiaſticis & virtutibus miniſtrorum eccleſiæ agunt, vel uno quodam in loco diſtincte de epiſcopi & presbyteri poteſtate, officio, virtutibus tractaſſent; jam vero ſcriptura ubique ſub nomine epiſcoporum poteſtatem, officium & virtutes etiam presbyterorum deſcribit. Si nominis duntaxat communio inter epiſcopos & presbyteros fuiſſet, quæ foret cohærentia textus Act. XX. 28. ubi presbyteri Epheſini monentur de diligentia in officio adhibenda, propterea quod *Spiritus ſanctus ipſos poſuerit epiſcopos.* At ſi fuiſſent ſola nominis communicatione epiſcopi, non potuiſſet ex nuda adpellatione argumentum adhortationis deſumi.

§. CCXXXVI. Hanc ſententiam late confirmat Hieronymus in epiſt. 85. ad Evagrium, ubi omnia fere argumenta hactenus producta complectitur: *Apoſtolus* (inquit) *perſpicue docet, eosdem eſſe presbyteros, quos epiſcopos. Quaeris autoritatem? audi teſtimonium*: Paulus & Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cum epiſcopis & diaconis. *Vis & aliud exemplum? in actis apoſtolorum ad unius eccleſiae ſacerdotes apoſtolus ita loquitur*: Adtendite vobis & cuncto gregi, in quo vos, fratres, Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, ut regatis eccleſiam Dei,

2.) *ex patrum teſtimoniis.*

Dei, quam adquisivit suo sanguine. *Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audiat & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eumdem esse episcopum atque presbyterum*: Propter hoc reliqui te Cretæ, ut quæ deerant corrigeres, & constitueres presbyteros per civitates, sicut ego tibi mandavi, si quis est sine crimine &c. oportet enim episcopum sine crimine esse. *Et ad Timotheum*: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam & per impositionem manuum presbyterii. *Sed & Petrus in prima epistola*: Presbyteros, *inquit*, qui in vobis sunt, precor ego compresbyter &c. regite ecclesiam Dei & inspicite &c. *quod quidem Graece significantius dicitur*, ἐπισκοποῦντες, *id est, superintendentes, unde nomen episcopi tractum est. Parva sibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba evangelica, filius tonitru, quem Jesus plurimum amavit, qui de pectore salvatoris fluentem doctrinam potavit*: Presbyter electæ Dominæ & filiis ejus. *Et in alia epistola*: Presbyter Cajo carissimo &c. *Quod autem postea unus electus est, qui caeteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam & Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodo si exercitus sibi imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & archidiaconum nuncupent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? nec altera Romanae urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est &c. Presbyter & episcopus aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen, unde & ad Titum & ad Timotheum de ordinatione episcopi & diaconi dicitur, de presbyteris omnino reticetur, quia in episcopo & presbyter continetur.* Idem in comm. Tit. I. *Olim idem erat presbyter, qui & episcopus, & antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent, & dicebatur in populis*: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ, *communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur.* Et postea: *Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos: ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispensationis dominicae veritate presbyteris esse majores, & in communi debere regere ecclesiam.* Ad hunc Hieronymi locum varias proferunt exceptiones. Thomas II. q. 1. art. 6. respondet, *Hieronymum loqui solum de nominibus episcopi & presbyteri.* Joh. Anton. Delphinus lib. II. de ecclesia docet, *ex Hieronymi sententia initio nascentis ecclesiae omnes presbyteros fuisse episcopos, non quod idem sit episcopatus & presbyteratus, sed quod utraque dignitas omnibus sacerdotibus daretur, deinde autem ad schismata evitanda caepisse aliquos solum presbyteros ordinari, & hoc modo ex ecclesiae consuetudine factum esse, ut episcopi essent majores presbyteris.* Michael Medina lib. I. de sacrorum hominum origine & continentia cap. 5. adfirmat, *Hieronymum hac in parte idem sensisse cum Aerianis*, nec solum Hieronymum in ea fuisse, sed etiam multos ex græcis & latinis patribus, Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum. *Atque ita* (inquit) *senserunt isti viri alioquin sanctissimi & sacrarum scripturarum consultissimi, quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo in Johanne Wiclefo damnavit ecclesia.* Et postea: *Ergo in Hieronymo & graecis illis patribus olim propter eorum honorem & reverentiam haec sententia aut dissimulabatur, aut tolerabatur in illis: contra in haereticis, quod in aliis quoque multis ab ecclesia declinarent, tanquam haeretica semper est damnata.* Horum omnium exceptiones Bellarminus refellit, iisque suam præfert, videlicet quod Hieronymus agnoscat *discrimen inter episcopos & presbyteros, tan-*

quam legitime, imo & necessario ad schismata vitanda ab ipsis apostolis introductum, non enim dicit ante paucos annos ex temporum corruptela natum episcopatum, sed ab eo tempore, quo cæpit dici in ecclesia: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae. Resp. 1) In verbis proxime præcedentibus Bellarminus dicit, *Hieronymum agnoscere, quod episcopus sit major presbytero quantum ad ordinis potestatem & quidem jure divino*, cum in epist. ad Evagr. scribat: *Quid facit episcopus excepta ordinatione, quod non facit presbyter?* Atqui si Hieronymus agnosceret, episcopum quoad potestatem ordinis, id est, quoad potestatem ministros ecclesiæ ordinandi, ita enim Bellarminus eam explicat, jure divino esse majorem presbytero; utique etiam agnosceret potestate jurisdictionis ipsum esse majorem, quia potestas illa ordinandi solis episcopis jure divino concessa esset pars quædam jurisdictionis ipsis solis itidem jure divino debitæ. Jam vero Hieronymus superiorem episcoporum eminentiam verbis expressis ecclesiæ consuetudini, non autem *dominicae institutioni* sive juri divino tribuit, ergo etiam tam ordinis conferendi quam jurisdictionis potestatem agnoscit non ex jure divino, sed ex ecclesiæ consuetudine descendere. Quæ enim hæc in verbis Bellarmini consequentia: Hieronymus agnoscit episcopum esse majorem quoad potestatem ordinis; ergo jure divino eum superiorem agnoscit? Imo vero Hieronymus diserte se ipsum exponit, quod *non ex dominica institutione*, sed *ecclesiae consuetudine* illud descendat, quod episcopi sint presbyteris præpositi; proinde quod episcopis partes ordinandi relictæ sunt, itidem ex ecclesiæ consuetudine descendere judicavit, unde etiam Alphonsus a Castro adv. hær. tit. *episcopus;* fatetur, *Hieronymum in ea opinione fuisse, ut crederet, episcopum & presbyterum ejusdem esse ordinis & potestatis*; ac Bellarminus ipse lib. I. de Rom. pont. c. 8. circa finem: *Videtur Hieronymus in ea sententia fuisse, ut existimaret episcopos, si de jurisdictione agatur, esse quidem presbyteris majores, sed jure ecclesiastico, quae sententia falsa est & suo loco refellenda.* Hæc Bellarminus satis pro imperio. 2) Si vel maxime Hieronymus statueret, ab ipsis apostolis introductum esse illum ordinem inter episcopos & presbyteros, qui adhuc in nostris ecclesiis observatur; nondum tamen evictum foret, ipsum statuere, quod *jure divino* episcopi sint presbyteris majores, siquidem apostolica illa constitutio fuisset pars ἐνταξίας ecclesiasticæ, nequaquam vero collatio potestatis jure divino majoris. Vbi probe notandum, quod ipse Bellarminus agnoscat, a constitutione apostolorum ad jus divinum non esse firmam & legitimam consequentiam, sic enim scribit hoc loco: *Hieronymus etsi jure divino non agnoscere videtur discrimen inter jurisdictionem episcopi & presbyteri; tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitime, imo & necessario ad schismata vitanda ab apostolis introductum, vult enim in ipsis ecclesiae primordiis, cum adhuc viverent apostoli, in toto orbe ab ipsis apostolis ecclesias tunc regentibus jurisdictionem ecclesiasticam ad episcopos esse delatam.* 3) Nequaquam dicit Hieronymus, tunc esse introductum discrimen episcoporum & presbyterorum, *cum tempore apostolorum in ecclesia* Corinthiaca diceretur? *Ego sum Pauli, ego Apollo &c.* sed antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & *in populis* diceretur: *Ego sum Pauli*; id est, antequam in ecclesiis per omnes gentes & populos propagatis talia partium studia & dissidia nascerentur, qualia in Corinthiaca ecclesia olim erant nata. Diserte enim ad ecclesiæ consuetudinem, non autem apostolorum dispositionem revocat illam episcoporum προεδρίαν. 4) Ac probe notandum, quod Hieronymus ex epist. ad Tit. & Philippenses & ex epistolis Petri & Johannis argumenta depromat, quibus probat, *episcopos jure divino non esse presbyteris majores.* Jam vero illæ epistolæ scriptæ sunt post priorem epistolam ad Corinthios, in qua verba illa: *Ego sum Pauli, ego Apollo &c.* habentur. Ergo non potest de ipso cogitari, quod apostolorum tempore discrimen illud episcoporum & presbyterorum introductum

statuat.

statuat. Bellarminus id unum regerit, *Hieronymum non fuisse in illa sententia certum & constantem*, cum *Jacobum a Christi adscensione ordinatum episcopum Hierosolymorum* in libr. de eccl. script. statuat; cum in epist. ad Evagr. *episcopum Aaroni*, *presbyteros filiis Aaronis* comparet; cum in epist. ad Marcell. *episcopos apostolis succedere* dicat, denique cum lib. I. adv. Jovin. *unum ex duodecim ob schisma tollenda ipsis ut caput etiam praestitutum* scribat. Sed hæc omnia distinctione inter liberam ecclesiæ consuetudinem, & dominicam dispensationem ita conciliari possunt, ut Hieronymi sententiæ non adversentur. Hæc de sententia Hieronymi, quam Anshelmus & Sedulius in Tit. I. iisdem fere verbis repetunt. Chrysostomus in 1. Tim. III. *Inter episcopum atque presbyterum interest ferme nihil, quippe & presbyteris ecclesiae cura permissa est, & quae de episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt, sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Idem ex Chrysostomo repetunt Primasius, Theophylactus & Oecumenius in illum locum. Bellarminus regerit, *ex eo ipso colligi, quod majores sint episcopi presbyteris, cum illi, non hi ordinare possint.* Resp. id ex libera ecclesiæ dispositione & consuetudine, non autem ex jure divino, sive dominica institutione descendit, ac proinde nondum probat, jure divino episcopos presbyteris esse majores. Ac si vel maxime potestate ordinis essent superiores, hoc est, potestate ordinandi ab ecclesia ipsis commissa, nondum tamen evictum foret, *potestate jurisdictionis* ipsos esse superiores, & quidem *jure divino*. Bellarminus regerit, *auctores illos cum nihil tribuunt episcopo, quod non sit cum presbyteris illi commune, excepta ordinatione, loqui de iis rebus, quae nullo modo presbyteris conveniunt; tale autem nihil est, nisi ordinatio, praecipue sacerdotum, nam potestas jurisdictionis ex commissione episcopi presbyteris etiam convenire potest.* Resp. hoc vero est quidvis pro arbitrio fingere. Verba illorum auctorum sunt satis perspicua: *Sola ordinatione sunt superiores, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Ambrosius in Eph. IV. *Non per omnia conveniunt scripta apostoli ordinationi, quae nunc in ecclesia est, quia haec inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum presbyterum a se creatum episcopum vocat, quia primum episcopi presbyteri adpellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet.* Bellarminus regerit, *agi ibi duntaxat de ratione successionis in episcopis mutata;* sed contextus ostendit, de ipso gradu & ordine inter episcopum & presbyteros loqui Ambrosium, sic enim habent præcedentia: *In episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est, princeps sacerdotum & propheta & evangelista &c. tamen postquam omnibus locis ecclesiae constitutae sunt & officia ordinata, aliter composita res est, quam caperat. Primum enim omnes docebant, & omnes baptizabant &c. At ubi omnia loca circumplexa est ecclesia, conventicula constituta sunt, & rectores & caetera officia in ecclesiis sunt ordinata &c.* Augustinus epist. XIX. ad Hieron. *Quamvis enim secundum honorum vocabula, quae jam ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo minor est*; ubi episcopatus dicitur nomen honoris, non potestatis, & ecclesiæ usui ejus origo tribuitur. Bellarminus regerit, *illud*: jam obtinuit; *non opponi tempori antiquo ipsius ecclesiae christianae, sed tempori, quod fuit ante exortum ecclesiae christianae.* Atqui hoc dicitur gratis, si divino jure episcopatum presbyterio quoad jurisdictionis potestatem esse majorem Augustinus judicasset, nunquam dixisset, ex usu ecclesiæ illud jam obtinere. Noverat Augustinus Hieronymi sententiam, quam illis ipsis verbis expressit. Beda in Luc. X. *Primis ecclesiae temporibus, ut apostolica scriptura testis est, utrique presbyteri, utrique vocabantur episcopi, quorum unum sapientiae maturitatem, alterum industriam curae pastoralis significat.*

§. CCXXXVII. Addimus his testimonia ipsorum adversario- 3) *ex ipsis adversariis.*

rum c. Legimus dist. 93. & c. Olim. dist. 95. Hieronymi sententia recitatur. c. Cleros dist. 21. *apud veteres iidem episcopi & presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis & non aetatis est.* c. Nullus dist. 60. *Sacros ordines dicimus diaconatum & presbyteratum, hos enim solos primitiva legitur habuisse ecclesia.* c. Ecce. dist. 95. *Ipsi presbyteri, ut legimus, episcopi nominantur.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 24. lit. I. repetit ex Isidoro: *Apud veteres iidem episcopi & presbyteri fuerunt.* Cardinalis Arelatensis referente Ænea Sylvio lib. I. de gest. concilii Basil. idem docuit. Johannes Parisiensis in libro de potestate papæ a Sorbona adprobato statuit, *presbyteros non esse inferiores pontificibus, quod ad essentialem ministerii dignitatem adtinet.* Erasmus in adnot. 1. Tim. IV. p. 472. *Antiquitus inter episcopum & presbyterum nihil intererat, sed post propter schismata a multis delectus est episcopus &c.* in 1. Petr. V. p. 533. *Presbyteros vocat episcopos, nondum enim increverat turba sacerdotum, sed quot erant presbyteri, totidem erant episcopi.* Michael Medina lib. I. de sacr. hominum orig. & continent. c. 5. non Hieronymi solum, sed etiam Ambrosii, Augustini, Sedulii, Primasii, Chrysostomi, Theodoreti, Oecumenii & Theophylacti suffragium in hac quæstione nobis largitur. Cassander in consult. art. XIV. *An episcopatus inter ordines ecclesiasticos ponendus sit, inter theologos & canonistas non convenit; convenit autem inter omnes, in apostolorum aetate inter episcopos & presbyteros nullum discrimen fuisse, sed postmodum schismatis evitandi causa episcopum presbyteris fuisse praepositum, cui χειροτονία, id est, ordinandi potestas concessa est, sine qua ordinandi distinctione pax vel politica vel ecclesiastica retineri vix possit.*

Antithesis pontificiorum: episcopos jure divino presbyteris majores esse.

§. CCXXXVIII. Bellarminus demonstraturus, *episcopos, quoad potestatem ordinis presbyteris jure divino majores esse*, sic progreditur: *Solus episcopus potest ordinare, & eo modo generare patres ecclesiae, presbyteri autem ordinare non possunt, sed solum baptizare, & eo modo ecclesiae filios generare.* Id probat ex Damaso epist. 3. concilio Antiochen. cap. 10. Ancyrano cap. 12. Epiphanio hæres. 75. Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto & Oecumenio in cap. 3. & 4. prioris ad Tim. Hieronymo epist. 85. Leone epist. 88. Addit perpetuam ecclesiae praxin, cum *nunquam auditum sit, quod presbyteri presbyteros aut diaconos, nedum episcopos ordinaverint.* Quod autem sit ex jure divino, ut episcopi ordinent, inde colligit, *quia habeatur irritum, si quid in ea re fecissent, qui presbyteri erant*, ubi adducit epist. Gregorii tertii ad Bonifacium & epist. 3. Damasi. Subjungit deinde argumentum ex hypothesi pontificia deductum: *Ordinatio est sacramentum, jam vero sacramenta omnia a Deo sunt instituta. Ergo qui major est ordinis potestate, quae per sacramentum ordinationis accipitur, is quoque major sit ex divina institutione, necesse est.* Denique *ex confirmatione baptizatorum, & templorum atque altarium consecratione, quae ad solos episcopos pertineat*, hanc thesin suam probare satagit. *Resp.* 1.) Probatio Bellarmini non est adcommodata ad id, quod est in quæstione. Quæstio est, an potestas ordinandi *jure divino* ad solos episcopos pertineat? Bellarminus id probat ex ecclesiæ consuetudine. Atqui probandum erat *ex dominica institutione* illud descendere. 2.) Si vel maxime demonstratum esset a Bellarmino, quod ipsi apostoli tale discrimen instituissent inter episcopos & presbyteros, quod illis, non autem his, potestas ordinandi una cum inspectione reliquorum presbyterorum debeat esse commissa, quod verisimiliter quidam colligi posse existimant ex Tit. I. 5. ubi Tito, Cretensium episcopo, demandatur hæc provincia, *ut constituat oppidatim presbyteros*: nondum tamen evictum foret, *jure divino* majores esse episcopos presbyteris. Constitutio enim illa apostolica esset duntaxat pars ἐυταξίας ecclesiasticæ, non autem præceptum aliquod divini juris, esset dispositio de ordinaria hujus ecclesiastici actus collatione, nequaquam vero præjudicaret extraordinario necessitatis casui, quasi

scilicet

scilicet ne quidem urgente necessitatis casu, quando episcopi hoc officium suum negligunt, presbyteri nomine ecclesiæ possent ministros ordinare. Recolat Bellarminus sua verba in c. sep. *Etsi Hieronymus non videtur agnoscere, jure divino esse discrimen inter jurisdictionem episcopi & presbyteri; agnoscit tamen hoc ipsum discrimen ab apostolis introductum, vult enim Hieronymus in ipsis ecclesiae primordiis, cum adhuc viverent apostoli, jurisdictionem ecclesiasticam ad episcopos esse delatam.* Quod si Hieronymus agnoscere potuit, ab apostolis profectum esse discrimen episcoporum ac presbyterorum, ut tamen non agnosceret a jure divino illud esse; utique inter hæc duo non est necessaria & immediata connexio: esse ab apostolis introductum, & esse ex jure divino. 3.) Ostendimus vero superius ex 1. Tim. IV. 14. in ecclesia apostolica presbyteros non fuisse ab impositione manuum in ordinatione simpliciter exclusos, licet ordinis causa ὁ πρωτεύων, sive primarius presbyter, peculiari ratione episcopus dictus nomine ecclesiæ & totius presbyterii actum ordinationis forte administraverit. Vt enim a vocatione ministrorum illorum, quos Titus debuit constituere κατὰ πόλιν, nequaquam excludendum est ecclesiæ suffragium; ita quoque ab ordinatione eorumdem non est excludenda presbyterii χειροθεσία. 4.) Cum Barnabas & Paulus a Spiritu sancto ad peculiarem aliquam ministerii ecclesiastici functionem segregarentur, reliqui ecclesiæ Antiochenæ doctores ipsis, priusquam dimitterentur, *jejunantes & orantes* impositure manus. Act. XIII. 3. Jam vero Paulus *apostolus*, & Barnabas *evangelista* jure divino erant majores illis prophetis & doctoribus. Ergo non est absurdum, presbyteros imponere manus episcopis, qui non divino jure, sed ecclesiæ consuetudine majores sunt. 5.) Ordinandi potestatem ita fuisse episcopis propriam, ut ne quidem urgente necessitatis casu presbyteris fuerit relicta, atque ut plane haberetur irritum, quod ab ipsis in casu necessitatis extraordinarie factum, gratis dicitur; præsto enim sunt exempla in contrarium, quæ adduximus in tract. de eccles. §. CCI. & hoc ipso tract. §. CLIV. Ambrosius in Eph. IV. *Apud Ægyptum presbyteri confignant, si præsens non sit episcopus.* Augustinus in quæst. ex utroque test. quæst. CI. *In Alexandria & per totum Ægyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter.* 6.) Ordinationem esse sacramentum proprie sic dictum, falsa est hypothesis. Ac si vel maxime sacramentum esset, nondum tamen consequens foret, ab ejus administratione presbyteros, etiam in casu necessitatis, excusos esse, cum baptismi administratio ordinarie ad ministerium ecclesiasticum pertineat, ad quam tamen ab ipsis pontificiis extraordinarie in casu necessitatis admittuntur laici. 7.) De confirmationis sacramento quid statuendum sit, alibi explicabitur. Altarium & templorum consecratio ignota fuit apostolicæ ac primitivæ ecclesiæ, pacatis demum temporibus & cessantibus persecutionibus introducta. Frustra igitur ex consecratione illa episcopis tributa quæritur argumentum, quod jure divino major sit episcopi quam presbyteri potestas.

Quoad potestatem jurisdictionis.

§. CCXXXIX. Quod *potestate jurisdictionis jure divino concessa episcopi majores sint presbyteris*, quatuor argumentis Bellarminus confirmare nititur. 1.) *ex figura V. T.* 1.) *Primum* desumit *ex figura vet. test. in quo erat unus summus sacerdos, & qui ei succedebant, erant praeterea minores sacerdotes, omnes videlicet filii Aaronis, & qui ab illis descendebant; ac denique erant Levitae caeteri, qui a Levi originem ducebant, sed non per Aaronem. At episcopi idem sunt in ecclesia, quod erant pontifices in test. vet. id presbyteri apud nos, quod illic minores sacerdotes, ut etiam id diaconi nostri, quod illorum Levitae, ut docent*, Damasus epist. 2. Hieronymus epist. 85. Leo epist. 88. &c. *Resp.* 1.) Inter hierarchiam ecclesiasticam vet. ac nov. test. est evidens disparitas. Illa enim expressam habet divinam institutionem, sed hæc ab ecclesiæ consuetudine originem trahit. 2.) Ex figuris & typis non possunt duci firma argumenta, nisi ipsa scriptura monstret adplicationem. 3.) Comparatio typi

pi & antitypi non debet extendi ultra tertium, in quo instituitur, cum multa sint in typo, quæ non necessario sunt in antitypo. Veteres conferunt episcopos cum pontificibus, presbyteros cum sacerdotibus minoribus, diaconos cum Levitis ratione ordinis; sed ex eo deduci nequaquam debet, quod, ut ordo inter pontificem, sacerdotes & Levitas in vet. test. fuit ex jure divino, ita quoque ordo inter episcopos, presbyteros & diaconos in nov. test. itidem sit ex jure divino; contrarium enim testatur ipse Hieronymus, qui comparatione illa utitur. 4.) Epistola ad Hebræos testatur, summum sacerdotium vet. test. fuisse typum & figuram, non episcoporum, sed unius ἀρχιερέως, Christi Jesu. 5.) Bellarminus lib. IV. de Rom. pont. c. 1. & alibi passim soli Romano pontifici tribuit supremam illam jurisdictionem, quæ in vet. test. fuit penes summum sacerdotem; quomodo igitur hoc loco adserit, omnes episcopos succedere summo sacerdoti vet. test. Si constare sibi velit, adferendum ipsi foret, solum Romanum pontificem succedere vet. test. pontifici, episcopos autem ac presbyteros succedere minoribus sacerdotibus, diaconos Levitis. 6.) Si ex ordine leviticorum ministrorum judicium faciendum de ordine ministrorum in nov. test. consequens fuerit, ut in vet. test. duntaxat tres fuere leviticorum ministrorum ordines ac gradus, ita quoque in nov. test. tres duntaxat constituendos esse ministrorum ordines, videlicet *episcopos, presbyteros & diaconos.* Quid ergo fiet ordinibus reliquis? 7.) Jurisdictio ecclesiastica in vet. test. non fuit penes solum pontificem, sed penes synedrium, in quo erant etiam inferiores sacerdotes; pari igitur ratione inferri deberet, jurisdictionem ecclesiasticam in nov. test. non esse penes solos episcopos, pontificis successores, sed etiam penes presbyteros, qui inferioribus sacerdotibus successerint.

2.) *ex distinctione apostolorum & LXX. discipulorum.*

§. CCXL. II.) *Ex distinctione apostolorum & septuaginta discipulorum. Omnes patres constanter docent, episcopos succedere apostolis, presbyteros autem septuaginta discipulis.* Concilium Neocæsar. can. XIII. Damasus epist. 3. Anacletus epist. 2. Hieronymus in epist. ad Marcellam, Augustinus in Psalm. XLIV. &c. *Sed apostolos jure divino majores fuisse LXX. discipulis, colligitur tum ex distincta & diversa institutione, tum ex Matthiae in apostolatum electione.* Resp. 1.) Repetat Bellarminus sua verba ex capite proxime sequente: *Episcopi & presbyteri variis modis a patribus comparantur. Aliquando dicunt episcopum tenere locum Dei, presbyteros locum Christi, diaconos locum apostolorum.* Clemens lib. II. constit. cap. 30. & Ignatius in epist. ad Trallianos. *Aliquando episcopo dant locum Christi, presbyteris locum apostolorum, diaconis locum LXX. discipulorum.* Ita Clemens loco citato, & Ignatius ad Smyrnenses. *Aliquando episcopo dant locum apostolorum, presbyteris locum LXX. discipulorum &c.* quomodo igitur *omnes patres constanter docent*, episcopos succedere apostolis, presbyteros LXX. discipulis? quomodo ex arbitraria & incerta comparatione deduci potest, jure divino episcopos presbyteris majores esse? *Ex scripturis* illud jus divinum erat demonstrandum. 2.) Et apostolorum & LXX. discipulorum vocatio fuit extraordinaria, officium peculiare, gradus temporarius, ergo successio in eo non habet locum; unde etiam Eph. IV. 11. & 1. Cor. XII. 28. *apostolorum & evangelistarum* officium a *pastorum & doctorum* officio distinguitur. 3.) Quamvis superior fuerit ordinis apostolici gradus; tamen in prima apostolorum & septuaginta discipulorum ad Israelitas ablegatione utrisque dantur *paria jura*, ut loquitur Saravia de div. grad. cap. 4. utrique enim docendi & miracula edendi potestate instruuntur. Neque etiam post Christi adscensionem apostoli quamdam jurisdictionem & prætoriam potestatem in illos sibi arrogarunt; sed illos fratres, conservos, cooperarios & coadjutores suos vocarunt, ut testantur exempla Barnabæ, Apollo, Marci, Sylvani, Epaphroditi, Tychici, Andronici, Aquilæ &c. Rom. XVI. 3. Phil. II. 25. Col. I. 7. IV. 7. &c. 4.) Apostolorum temporibus iidem

dem fuere presbyteri & episcopi, ut superius ostensum; ergo ignotum illis fuit tale discrimen, quod soli episcopi jure divino quoad potestatem jurisdictionis succederent apostolis, presbyteri septuaginta discipulis. 5.) Petrus 1. epist. V. 1. vocat se *compresbyterum*; ergo presbyteros certa ratione & respectu apostolorum successores constituit, quatenus scilicet officium docendi verbum, administrandi sacramenta, potestatem clavium exercendi &c. omnes acceperunt, qua in parte non sunt inferiores presbyteris. Quod inspectio reliquorum presbyterorum uni ex ipsis postmodum fuit commissa, & peculiari illa ratione episcopi dicuntur apostolis succedere, id non descendit ex *jure divino*, sed ex ecclesiæ consuetudine: quod adtinet vocationem immediatam, mandatum ubique prædicandi, donum miraculorum, privilegium infallibilitatis &c. ratione horum & similium nec episcopi nec presbyteri apostolis succedunt.

§. CCXLI. III.) *Ex verbis Christi & apostoli. Matth. XXIV.* *inquit Christus*: Quis putas fidelis & prudens est servus, quem constituit Dominus super familiam suam. *Haec verba Hilarius & caeteri patres in hunc locum de episcopis dicta esse volunt, ex quo intelligimus, ipso Domino instituente episcoporum propriam esse curam & gubernationem ecclesiae, quo etiam pertinet locus Act. XX.* Adtendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. *Resp.* 1.) Act. XX. 28. iidem dicuntur ab apostolo episcopi, quos Lucas v. 17. vocaverat presbyteros, ac in una civitate Epheso plures tunc fuere episcopi, quod non competit illis episcopis, de quibus Bellarminus h. l. dicit, quod *presbyteris sint praefecti*. Invertimus igitur Bellarmini argumentum: Illis cura & gubernatio ecclesiæ tunc temporis competebat, quos apostolus jubet pascere ecclesiam Dei. Atqui apostolus presbyteros ibi adloquitur, & eos jubet pascere ecclesiam Dei. Ergo &c. *Major* est Bellarmini; *minor* patet ex v. 17. immota igitur persistit conclusio, quod tunc temporis cura & gubernatio ecclesiæ presbyteris competierit. Atque hoc illud est, quod Hieronymus scribit in comm. Tit. I. quod *communi presbyterorum consilio ecclesiae olim fuerint gubernatae.* 2.) Dictum Christi Matth. XXIV. 45. Theophylactus generaliter exponit de omnibus, qui a Deo aliquid acceperunt: *Qui tunc inventus fuerit fidelis & prudens*, (inquit) *ille & multo plura consequitur, regnum dico cœlorum. Nam omnium quae sunt Dei, haeredes erunt sancti. Fidelis autem servus & prudens omnis etiam est, qui in tempore dedit cibum discipulis, sicut Paulus nunc quidem lacte potans, nunc autem sapienter loquens, sed & omnis, qui a Deo acceperit vel opes, vel potentiam, vel principatum, debet fideliter & prudenter ministrare ea, tanquam rationem reddituras.* Eodem modo Euthymius in h. l. *Convenit* (inquit) *hic sermo non iis tantum, qui divites sunt in sermone, sed & his, qui pecuniis ac possessionibus divites sunt. Omnes enim constituit Deus dispensatores eorum, quae possident, volens, ut omnes fideliter ac prudenter cuncta dividant.* Hæc interpretatio congruit cum proxime antecedente admonitione & sequente comminatione, quæ generalis est ad omnes omnino spectans, siquidem omnes Christus vult vigilare & adventum suum in timore Domini exspectare. 3.) Gregorius p. III. curæ pastoralis c. 5. de omnibus ministris, non de solis episcopis locum exponit. Idem facit Fulgentius serm. I. *Haec familia* (inquit) *est sancta ecclesia, quae per orbem terrae copiosa fertilitate diffunditur &c. Grex boni pastoris est ipsa familia redemtoris. Dispensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem, Paulus nobis ostendit apostolus, qui de se suisque sociis loquens ait, 1. Cor. IV. 1.* Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *Ne quis autem vestrum solos apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiae spiritualis officio servus piger infideliter imprudenterque dormitet, ipse apostolus episco-*

a) *Ex verbis Christi & apostoli Matth. 24. & Act. 20.*

pos quoque dispensatores esse ostendens ait: Tit. I. 7. Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem. Hæc Fulgentius, ex scripturis suam interpretationem probans. 4.) Sed demus de episcopis, qui inspectioni aliorum presbyterorum præfecti sunt, locum peculiariter intelligi posse; nondum tamen evictum erit, *jure divino quoad potestatem jurisdictionis* majores esse episcopos presbyteris, sed hoc duntaxat sequeretur, Deo omnis boni auctori tribuendum esse, quod propter εὐταξίαν talis ordo inter ministros ab ecclesia institutus sit, ut alii aliis præpositi sese mutuo urgeant ad opus ministerii rite perficiendum.

4.) *Ex ignorata distinctionis origine.*

§. CCXLII. IV.) Ex antiquitate. *Si jure humano episcopi presbyteris praeessent, inveniretur certe principium aliquod hujus institutionis post apostolica tempora. At ipso tempore apostolorum is erat ecclesiae usus, ut presbyteri episcopis subessent, nam 1. Tim. V. apostolus ita scribit*: Adversus presbyterum noli adcusationem recipere nisi sub duobus aut tribus testibus; *ubi videmus episcopum apostolorum tempore judicem presbyterorum, ac proinde verum principem & superiorem*, quod probat etiam dictis veterum. *Resp.* 1.) Ex usu ecclesiæ ab ipsis etiam apostolis introducto nondum inferri potest, *jure divino* quoad potestatem jurisdictionis episcopos presbyteris majores esse, ut ex Hieronymo ostendimus superius. 2.) Timotheus fuit unus ex evangelistis, quorum gradus jure divino fuit superior presbyteris. 3.) Concedimus, Timotheum fuisse in ecclesia Ephesina constitutum, ut reliquorum presbyterorum esset inspector, προεςὼς & ἐργοδιώκτης, ideoque etiam ecclesiasticæ judicii director; interim tamen potestatem illam judicandi non vindicavit sibi soli, quia tunc temporis, Hieronymo teste, *communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur*, unde ipsi quoque presbyteri vocantur προεςῶτες 1. Tim. V. 17. 4.) Patrum testimonia, quæ adducuntur, de temporum suorum consuetudine ecclesiastica, non autem de divina institutione loquuntur. 5.) Si presbyteri in illis patrum dictis accipiantur pro illis, qui non *laborant in verbo*, sed morum censuræ præfecti sunt; facile concedimus, episcopos illis majores esse. 6.) Quos Bellarminus defendit episcopos, illi principum more imperant, ac sunt *veri principes*, (ut loquitur) soli habent solium sive thronum in ecclesia, soli excommunicant, in conciliis præsident, ac leges in eis figunt. Sed tales episcopos ignorant Christus & apostoli, iisdemque consentiens primitiva ecclesia. In concilio Hierosolymitano non soli apostoli, sed etiam presbyteri sententiam ferunt Act. XV. 6. 22. & 23. ac tantum abest, ut in ecclesia apostolica & apostolicæ vicina episcopi exclusis presbyteris potestatem vibrandi excommunicationis sulmen sibi solis arrogaverint, ut Paulus apostolus non nisi ecclesiæ Corinthiacæ consensu incestuosum satanæ tradere judicaverit. 1. Cor. V. 4. Atque hæc dicta sunt ad priora duo membra illius cap. in quo demonstrare conatur Bellarminus, episcopos jure divino esse majores presbytero, quoad potestatem ordinis & jurisdictionem; quod adtinet membrum tertium, in quo probare nititur, episcopos in veteri ecclesia non fuisse in cœtu presbyterorum quasi consules in senatu, sed quasi reges ac principes in cœtu consiliariorum, de eo quid statuendum sit, ex dictis facile adparet.

5.) *Ex Ariani haereseos damnatione.*

§. CCXLIII. Non est hoc loco prætermittendum, quod V.) in principio capitis Bellarminus scribit, *haeresin illam jam olim in Aerio damnatam esse, quod inter episcopum & presbyterum nihil interfit*; teste Epiphanio hær. LXXV. & Augustino de hær. c. 53. *Resp.* 1.) Aerius ille, ut testatur Epiphanius, fuit *totus Arianus*. 2.) Nemo nostrum dicit, *nihil interesse inter episcopum & presbyterum*; sed agnoscimus, propter εὐταξίαν ecclesiasticam & concordiam alendam utile esse, ut discrimen episcoporum & presbyterorum in ecclesia conservetur. Tale discrimen a nobis statui, agnoscit Gregorius de Valent. tom. IV. disp. 9. q. 1. punct. 2. *Omnes protestantes* (inquit)

quit) *admittunt tres saltem ministrorum gradus, nempe episcoporum, quos vocant superintendentes, ut habeant curam ecclesiasticae disciplinae; presbyterorum, quos vocant ministros verbi & sacramentorum; ac diaconorum, qui superintendentibus & pastoribus navent operam in administratione sacramentorum & officiis aliis.* Bellarminus ipse lib. de clericis cap. 11. in principio: *Chemnitius docet, tres tantum esse veros ordines, episcoporum, quos ipsi pastores lubentius vocant; presbyterorum, quos seniores vel doctores vel ministros verbi adpellant; & diaconorum.* Atqui si episcoporum ordinem a presbyteris distinguimus, utique inter episcopum & presbyterum aliquid interesse dicimus. 3.) Ergo quod Aerius odio Eustathii, qui in episcopatu ipsi antelatus erat, æqualitatem illam, quæ fuit tempore apostolorum, ita cœpit urgere, ut ecclesiæ consuetudinem, quæ in remedium schismatum, ordinis & concordiæ causa episcopum presbyteris & inspectioni totius ecclesiæ præponebat, simpliciter repudiaret, id eum ad confusiones ac dissensiones spectare videretur, merito in illo reprobatum fuit. 4.) Michael Medina pontificius lib. de sacror. hom. orig. & continentia c. 5. non solum Hieronymum, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum idem cum Aerianis sensisse scribit, cum illo Bellarminus transigat. 5.) Si patres illi judicassent, sententiam illam in Aerio tanquam hæresin esse damnatam, tantum abest, ut verbis illi viderentur suffragari, ut potius in contrariam partem declinassent, quod in oppugnatione sententiæ adversæ ipsis accidere consuevit.

Ordines pontificii.

§. CCXLIV. Atque hæc dicta sunt de ministerii ecclesiastici gradibus, quorum scriptura mentionem facit; restat, ut pontificiorum ordines, quorum plerique sunt ἄτακτοι & inordinati, consideremus. Bellarminus lib. de clericis cap. 11. disputat, *proprie loquendo septem a catholicis ordines numerari, qui sunt sacerdos, diaconus, subdiaconus, acolutus, lector, exorcista, ostiarius;* ex cap. Cleros. dist. 21. Illos dividunt *in ordines minores & majores.* Minores dicunt esse quatuor: *ostiariatum, lectoratum, exorcistatum & acolutatum.* Majores tres: *subdiaconatum, diaconatum & presbyteratum.* Catechismus Romanus cap. de sacr. ordinibus. Fabius Incarnatus in scrutinio p. 109. cap. 12. Bellarminus *de antiquitate illorum ordinum* disserit, quam non audet quidem diserte ad apostolos revocare, interim tamen cum in Clemente & Ignatio, apostolorum discipulis, ordinum eorum mentionem fieri statuat, videtur ad apostolorum tempora originem eorumdem referre. Cap. 13. *de officiis singulorum* ministrorum disserit. *Exordium* (inquit) *sumitur in ecclesia a prima tonsura, quae quidem non est ordo, cum nullum habeat certum officium adnexum, sed est quaedam dispositio ac praeparatio ad ordines, ut catechismus ad christianismum. Ostiariorum* officium est *aperire & claudere fores ecclesiae, & curam templi habere,* unde in ordinatione episcopus porrigit ipsis *claves* dicens: *Accipe potestatem aperiendi ecclesiam & sacrarium, & claudendi infidelibus.* Lombardus lib. IV. sent. dist. 24. lit. C. de ostiariis scribit, quod *tenentes clavem omnia intus & extra custodiant, atque inter bonos & malos habentes judicium dignos recipiant, indignos respuant;* unde in ordinatione ipsis dicatur: *Sic agite, tanquam Deo rationem reddituri pro rebus, quae clavibus istis concluduntur. Lectorum* officium est *legere ex pulpito in ecclesia,* quidquid legendum ex utroque (vel secundum alios ex vet. duntaxat) testamento, nimirum extra tempus sacrificii. In illorum ordinatione episcopus porrigit librum, quem vocant *lectionarium,* dicens: *Accipe potestatem, & esto verbi Dei relator.* Lombardus dicto loco lit. D. monet, eosdem vocari etiam *psalmistas & pronunciatores,* ac in ordinatione ab episcopo illis dici: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his, qui bene verbum Dei ministraverint. Exorcistarum* officium est *exoreismos ecclesiae legere super energumenos,* & eo modo

præparare illos, ut sacrificii divini participes fieri possint. In illorum ordinatione episcopus tradit eis *librum exorcismorum* dicens: *Accipe, & commenda memoriae, & habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos.* Acoluthorum officium est, *cum cereo accenso sequi diaconum ad locum evangelii, & urceolos atque ampullas ad sacrificium praeparare, ac subdiacono porrigere*, item *praeparare luminaria.* Dicuntur ἀκόλουθοι ab ἀκολουθέω, *sequor*, alias *ceroferarii*, a gestando cereo. Glossa in c. *Cleros* dist. 21. legit ἀκώλυτος, non prohibitus, hoc est, admissus, addita ratione, *quod ita vocatus fuerit, qui ipse quidem non peragebat mysteria, sed non excludebatur cum caeteris*, quod ignem aut simile quiddam ad sacra necessarium adferebat. In illorum ordinatione episcopus illis porrigit *candelabrum cum cereo & urceolis* dicens: *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias, te ad accendendum lumina mancipatum in nomine Domini. Et accipe urceolum ad suggerendum vinum & aquam in eucharistiae & sanguinis Christi sacramentum.* Subdiaconorum *vel hypodiaconorum* officium est, *ministrare diacono in sacrificio.* In illorum ordinatione episcopus tradit eis *calicem vacuum cum patina*, item *librum epistolarum*, dicens: *Accipe librum epistolarem, & habe potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.* Lombardus dicto loco lit. G. addit, ad subdiaconos pertinere, *ut calicem & patinam ad altare Christi deferant, & Levitis tradant*, item *ut urceolum & aquam, mantile & manutergium teneant, episcopo & presbyteris & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebeant*; denique *ut corporales & pallas & subtratoria lavent.* Diaconorum est *sacerdoti sacrificanti adsistere ac ministrare, & populo distribuere eucharistiam, tempore sacrificii evangelium legere, baptizare, praedicare, reconciliare publicos poenitentes, eucharistiam deferre ac praebere laicis, ac breviter omnia facere, quae episcopi & presbyteri faciunt, excepta consecratione corporis Domini & ordinatione clericorum & aliis officiis, quae requirunt potestatem ordinis.* In illorum ordinatione episcopus tradens eis *librum evangeliorum* dicit: *Accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis.* Item, *accipe Spiritum sanctum ad resistendum diabolo & tentationibus ejus.* Lombardus d. l. lit. H. addit, quod ad diaconum pertineat *oblationes inferre & disponere in altari, componere mensam Domini & vestire, crucem ferre, praedicare evangelium & epistolam ad populum*, ut enim lectoribus vetus test. ita diaconis novum esse prædicandum. *Presbyterorum est consecrare corpus & sanguinem Christi, offerre sacrificium pro vivis & mortuis, orationes dicere, & dona Dei benedicere &c.* In illorum ordinatione episcopus reflectit *stolam* ab humero sinistro in dextrum in modum crucis dicens: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave, & onus ejus leve.* Deinde dat *vestem sacerdotalem*, & confecrat manus dicens: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem & nostram benedictionem.* Postea porrigit *calicem cum vino & aqua & patinam cum hostia superimposita* dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi.* Denique imponit ambas manus super caput cujuslibet ordinandi ad sacerdotium dicens: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittantur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.* Vide etiam c. *Perlectis* dist. 25. ubi ordines & ministeria illa clericorum in archidiaconi cura, primicerii & thesaurarii solicitudine dividuntur. Conjunge titulos decretalium de officio archidiaconi, de officio archipresbyteri, de officio primicerii, de officio sacristæ &c.

Quid in illis ordinibus reprehendamus: 1) de numero dissensionem.

§. CCXLV. Multa autem sunt, quæ in hac ordinum enumeratione pontificia desideramus. 1.) Quod ipsimet *de numero* illorum nondum consentiunt. Fabius Incarnatus in scrutinio sacerdotali part. I. tract. 2. cap. de sacr. ordin. *Secundum magistrum lib. IV. sent. dist. 24. sunt septem ordines, scilicet ostiariatus, lectoratus, exorcista-*

ciſtatus, acolutatus, ſubdiaconatus, diaconatus & presbyteratus. *Et dicuntur ſeptem propter ſeptiformem gratiam Spiritus S. Canoniſtae tamen tenent, quod ſint novem ſecundum novem hierarchas, ſcilicet prima tonſura & ordo epiſcopalis, cap. cum contingat de aetat. & qualit. ordin. & in c. 1. de ord. ab epiſc. qui renunc. Secundum Thomam in lib. IV. ſent. diſt. 24. Si proprie accipiamus ordines, in quantum ſunt ſacramenta, ſunt ſeptem, quatuor ſcilicet minores, & tres ſacri. Si vero largo modo ſumamus, addetur minoribus prima tonſura, ſive pſalmiſtatus, ut quidam dicunt, ſacris vero addetur epiſcopatus.* c. Cleros; diſt. 21. c. Pſalmiſta; diſt. 23. *Tamen communior opinio eſt, quod prima tonſura & epiſcopatus non ſint ordines, quia corona ſeu tonſura eſt quoddam ſignum diſtinctivum miniſtrorum eccleſiae a plebe communi &c. Item dignitas epiſcopalis non eſt ordo, ut tenetur communiter a doctoribus, ſuper quo notandum, quod ſecundum Thomam duplex dicitur ordo. Vno modo ſecundum quod eſt officium reſpectu ad corpus Chriſti verum, ſcilicet ad conſecrationem hoſtiae, & illo modo epiſcopatus non eſt ordo, quia epiſcopus non habet poteſtatem ſuperiorem ſacerdote, quantum ad conſecrationem corporis Chriſti: alio modo dicitur ſecundum quod eſt officium reſpectu quarumdam actionum ſacrarum, ſuper quas habet diſponere prae caeteris ſacerdotibus & ſic dicitur impropriе ordo ratione jurisdictionis, ſed tamen non eſt ſacramentum, ſed quoddam ſacramentale.* Hæc omnia Incarnatus. II.) Quod nugantur, *Chriſtum ſuo exemplo omnium illorum ordinum officia in ſemetipſo exhibuiſſe, &*

2.) *de Chriſti exemplo gloriationem.*

corpori ſuo, quod eſt eccleſia, eosdem obſervandos reliquiſſe. Sic enim habent Lombardus lib. IV. ſent. diſt. 24. ſect. A. & ſeqq. compend. theolog. veritatis lib. IV. cap. 36. Fabius Incarnatus in ſcrutin. Sacerd. part. 1. tract. 2. c. de ordine p. 111. *Oſtiariorum officium Dominus in ſua perſona ſuſcepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes ejecit de templo. Ipſe enim ſe oſtiarium ſignificans dicit:* Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur *&c. Oſtiariatus ergo inſtitutus eſt*, (inquit Fabius) *quando Chriſtus dixit*: Adtollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, *& quando ementes ac vendentes ejecit e templo. Lectorum officium implevit Chriſtus, cum in medio ſeniorum librum Eſajae aperiens diſtincte ad intelligendum legit*: Spiritus Domini ſuper me. *Inſtitutus ergo* (inquit Fabius) *eſt ordo lectoratus, quando Chriſtus librum prophetae aperuit, & completa lectione miniſtro dedit* Luc. IV. *Exorciſtarum officio uſus eſt Dominus, quando ſaliva ſua tetigit aures & linguam ſurdi & muti dicens*: Ephata, quod eſt adaperire, *hoc etiam officio uſus eſt Chriſtus, cum daemoniacos multos ſanavit. Inſtitutus ergo* (inquit Fabius) *eſt exorciſtatus, quando Chriſtus tetigit aures muti & ſurdi* Marc. VII. *& quando de Maria Magdalena ſeptem Daemonia ejecit. Acoluthorum officium Dominus ſe habere teſtatur dicens*: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. *Inſtitutus ergo* (inquit Fabius) *eſt acoluthatus, quando Chriſtus dixit*: Ego ſum lux mundi. Joh. VIII. *Subdiaconorum officio Chriſtus uſus eſt*, & ſecundum Fabium *ordinem eorum inſtituit, quando linteo ſe praecinxit & mittens aquam in pelvim pedes diſcipulorum lavit, & linteo terſit. Diaconorum officio Chriſtus uſus eſt, & ordinem eorum inſtituit, quando poſt cœnam ſacramentum carnis & ſanguinis diſcipulis diſpenſavit, & quando apoſtolos dormientes ad orationem excitavit, dicens*: Vigilate & orate. *Presbyterorum officio Chriſtus uſus eſt, & ordinem eorum inſtituit, cum ſe ipſum in ara crucis obtulit idem ſacerdos & hoſtia, & quando poſt cœnam panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum commutavit.* Sed nugis hiſce merito opponimus, quod Lombardus ibidem lit. I. ſubjungit: *Cum omnes illi ordines ſpirituales ſint & ſacri, excellenter tamen canones duos tantum ſacros ordines adpellari cenſent, diaconatus ſcilicet & presbyteratus, quia hos ſolos primitiva eccleſia legitur habuiſſe, & de his ſolis praeceptum apoſtoli habe-*

habemus; apostoli enim in singulis civitatibus episcopos & presbyteros habuerunt. Levitas etiam ab apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit Stephanus. Subdiaconos vero & acoluthos procedente tempore ecclesia sibi constituit. Idem habet Gratianus in procem. dist. 21. Caranza in summa concil. f. 15. sic scribit: *Quae in summa tractat Anacletus in tertia epistola, sunt ista: primum a Domino constitutos esse hos duos ordines episcoporum & sacerdotum. Et amplius quam isti duo nec nobis a Deo collati sunt, nec apostoli docuerunt, ex quo colligitur, ordines aut gradus notos in ecclesia non a Domino ordinatos nec apostolis.* Becanus in disp. de vocat. ministr. th. XXXIV. fatetur, *trium duntaxat ordinum, episcoporum scilicet, presbyterorum & diaconorum apertam in scriptis apostolicis fieri mentionem.* Nec Bellarminus fuit ausus institutionem & originem illorum septem ordinum ad Christum revocare, sed adserit, *originem illorum rem longe antiquiorem esse quam Calvinus existimet.* III.) Quod *ex κακοζηλία Judaismi* ordines illi in ecclesiam christianam sint introducti. Lombardus lib. IV. sent. dist. 24. lit. C. *Ostiarii iidem & janitores sunt, qui in vet. test. electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus.* lit. D. *Ordo lectorum formam & initium a prophetis accepisse videtur, quibus dicitur*: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. lit. E. *Exorcistarum ordo a Salomone videtur descendisse, qui quemdam modum exorcizandi invenit, quo daemones adjurati ex obsessis corporibus expellebantur.* lit. F. *Hujus* (acoluthorum) *officii formam illi gerebant in vet. test. qui lucernas candelabri componebant, & accendebant igne cælesti ad illuminandas tenebras aquilonares.* lit. G. *Subdiaconi apud Hebraeos Nathinaei vocabantur, hoc est, in humilitate Domino servientes.* lit. H. *Diaconorum ordo in vet. test. a tribu Levi nomen accepit; dicuntur enim & Levitae.* Et postea: *Quod huic ordini a Mose statutum est, hoc etiam in nov. test. repraesentatur, cum diacono super laevum humerum stola ponitur & casula in diebus jejunii complicatur.* lit. I. *Ordo presbyterorum a filiis Aaron sumsit exordium. Summos enim pontifices & minores sacerdotes instituit Deus per Mosen, qui ex praecepto Dei Aaron in summum pontificem, filios vero ejus unxit in minores sacerdotes.* Gratianus in procem. dist. 21. paulo aliter haec adcommodat: *Institutio ordinum* (inquit) *est in vet. test. inchoata, & in novo plenius consummata. Summi etenim pontifices & minores sacerdotes a Deo sunt instituti per Mosen, qui ex praecepto Domini Aaronem in summum pontificem, filios vero ejus unxit in minores sacerdotes. Postea vero David cum ministeria domus ampliaret, janitores & cantores instituit. Salomon quemdam modum exorcizandi invenit. Haec omnia in nov. test. ecclesia imitata habet janitores suos, quos ostiarios adpellamus, pro cantoribus lectores & cantores instituit. Exorcistas autem nomine antiquo & officio permanente recepit, pro filiis vero Aaronis omnes infra summum pontificem sacerdotium administrantes sunt consecrati.* IV.) Quod distinctionem inter presbyteros, qua alii appellantur simpliciter *sacerdotes*, alii *archipresbyteri*, alii *chorepiscopi*, alii *episcopi*, alii *archiepiscopi* seu *metropolitae*, alii *patriarchae*, alii *summi pontifices*, *ex gentilismi κακοζηλία* in ecclesiam introduxerunt. Sic enim disertis verbis in procem. dist. 21. loquitur Gratianus; *Discretio illa sacerdotum a gentilibus maxime introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines adpellabant.* Quo etiam pertinent sequentia juris canonici capitula: c. *Vrbes*; dist. 80. ex Lucino papa: *Vrbes & loca, in quibus primates praesidere debent, non a modernis, sed multis ante adventum Christi statutae sunt temporibus, quarum primates gentiles etiam pro majoribus negotiis adpellant. In ipsis vero urbibus post adventum Christi apostoli & eorum successores patriarchae & primates posuerunt &c.* c. *in illis*; dist. eadem, ex Clemente: *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flami-*

3.) *Judaismi imitationem.*

4) *Gentilismi adsimulationem.*

flamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates vel patriarchas Petrus poni praecepit, qui reliquorum causas episcoporum & majora negotia in fide agitarent: in illis autem, in quibus dudum apud praedictos ethnicos erant eorum archiflamines, quos tamen minores esse tenebant, quam memoratos primates, archiepiscopos institui praecepit. Idem repetitur. c. *Provinciae*: dist. 99. ex Anacleto V.) Quod *antiquitatis temporibus apostolorum proximae suffragio* ordines illos omnes probare conantur. Bellarminus de cleric. cap. 12. Clementem lib. VIII. constitut. & Ignatium in epist. ad Antiochenses ordinum eorum omnium mentionem facere scribit, qui cum apostolorum discipuli fuerint, ex eo colligendum reliquit, quam antiqua sit ordinum origo. Sed Ignatii epistolis admixta sunt multa peregrina. Eusebius lib. III. hist. cap 31. epistolas tres Ignatio tribuit, ad Ephesinos scilicet, ad Magnesianos, ad Trallenses, quas ipsas non carere corruptione, patet ex eo, quod Theodoretus dial. I. & Gelasius in lib. de duab. natur. ex epist. ad Eph. citant testimonium, quod in exemplaribus editis non habetur. De libris constitutionum Clementi Romano adtributis nihil habent Eusebius, nihil Hieronymus, nihil Gennadius. Sed de his suo loco plura. Opponimus igitur Bellarmino c. *Nullus*; dist. 60. ex Vrbano: *Nullus in episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus, sacros autem ordines dicimus diaconatum & presbyteratum, hos siquidem solos* (nota exclusivam) *primitiva legitur habuisse ecclesia.* (*) VI.) Quod *ad septenarium numerum* ordines ecclesiasticos praecise restringunt, cum tamen ecclesiastici scriptores modo plures, modo pauciores numerent ordines. Dionysius Areop. de hierarch. eccles. cap. 5. enumerat *pontificum, sacerdotum & ministrorum ordinem.* In canonibus apostolorum numerantur quinque ordines, *episcoporum, presbyterorum, diaconorum, lectorum & cantorum.* Ambrosius in Eph. IV. numerat etiam quinque, sed loco *cantorum* ponit *exorcistas.* Ignatius in epist. ad Antioch. & Epiphanius in fine panarii addunt κοπιῶντας, *laborantes in sepultura*, Ignatius etiam addit *confessores.* Canonistae addunt *psalmistam.* Bellarminus regerit, *Dionysium voluisse saltem hierarchias, non autem ordines enumerare.* At, ubi reliquorum ordinum, qui ab hierarchia ecclesiastica sese excludi aegre ferent, mentionem facit? Clementem in canonibus plures ordines agnovisse, probat ex can. 15. *Si quis presbyter aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum &c.* At non est quaestio de ordinum pluralitate, sed de eorum determinato numero. Ambrosium, dicit, *numerare quinque ordines ex occasione dicti Eph. IV.* at si ad numerum septenarium ordines ecclesiasticos judicasset adstrictos, talem apostolici dicti explicationem haudquaquam protulisset. Ignatium & Epiphanium, dicit, *numerare non solum ordines proprie dictos, sed & alios quomodocunque divinis obsequiis dedicatos*, inter quos laborantes in sepultura mortuorum recenseantur. Atqui idem nos dicere possumus de illis quoque veteribus, qui janitores, lectores, acoluthos, subdiaconos inter ordines numerant, quod videlicet *non ordines proprie sic dictos, sed ministeria eorum, qui quomodocunque divinis obsequiis dedicati & adhibiti fuere*, recenseant. Dissensionem de ordinum numero inter canonistas & scholasticos sic conciliat, quod illi considerent *ordines, ut hierarchiam constituant*, quo modo episcopus a presbytero & cantor a lectore discernatur, ac proinde novem ordines constituantur; hi vero eosdem considerent, *ut se*

5) *de antiquitate negationem.*

6) *ad numerum septenarium restrictionem.*

(*) *Vetus ordo in officiis personarum, quae praesunt, duplex: temporarius & perpetuus. In illo apostoli, prophetae, evangelistae. In hoc doctores, pastores, episcopi, seniores & diaconi. Novos rectores sequentia tempora designarunt: papas, cardinales, archiepiscopos, metropolitanos; primates, decanos, archidiaconos, praepositos, archipresbyteros, subdiaconos, ostiarios, exorcistas, psalmistas, acolutos, abbates, monachos, jesuitas & infinitos monachorum ordines.* Pisecius in adp. resp. ad 10. rat. Camp. p. 133. GERHARDVS.

se habeat ad sacrificium, quo modo nec episcopus a presbytero, nec cantor a lectore distinguatur, ac proinde septem duntaxat ordines constituantur. At Bellarminus ipsi aperte contradicit. Si enim *ordines inferiores sive minores non sunt hierarchiae*, ut in hoc ipso capite in resp. ad locum Dionysii disertis verbis adseruit; quomodo dici potest, *quod canonistae in numero ordinum novenario considerent eos, qui hierarchiam constituunt?* Possuntne inferiores ordines una cum tribus superioribus constituere hierarchiam, si in illis constituti non sunt hierarchae? Jesuitica subtilitate ad haec concilianda erit opus, quae enim nostra est simplicitas, conciliare ea non possumus. Exponant etiam nobis modum, quo se habeat ad sacrificium ostiarius, lector, & exorcista? num quia ostiarius fores aperit, ut sacrificulus intrare & missam celebrare possit, & quia lector hoc officium eidem praestat, ut tempore sacrificii a canendo & legendo sileat, & exorcista, ut energumenos ante missae celebrationem ex templo ejiciat? Acoluthus ampullas atque urceolos ad sacrificium praeparat, ac subdiacono porrigit, subdiaconus calicem & patinam ad altare defert. Diaconus oblationes infert & disponit in altari, componit & vestit mensam Domini &c. ergo respectum quemdam habent ad sacrificium, sed in ostiario, lectore & exorcista nihil tale occurrit. Exponant denique causam, quare ex respectu ad sacrificium septem ordines numerandi sint; cum enim distincta sint ordinum singulorum officia, utique etiam sine ullo ad sacrificium respectu ratione distinctorum officiorum enumerandi erunt, ac proinde cum officium episcopi ab officio presbyteri sit distinctum, stabit thesis canonistarum, quod dignitas episcopalis sit ordo a presbyteratu distinctus. VII.) Quod *quaevis in ecclesia ministeria in peculiares ordines transforment.* Fores enim claudere ac aperire, cereos accendere ac circumferre, vasa sacra custodire, mundare, ad usus divinos praeparare, mensam Domini vestire, pastori ad ministrandum adstare, aquam ad baptismum, panem & vinum ad eucharistiae celebrationem adferre &c. non constituunt peculiares & distinctos ordines ecclesiasticos, sed sunt ministeria eo modo comparata, ut ab uno eodemque homine facile praestari possint, uti praxis nostrarum ecclesiarum testatur. VIII.) Quod *perpetuam illorum ordinum in ecclesia necessitatem urgent;* cum tamen ex libero ecclesiae instituto pro ratione circumstantiarum quandoque pluribus, quandoque paucioribus ministeria, quae ordinibus illis hodie distincte adsignantur, conjuncte fuerint olim demandata. Noluit certe purior & antiquior ecclesia legem aliquam necessitatis hac in re ponere, sed propter multitudinem fidelium & ecclesiasticae politiae εὐχημοσύνην illos clericorum ordines libera dispositione distinxit, ut omnia fierent *ordine ac decenter*, & in inferioribus ministeriis eorum fidelitas & industria prius probaretur, qui ad superiora admovendi erant. IX.) *Quod titulos sine re usurpant.* Exorcistae enim ordinantur, qui dono expellendi daemonas non sunt instructi. Lectores & cantores dicuntur, qui in ecclesia non legunt. Sacerdotes & episcopi dicuntur, qui a docendi ac praedicandi munere, quod inter ecclesiastica ministeria primarium est, toto vitae tempore abstinent contra proprios ipsorum canones, quos inferius adducemus. X.) Quod *nomen & dignitatem sacramenti ordinibus illis tribuunt*, cum requisita sacramenti propria in illis monstrare nequeant; magna tamen hic occurrunt inter ipsos sententiarum divortia, de quibus superius. XI.) Quod *praecipuum ac principale sacerdotum munus, ad quod reliquorum ordinum officia respectum habeant, statuunt ferre sacrificium missaticum pro vivis ac mortuis*, cum tamen Christus in nov. test. ecclesiae ministros non constituerit missifices, sed evangelii praecones & mysteriorum

7) *Quorumvis ministeriorum in ordines transformationem.*

8) *ad necessitatem adstrictionem.*

9) *titulorum sine re usurpationem.*

10.) *Sacramenti adpellationem.*

11.) *Omnium ordinum ad missaticum sacrificium revocationem.*

rum divinorum dispensatores 1. Cor. IV. 1. &c.

Subdivisio sacerdotum.

§. CCXLVI. Sacerdotum sive presbyterorum ordinem eo modo subdividunt, ut quosdam statuant *majores*, dictos episcopos, quosdam vero *minores*, sive simplices sacerdotes. Bellarminus lib. de sacram. ordin. cap. 5. Ordo episcoporum ipsis vicissim est quadripartitus *in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis & episcopis.* c. *Cleros*; dist. 21. ex Isidoro, ubi singulorum tales dantur definitiones: *Patriarcha summus patrum interpretatur, quia primum post apostolicum tenet locum, & ideo, quia summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus. Archiepiscopus graeco interpretatur vocabulo, quod sit summus episcoporum, i. e. primas, tenet enim vicem apostolicam, & praesidet tam metropolitanis, quam caeteris episcopis. Metropolitani autem a mensura civitatum vocantur, singulis enim provinciis praeeminent, quorum auctoritati & doctrinae caeteri sacerdotes subjecti sunt, sine quibus nihil reliquis agere licet episcopis, solicitudo enim totius provinciae archiepiscopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines uno eodemque vocabulo episcopi nominantur, sed ideo privato nomine quidam utuntur, propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt.* Hæc Isidorus. Rom. pontificis electores & consiliarii perpetui dicuntur cardinales, quod summo pontifici proxime adhæreant, qui est velut *cardo totius ecclesiae*, quam rationem nominis proponit Leo IX. in ep. ad Michael. c. 32. cum quo adfinitatem quamdam habet, quod Hostiensis contendit, cardinales figuratos esse in verbis 1. Sam. II. 8. *Domini sunt cardines terrae, & posuit super eos orbem.* Baronius figuram cardinalium quærit in visione prophetica Esaj. VI. 4. *Commota sunt superliminaria cardinum*; quem Veneti in resp. ad ipsius parænes. hoc nomine salse irrident. *Satis lepide*, inquiunt p. 44. *at non minus periculose cardinales tuos a superliminaribus cardinum, quorum propheta meminit, arcessis. Nam ut demus tibi, vaticinium Esajae in hoc pontificis judicio* (contra Venetos) *impletum esse; tu vicissim nobis largieris, jamjam implendum esse illud, quod Amos scriptum reliquit c. IX. 1.* Percute cardinem, & commoveantur superliminaria. Avaritia enim in capite omnium, & novissimum eorum gladio interficiam. Et postea p. 45. *Cautius fecisses Baroni, si cardinales tuos vel a scapis cardinalibus. Vitruvii, vel a veterum Romanorum dea Cardea derivare, quam instar bubonis tam dirum omen collegis tuis occentare maluisses, cumque in prisca ecclesiasticae hierarchiae delineatione ne mentio quidem fiat cardinalium, nedum locus aut statio aliqua in militantis ecclesiae castris ipsis adsignetur, non immerito inter impedimenta rejiciendi erunt &c.* Officium cardinalium revocat Bellarminus lib. de cleric. cap. 16. ad tria capita: primum est *commune cum episcopis, presbyteris & diaconis caeteris, omnes enim cardinales aut presbyterale, aut diaconale officium habent*; alterum officium est *summum pontificem eligere*; postremum *eidem pontifici perpetuo adsistere, eumque in regenda universa ecclesia consilio & industria adjuvare.* Operose autem ibidem disputat, *an cardinalitia, an episcopalis dignitas major sit?* ut suspicari aliquis possit, ipsum interfuisse disceptationi apostolorum Luc. XXII. 24. *ecquis eorum videretur major?* Cap. XVII. *agit de chorepiscopis*, quorum nomen & officium olim in usu fuisse, nunc autem pene interiisse videatur. *Chorepiscopi* (inquit) *olim dicebantur presbyteri quidam, qui in pagis aut oppidulis curam animarum gerebant loco episcoporum, vel, juxta Damasum, quasi villarum episcopi, nam χώρα graece oppidum ac regionem significat, vel, juxta concilium Neocaesariense, quasi vicarii episcoporum, seu loco episcoporum constituti, χώρα enim locum etiam significare potest.* Postea duo statuit chorepiscoporum genera, *quidam vere episcopalem consecrationem acceperant*, sed dicebantur chorepiscopi, quod non haberent propriam ecclesiam, sed in aliena diœcesi ministrarent, *quales* (inquit) *hoc tempore sunt episcopi quidam titulares, qui & suffraganei dici*

dicti solent. Alii vero chorepiscopi fuere duntaxat *presbyteri*, qui in pagis ac villis, seu etiam oppidulis episcopum aliquo modo repræsentabant. Sed de his titularibus episcopis multis agere operæ foret plane infrugiferæ.

Hierarchiae papalis.

§. CCXLVII. Ceterum tota illa hierarchia episcoporum, metropolitanorum, archiepiscoporum, patriarcharum ad stabiliendum Romani pontificis dominatum ac primatum fuit directa, quod ut evidentius fiat, recensebimus ex Casparo Bruschio geometricam illam ecclesiarum germanicarum dimensionem ac distributionem a pontificibus Romanis factam. Is ergo in præfat. operum suorum manuscript. & ex eo Wolfius tom. II. lect. memorab. p. 564. sic scribit: Constitutæ sunt in Germania septem archiepiscopales seu metropolitanæ sedes, *Moguntia*, *Colonia*, *Treviris*, *Magdeburgum*, *Salisburgum*, *Brema* & *Riga*. Earum unaquæque suos sub se habet episcopatus: *Moguntia* comprovinciales episcopatus sub se habet 12. Curiensem, Constantiensem, Argentinensem, Spirensem, Wormatiensem, Herbipolensem, Augustanum, Aychstetensem, Hildesheimensem, Paderbornensem, Halberstatensem & Verdensem. Subjiciebatur olim Moguntino etiam Bambergensis episcopatus, sed a Clemente II. qui antea Bambergensis ecclesiæ secundus fuerat episcopus, est exemtus, ut immediate Romano pontifici subsit, is habet sub se episcopatum Pomerano-Caminensem. *Colonia* comprovinciales episcopatus habet quinque; Leodiensem, Trajectensem, Mindensem, Monasterienſem & Osnabrugensem. *Treviris* habet tres episcopatus, Metensem, Tullensem & Virdunensem. *Magdenburgum* sub se tenuit episcopatum Mersburgensem, Naumburgensem, Brandenburgensem, Havelburgensem & Misnensem. *Salisburgum* octo comprovinciales episcopatus sortitum est; Frisingensem, Patavienſem, Ratisbonensem, Brixinensem, Sabionensem, Chyemensem, Gurcensem, Seccoviensem & Laventinensem. *Bremensis* sedis comprovinciales episcopatus sunt Lubecensis, Suerinensis, Lebussinensis, Schlesvicensis, Razenburgensis & Hamburgensis. *Rigae* subjecti sunt episcopatus Revaliensis, Curonensis, Oeselicensis & Tarbatensis seu Derptensis. Præter hosce episcopatus septem archiepiscopis subjectos, sunt adhuc alii in Germania aliis archiepiscopatibus vel etiam immediate pontifici Romano subjecti, ut Warmiensis, Sambiensis, Bomesanensis & Culmiensis in Borussia, Vratislaviensis in Silesia, Olomuntinus in Moravia, Viennensis & Neostadianus in Austria, Labacensis in Carniola, Tridentinus in provincia Athesina, Basiliensis, Sedunensis & Lausannensis in Helvetia &c. Hi omnes ante exortam evangelii lucem juramenti vinculis sedi Romanæ fuere adstricti, ut populum in obedientia Romani pontificis tanquam *œcumenici & universalis* perpetuo continerent & conservarent, unde factum, ut quoties aliquis adversus pontificem justissimis etiam causis motus insurrexerit, reliquos statim armatos adesse & caput illud suum adversus omnem violentiam tueri ac defendere oportuerit, neque id immerito, *cum Dei & apostolicae sive Romanae sedis gratia* se episcopos vel archiepiscopos esse fuerint professi, & quibusdam exceptis, adhuc profiteantur.

CAPVT VI.

DE FINE ET EFFECTV MINISTERII AC MINISTRORVM.

Finis ministerii.

§. CCXLVIII. Expositis tribus causarum generibus, *efficiente* scilicet *materia* & *forma* ministerii; restat, ut de *fine* ejusdem, & qui adfinis illi est, *effectu* disseramus. Quemadmodum vero superius in *ὀνοματολογία* primum de adpellationibus *ministerii* in abstracto, postmodum de adpellationibus *ministrorum* in concreto egimus; ita quoque hoc loco docendi causa, primo *de fine & effectu ministerii in abstracto*, postea

postea *de fine & effectis ministrorum in concreto* tractabimus. Intelligimus autem per effecta ministrorum eorumdem officia, quæ licet certo respectu ad classem *adjunctorum* referri possint; tamen cum actionum nomine eadem rectissime exprimantur, cum propter eorum exsecutionem ministerium divinitus sit institutum, & adhuc conservetur, cumque illi, qui partes hasce officii sui negligunt, sint ὁμωνύμως & æquivoce ecclesiæ ministri, ἐργάται κακοὶ, ut apostolus eos vocat Phil. III. 2. ideo ad finis & effectorum potius, quam adjunctorum classem officia ministrorum referre voluimus.

SECTIO I.

DE FINE ET EFFECTV MINISTERII ECCLESIASTICI IN ABSTRACTO.

Principalis & intermedius.

§. CCXLIX. *Finis ministerii ecclesiastici* duplex est; *principalis*, qui est Dei gloria; & *intermedius*, qui est hominum conversio, reconciliatio cum Deo & salus æterna. De hoc fine multa scripturæ dicta agunt. Marc. XVI. 15. cum Christus apostolis suis dedisset mandatum de prædicando evangelio & administrando baptismo inter omnes gentes, subjungit v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, ostendens, finem ministerii esse, ut homines ad fidem perducantur ac per fidem salutis æternæ reddantur participes. De suo quoque in his terris ministerio sic loquitur Joh. V. 34. *Haec dico, ut vos salvi fiatis.* cap. VIII. 49. *Ego honorifico patrem.* v. 51. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* cap. X. 9. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* v. 11. *Ego veni, ut oves vitam habeant.* cap. XVII. 4. *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* v. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*; quæ omnia testantur, Christo in suo ministerio unice propositam fuisse Patris cœlestis gloriam & hominum salutem. De ministerio apostoli Pauli sic loquitur Christus: Act. IX. 15. *Hic est vas electionis mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel.* Act. XXVI. 16. *Constituam te ministrum & testem eorum, quae vidisti*, v. 17. *mittens te ad gentes*, v. 18. *ad aperiendum oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, ac de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & partem inter sanctos per fidem, quae in me est.* Apostolus ipse de eo sic loquitur: 1. Cor. III. 5. *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri, per quos credidistis, sive ad fidem adducti estis.* 2. Cor. II. 14. *Deus odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco.* Eph. III. 8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, illuminare omnes, quae sit communio mysterii absconditi a seculis.* De ministerio Petri dicitur ad Cornelium Act. XI. 14. *Petrus loquetur tibi verba, per quae salveris, tu & universa domus tua.* De ministerio Timothei 1. Tim. IV. 16. sic scribit: *Attende tibi ipsi & doctrinae, insta in illis, hoc enim faciens te ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt.* In genere vero de fine ecclesiastici ministerii pulcherrime disserit apostolus. Eph. IV. 11. *Christus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores.* v. 12. πρὸς τὸν καταρτισμὸν *sanctorum in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi*, (mystici) v. 13. *donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum perfectum in mensuram plenae aetatis Christi.* 1. Cor. I. 21. *Placuit Deo per stultam praedicationem evangelii salvos facere credentes.* cap. XV. 1. *Notum vobis facio evangelium, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvamini.* 2. Cor.

V. 20. *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*; unde etiam vocatur *ministerium reconciliationis*, v. 18. *ministerium Spiritus*, 2. Cor. III. 8. *ministerium justitiae in gloria*, v. 9.

Schwenkfeldii error de ministerii fine & effectu.

§. CCL. Inde Augustana confessio art. V. recte statuit: *Vt fidem* (in Christum) *consequamur, institutum esse ministerium docendi evangelii & porrigendi sacramenta. Nam per verbum & sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit*, (*) *ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt evangelium &c. Damnant anabaptistas* (**) *& alios, qui sentiunt, Spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum praeparationes & opera.* Opposita est haec antithesis non solum veteribus haereticis, puta *Manichaeis*, qui fingebant hominem purgari per certa ciborum genera, quibus admixta sit divina substantia, & per certa quaedam exercitia, ac *enthusiastis*, sive *Messalianis*, de quibus tripart. hist. lib. VII. cap. 12. Nicephorus lib. XI. cap. 14. memorant, quod cujusdam daemonis operationem exspectantes, hanc Spiritus sancti praesentiam arbitrati fuerint, hoc est, quod raptus divinos exspectaverint, & somniorum suorum phantasias adpellaverint prophetias; sed etiam *novis enthusiastis, anabaptistis & Schwenkfeldianis*, (***) qui

(*) Existimant equidem nonnulli, hunc ipsum locum ex *August. confess. art. V.* supra adductum, nimirum quod *per verbum & sacramenta, tanquam per instrumenta donetur Spiritus S. qui fidem efficiat*, repugnare non solum effatis scripturae sacrae, sed etiam aliis confessionis atque apologiae locis, ubi disertis verbis adseratur, Spiritum S. per *fidem* accipi. Vid. *art. XX.* August. confess. itemque *art. II.* & *III. apolog.* Vrsit hancce difficultatem praeter alios Georg. Cassander in *consultatione de articulis religionis inter catholicos & protestantes controversis* p. 89. Atque hoc ipsum adprobat quoque Hvgo Grotivs, in *adnotat. in consultationem Cassandri p. 43.* Sed recte monuerunt alii viri docti, utrumque verum esse refteque adfirmari posse, si quidem binae istae propositiones diverso modo considerentur. Nimirum per verbum donari Spiritum sanctum iis, qui *irregeniti* sunt, quatenus exercet gratiam suam *praevenientem*, etiam, ubi obicem haud ponunt, *operantem*, ut *fides* in eorum animis accendatur. Hisce non adversari, quod scriptura sacra Spiritum S. ponat post fidem, atque in confess. Aug. ejusque apologia dicatur, fidem adferre Spiritum S. Hoc enim de Spiritu S. quatenus in *regenitoruni* cordibus habitat, eosdemque renovat atque sanctificat, intelligendum esse. Legenda, quae hanc in rem observarunt Andr. Rivetvs in *animadversionibus in Grotii adnotat. p. 44.* Jo. Bened. Carpzovivs in *introduct. in libros eccles. Lutheranae symbolicos*, & Jo. Georg. Walchivs pariter in *introduct.* sua *in libr. symbol. p. 235.*

(**) Ex hisce *Anabaptistis* eminebant Nicol. Storchivs ac Thomas Münzervs, qui cum sociis atque adsectis suis gravissimas passim excitarunt turbas, prout ex historiarum monumentis abunde constat. Vnus ex praecipuis eorum erroribus spectabat ad verbum divinum, quod sine eo Spiritus S hominibus contingere queat. Hac persuasione occupati scripturam sacram, & quod in illa nobis exhibetur, verbum divinum *externum* penitus rejecerunt. Plura de iis dabunt auctores a b. cancell. Pfaffio in *introd. ad hist. theol. litterar. P. II. p. 332. seqq.* adlegati. Jungi tamen merentur Jo. Georg. Walchivs, *in der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten ausser der evangel. lutherischen Kirche, part. IV. p. 671. seqq.* & Christian. Avgvst. Saligivs, in *der vollstaendigen Historie der Augspurg. Confession, part. I. p. 88.*

(***) Constat, auctorem hujus sectae fuisse Casparem Schwenkfeldivm ab Ossig, equitem Silesium, ducis Lignicensis a consiliis, qui non tantum pietatem commendabat, sed & ipse vitam ducebat castam & probam, unde & viri quidam docti & prudentes eundem fovebant & contra adversarios suos tuendum esse ducebant. Anno MDXXVIII. a duce Lignicensi tam aula, quam patria pulsus est, nullamque deinceps certam habuit mansionem, ubique invisus & ad alium locum migrare jussus, donec anno MDLXI. diem obiret supremum. Vid. Jo. Wigandi Schwenkfeldianismvm Lipsiae MDLXXXVI. in 4. editum, & Conrad. Schlüsselbvrgivm in *catalogo haereticor. toto libro X.* Varia hujus viri fata, colloquia, certamina, scripta &c. edisserunt Godofredvs Arnoldvs in *der Kirchen- und Ketzer-Historie libr. XVI. cap. XX. p. 720. seqq.* Jungi vero omnino meretur Saligivs *loc. cit. tom. III. libr. XI. p. 951. seqq.* Discedebat a Lvthero tum in aliis, tum & in eo potissimum, quod negavit in verbo *externo*, divinis libris comprehenso, vim quandam inesse, homines illuminandi atque regenerandi, sed virtutem hanc verbo *interiori*, quod & Christum ipsum dicebat, adscripsit.

qui *externum* verbi & sacramentorum ministerium negant fidei & salutis conferendæ esse medium, contra vero ad verbum *internum* & adflatus Spiritus sancti interiores homines remittunt; quam opinionem novi fanatici *Ezechielis Methi* adsectæ, itidem complectebantur. (*) Verba ipsius in tom. cent. epist. ep. p. XC. sive tom. I. p. 765. sunt: *Verbum externum est vox humana, sonus, litera vel concio, in qua nulla virtus divina est inclusa, nec ad eam adligata, non tantum, quando Petrus & Paulus conciones habebant, multo minus nunc, sed etiam in Christo ipso verbi externi praedicatio instituta est a Deo propter externum hominem, ut illi quoque Dei actiones innotescant.* Ibidem distinguit *inter verbum externum & internum.* De interno dicit, quod sit *Spiritus e cœlo veniens, adferens secum virtutem & replens corda fidelia*; de externo dicit, *quod sit sonus, vox, litera e terra veniens, deducens ad primum, quodque nihil amplius possit, quam ut externi hominis memoriam & aures repleat, & aeternum vivumque verbum Dei, Jesum Christum, notum faciat. Oportet* (inquit) *ut Deus absque externis mediis per Christum animam tangat*; ex quo concludit, *externum verbum non dare salutem, nec ullam divinam virtutem etiam apud ministros spiritus adsignari vel tribui posse, quin imo idolum ex suis concionibus facere eos, qui dicunt, eas homines salvos facere, esse virtutem Dei ad salutem omni credenti; initium conversionis & salutis nostrae non fieri per externum verbum, & sacramenta tanquam instrumenta & media; denique tres crassos errores esse eorum, qui dicunt, verbum praedicatum a se esse vivificum Dei verbum, esse potentiam Dei ad salutem, & Deum interne in anima per media externa operari, ac sine verbo illo externo salutem nos consequi non posse.* Hæc ibi Schwenkfeldius; subjungens, *verbum externum duntaxat deverbo interno, quod est Christus, testari, monere, excitare, non autem per illud, tanquam per medium, dari remissionem peccatorum, cum id soli*

I 3

(*) Thom. Münzerus *anno 1523. scripturam externumque verbum negavit esse verum Dei verbum, sed esse solum testimonium veri verbi, hoc autem internum & cœleste esse, & immediate ex ipso Deo prodire, & hoc interius docere oportere, non autem scripturis & concionibus.* Bullingerus adv. anabapt. lib. I. cap. 1. Schwenkfeldius de verbo Dei p. 24. scribit, *Deum non agere nobiscum per scripturam.* p. 12. de sacra scriptura: *Scriptura est humana vox, sonitus, strepitus & mortua litera.* Argumenta Schwenkfeldii epist. 90. tom. I. p. 765. haec sunt: 1.) alias oporteret, ut omnes, qui verbum illud audiunt, converterentur, quod tamen nec per verbum, quod Christus praedicavit, factum fuit. 2.) Gloriam suam Deus nulli dare vult. Ergo nec verbo. 3.) Solus Deus est, qui dat incrementum. 1. Cor. III. 4.) Litera occidit, Spiritus vivificat. 2. Cor. III. 5.) Non verbum externum, sed internum, quod definit esse Christum in Spiritu sancto, est mediator inter Deum & homines. 6.) Spiritus majestas non fert, ut verbo subjaceat. 7.) Sicut puer mortuus non evigilabat, cum Gechazus Elisæi scipionem faciei ejus imponeret, sed ipsum prophetam puero oportebat incumbere, sic solus Christus nos vivificat. 8.) Omnia agit unus & idem Spiritus distribuens singulis, sicut vult. 1. Cor. XII. 9.) Ipse Paulus verbum suum a verbo Dei discernit 1. Thess. II. 10.) Paulus non ministerio suo, sed gratiæ Dei omnia accepta fert 1. Cor. XV. 10. 11.) Christus ait Joh. VI. 45. *Quisquis audit a Patre meo, & didicit, venit ad me.* Ergo verbo prædicato non adhærendum. 12.) 1. Cor. II. dicitur: *ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.* Ergo non ad hominum ministerium, sed ad solius Dei potentiam respiciendum. 13.) Scriptura proprie loquendo non est Dei naturale verbum, nec omne, quod docetur & prædicatur, est Dei verbum, etiamsi ex scriptura desumatur, sed hoc est solum Dei verbum, quod Deus in homine loquitur, quodque se ipsum docet, prædicat, ad salutem se manifestat, potenter se exserit, in cor fidele se insinuat, inque eo operatur, habitat & vivit. 14.) Erunt omnes docti a Deo. Esaj. LIV. Joh. VI. 15.) Unctio docet vos omnia 1 Joh. II. Confer Schwenkfeldii ep. 65. ad Burch. Schilligium & Weigelium in dial. de christianismo p. 56. & 57. Gerhardus. (*)

(*) Præcipua Schwenkfeldianorum aliorumque fanaticorum argumenta, a Gerhardo breviter heic recensita, confutarunt complures scriptores, partim recensita, partim reformati, partim denique ecclesiæ Romanæ addicti, adlegati a ven. J. G. Walchio in *bibliorb. theolog. selecta tom. II. p. 70. seqq.* itemque a b. Baumgartenio in *der Geschichte der Religions-parteien, p. 1001. seqq.* Cumprimis legi heic meretur Gustav. Georg. Zeltneri *brevis variorum controversiarum cum enthusiastis & fanaticis adhuc agitatarum, controv. IV. p. 55. seqq.*

soli verbo interno, quod est Christus, competat. Idem: *Scriptura prophetica & apostolica est externum & corporale Dei verbum, non autem verbum Dei vivificum, quo animae pascuntur, & de quo Christus inquit:* Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, *&c. Salus & remissio peccatorum non est quaerenda in scriptura & signo, sed sursum corda apud Dominum Deum. Sic discerno inter servum & dominum, inter interiorem Dei operationem & externum ministerium, inter id, quod cor intrat, & quod ad externos sensus hominis pertinet &c. Salutaris Dei cognitio & fides ipsius Jesu Christi non est ex scriptura, sed ex ipso Deo, Christus in vet. & nov. test. est manifestatus non per scripturam, sed per Spiritum Dei.* Similia occurrunt apud Weigelium, novum Schwenkfeldii adsectam in lib. I. γνῶθι σεαυτὸν c. 11. *Man muss zugeben, dass die gœttliche Erkaenntnis im heil. Glauben nit herkomme vom Buchstaben, das ist, vom Gegenwurff, als von der Biblia, sondern vom Auge selbst, das ist, aus dem geistlichen erleuchteten Auge des Menschen. Pag. 54. Viel meynen, die eusserliche Predigt trage von aussen zu hinein den heil. Geist, solches ist ein Irrsall, wie will das auswendige würcken das inwendige? in dial. de christian. p. 13. Fürwar das aussere Mittel machet noch würcket nit das innere, der Schatten machet nit das Wesen, der Buchstaben wircket nit den Geist, &c.* Schwenkfeldio adfines sunt libertini, de quibus Calvinus in instruct. adv. libert. c. 9. *Jam diximus* (inquit) *istos initio aperte ridere solitos fuisse, si quis scripturas adlegaret. Nec dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent: interim tamen non desinebant iis uti, si quis esset locus, quem in sensum suum torquere possent, non quod eis adhiberent fidem, sed tantum ut perturbarent idiotas, atque ita concuterent, ut tandem eos ad se possent facilius adducere. Si quis locus ipsis obiceretur, respondebant, nos literae minime obnoxios esse, sed Spiritum, qui vivificat, sequi oportere. Quin etiam porcus ille* **Quintinus** (qui una cum Coppino fuit primus hujus sectæ auctor) *unumquemque apostolorum aliquo scommate notaverat, veluti Picardico suo sermone Paulum vocans vas fractum, Johannem juvenem stolidulum, Petrum abnegatorem Dei, Matthaeum fœneratorem.*

§. CCLI. Ad hanc Schwenkfeldii opinionem ex parte accedunt quidam *calviniani & pontificii.* Quamvis enim Calvinus, & ipsius adsectæ quandoque de ministerio verbi & sacramentorum satis honorifice loqui videantur, tamen plurima apud illos occurrunt, præsertim in disputatione de absoluto reprobationis decreto, quæ Schwenkfeldianismo admodum sunt adfinia. Andreas Carolstadius sacramentarii certaminis seculo proximo primus auctor scripsit libellos hisce titulis insignitos: *Von der Offenbarung Gottes, wie die geschehe in unser Inwendigkeit, von dem geheimen Willen Gottes, von der Gelassenheit, dass man nichts wissen dürffe umb den Buchstaben, sondern eingehen in die Macht des HErrn.* Ejusdem generis erat doctrina de gradibus, quibus ad Dei cognitionem perveniri possit, ab adsectis Carolstadii tradita & a Carolstadio non obscure comprobata; docebant enim nos in cognitionem Dei intromitti, primo *durch die Entgröbung*, secundo *durch die Studirung*, tertio *durch die Verwunderung*, qua scilicet *homo dubitet, sintne vera, quae ex verbo Dei proponuntur, ideoque a Deo hujusce rei sensibilem patefactionem petere debeat;* ubi impostores illi hominibus suum proponebant exemplum, quo consueverunt in cœlum exspuere & hoc modo orare: *Pater immitte in cor meum exporrectum desiderium tuae justitiae, sin minus, ego te tuosque apostolos abnegabo.* Quartum gradum vocarunt *die lange Weil.* Quintum vocarunt *adspersionem, quando homo viva Dei voce edoctus corde suo certum concipiat de rebus ad salutem pertinentibus judicium, atque ita possessor in interiora hominis veniat.* Docebat etiam Carolstadius studium linguarum nihil conferre ad hauriendam ex scripturis agnitionem Dei, *sed oportere eos, qui ministerio fun-*

Calviniani eidem adfines.

fungantur, esse a Deo doctos per vivam ipsius vocem ac revelationem; unde etiam glossam suam verbis cœnæ illatam: *Hoc est corpus meum, hoc est, hic ad mensam sedet corpus meum*, se didicisse professus *a viro quodam, qui in visione sibi adparuerit*, quem fuisse Patrem cœlestem existimavit. Et quid multis? fatetur ipse Carolstadius in epistola quadam ad Krautwaldium & Schwenkfeldium exarata Kembergæ d. 17. Maji anno 1528. quod *Schwenkfeldii fuerit socius*. Exstat autem hæc epistola tom. IV. oper. Lutheri Jen. germ. f. 375. Zwinglius in confess. ad Carolum: *Spiritus non indiget auriga vel vehiculo*. Idem in exegesi: part. II. oper. p. 347. *Nos putamus fidem ex verbis hauriri non posse, sed fide magistra, quae proponuntur, intelligi*. In resp ad serm. Lutheri: *Fides nequaquam ex verbis desumi potest, seu addisci, sed doctor hujus Deus est*. In subsidio dicit se veram verborum cœnæ interpretationem didicisse *a monitore nocturno, de quo, ater an albus fuerit, nesciat*. Lib. contr. Strassium: *Res externae internum hominem aliqua in re juvare, vel fidem augere non possunt*. Oecolampadius in lib. de verb. Dom. *Hoc est corpus meum*: anno 1525. edit. lit. H. vi. & vii. scribit, *Christum non esse in verbo praedicato, nec in bibliis lectis adesse*. Idem anno 1527. præfatiuncula quadam ornavit libellum Schwenkfeldii *de cursu verbi Dei*, in qua ipsum *eruditum juxta ac pium vocat, atque optat, ut ejus mansuetudinem doctores sibi male conscii magis imitentur, quam doctrinam* (Schwenkfeldii) *vere solidam arrodant*. (*) Calvinus lib. IV. instit. c. 14. §. 17. *Quamquam Deum ipsum praestantissima Spiritus sui virtute suae institutioni adesse non inficiemur, ne infructuosa sit & inanis, quam ordinavit, sacramentorum administratio; interiorem tamen Spiritus gratiam, ut ab externo ministerio distincta est, seorsum reputandam & cogitandam asserimus*. Et postea: *Hic quoque notandum est, quod externa actione figurat, ac testatur minister, Deum intus peragere, ne ad hominem mortalem trahatur, quod Deus sibi uni vindicat*. At quomodo hoc convenit cum dicto apostolico 1. Tim. IV. 16. *hoc faciens te ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt*. Si Spiritus sancti gratia ab externo ministerio ita distinguenda est, ut seorsim reputetur ac cogitetur, verbum & sacramenta non amplius erunt organa & media, per quæ Spiritus sanctus operatur conversionem ac salutem. Idem lib. IV. instit. c. 16. §. 19. *In multorum vocatione Deus usus est interiore modo, quos Spiritus sancti illuminatione nulla intercedente praedicatione vera sui cognitione donavit*. De extraordinariis casibus in infantibus christianorum ante susceptum baptismum demortuis hoc concedimus, interim ordinarie & regulariter conversio & illuminatio non fit, nisi per verbum ac sacramenta. Beza part. I. resp. ad colloq. Momp. p. 31. disputat, *Deum non remittere peccata vere & efficaciter per homines, sed ex se & per se, id est, immediate*. Part. II. resp. p. 115. *Quod sermo audientes adficit, non arguit vim ullam aliam ipsis, quae audiuntur, vocibus inesse, quam res illas significandi, de quibus dicuntur*. Ibidem vocat *dogma ex fœtidis scholasticorum lacunis haustum, quando causativa vis gratiae conferendae principalis quidem Deo, instrumentalis autem sacramentis tribuitur* Pag. 116. *Administri verbi suas habent actiones distinctas proprias, nec ullo modo cum Spiritus sancti actione commiscendas, externas videlicet*. Et postea: *In regeneratione hominis, propter quam dicit apostolus nos esse Dei opus, valde fallitur, & in Deum ipsum injurius est, quisquis aut hominibus, per quorum os loquitur, vel ipsi externo Dei verbo, vel sacramentalibus signis, Deum existimat vel tantillum divinae illius suae virtutis hominibus renovandis & aeterna vita in Christo servandis adtribuere*. Pag. 117. *Non aliter intelligenda sunt patrum dicta ministerium evangelii commendantium a benedictione, quae Dei unius in solidum propria est; non autem aliquid divini suae plantationi & rigationi, vel aedifi-*

(*) Zwinglius & Oecolampadius in disp. Bernensi docent, *externo Dei verbo nihil tribuendum esse, sed intellectum ejus in hominis corde latere, & ibi potius internum occultari verbum*. Gerhardvs.

aedificationi, vel verbis suis, vel sacramentis ipsis ultra significationis usum adtribuentium. (*) Bucerus in præfat. epist. ad Ephes. *eximiam revelationem tribuit* Schwenkfeldio. Grynæus in præfat. theorem. theolog. ad Joach. a Berga: *Adseveranter* (inquit) *adfirmo, esse insciti am indignam Christi servis, nescire quod per evangelium & sacramenta nos ita erudiat Dominus, ut non per evangelium & sacramenta nos salvari credamus, sed per unum Jesum Christum;* quæ est turpissima oppositio causæ efficientis meritoriæ & instrumentalis. Ac paulo post: *Evangelio, baptismo, eucharistiae, fidei tribuitur remissio peccatorum, prout fert vocabulum πρὸς ἓν, ratio quae ita comparata est, ut instrumentis honestandi eadem gratia tribuantur effecta, quae alioquin propria sunt causae efficientis.* In disp. Heidelb. anno 1584. th. VI. aphor. 4. *Ministerio externo ejus cohonestandi ergo phrasi sacramentali effectum ministerii interni tribuitur.* Paræus in exeg. germ. p. 81. *internam vim & efficaciam, qua sanctificamur, negat esse ministrorum, nec ipsorum externo verbo & actionibus* (sacramentorum scilicet administratione) *inclusam, sed esse Spiritus sancti*: p. 82. *negat ministros cum externis interna dona exhibere.* Goclenius lib. I. problem. logic. probl. 24. *Verbum Dei non est efficax conversionis causa, qua dicitur, & est sonus evanescens, sed qua accipitur & consideratur.* Vide Schwenkfeldio-Calvinianismum a b. Heilbrunnero Lavingæ anno 1597. editum. Vtamur etiam hoc argumento: Quicunque statuunt, fidelium parentum liberos nasci sanctos, esse baptismum duplicem, externum & internum, ex absoluto decreto reprobationis vocationem apud maximam hominum partem esse inefficacem, ac gentilibus sanioribus salutem adscribunt, illi coguntur negare ministerium verbi & sacramentorum esse ordinarium conversionis & salutis organum. Sed Calviniani hæc omnia statuunt, ut alibi ostensum fuit. Ergo. Connexio *majoris* est manifesta. 1.) Si enim fidelium liberi ab utero matris sunt sancti, utique *absque ministerio verbi sacramentorum Spiritus sanctus in illis immediate accendit fidem*, ut diserte scribit Sohnius in exeg. p. 792. 2.) Si duplex statuitur baptismus, externus & internus, atque ita quidem, ut externus baptismus contingat illis, quibus in adulta ætate demum internus datur, utique administratio baptismi non erit efficax organum, sed duntaxat signum significans, quid Spiritus sanctus interius vel illo tempore operetur, vel postmodum sit operaturus. 3.) Si ex absoluto decreto reprobationis fit, ut vocatio per verbum apud multos sit inefficax, utique verbum non erit efficax salutis organum, sed duntaxat signum, quid Deus operari velit in illis, qui absoluto decreto sunt electi, & sic per verbum fieri conversionem, hunc habebit sensum, Spiritum sanctum una cum externa verbi prædicatione quandoque operari. 4.) Si gentilibus sanioribus adscribitur salus, qui tamen ministerio verbi & sacramentorum fuere destituti, utique eo ipso negatur, quod verbum & sacramenta sint ordinarium conversionis ac salutis organum.

Vt & quidam pontificii.

§. CCLII. Sed nec pontificii a *Schwenkfeldianismo* penitus immunes sunt. Bellarminus quidem lib. I. de verbo Dei cap. 1. *impudentissimum* vocat *mendacium*, *quod Schwenkfeldii & libertitus & gratiae Dei philosophia, non christianorum.* Pag. 140. *Nos Thomistae adpellat, quod doceamus verbum & sacramenta esse instrumenta gratiae & Spiritus Dei, sine quibus interna Dei dona nemini contingant.* Pag. 190. *scribit, errorem manifestum esse & auribus christianorum intolerabilem, dicere, Spiritum sanctum & fidem dari a Deo per ministerium verbi & sacramentorum.* GERHARDVS.

(*) Bucerus in Joh. p. 138. *Libenter fatemur, Deum communi lege verbum externum adhibere ad docendum suos, sed quod propterea medium & instrumentum sit, quo detur Spiritus S. & alia Dei dona, ex nullis sanctae scripturae locis probari potest.* Pag. 139. *Nemo unquam orthodoxorum hunc Spiritum sanctum vel communi, vel privata lege, sic verbo addixit, ut medium illud & instrumentum faceret, quo ille sanctis daretur. Sophistarum est ista de instrumentis & mediis Spi-*

bertinorum error pontifici Romano competat, verum expendi jubemus sequentia fundamenta. 1.) Andr. Fabricius in harmonia Augustanæ confessionis diserte scribit, *Spiritum sanctum etiam dari sine externo verbo, nempe per verbum internum, quod illo non est infirmius.* Idem repetit Joh. Hoffmeisterus p. 55. ubi ex scholasticis dicit, *gratiam non esse adligatam sacramentis.* At distinguendus est casus necessitatis extraordinarius ab ordinario in negotio salutis agendi modo, neque enim ille huic opponendus. Tostatus quæst. XXV. in cap. 21. Matth. negat *virtutem aliquam realiter fuisse in verbis Christi ad discipulos: Dominus his opus habet*; de physica virtute id concedimus, manet interim, quod divina virtus per illa verba se exseruerit. 2.) Qui Spiritus sancti sensum a scripturæ verbis separant, illi hactenus & hoc respectu Schwenkfeldianismum propugnant. Sed Pontificii Spiritus sancti sensum a verbis scripturæ separant. Ergo. *Adsumtum* in tract. de interp. script. demonstratum fuit. Vt enim Schwenkfeldius ad spiritum privatum homines remittit, per quem scripturæ sint intelligendæ, ita pontificii in ecclesia & apud ecclesiam, hoc est, ut ultima analysis docet, in pontifice & apud pontificem, illum scripturæ ἀυθεντικὸν interpretem, Spiritum sanctum quærendum esse statuunt; contra vero negant, *scripturam dicere posse, quis sit verus suus sensus*, hoc est, negant ex ipsa scriptura verum scripturæ sensum & genuinam Spiritus sancti sententiam addisci posse. Becanus in lib. de jud. controv. p. 78. §. 51. *Aliud est verba scripturae esse clara, aliud sensum scripturae esse clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione grammatices, claritas autem sensus ex intentione & consilio Spiritus sancti*; ubi re ipsa negat, ex verbis scripturæ sensum Spiritus sancti colligi posse vel debere. 3.) Qui scripturam vocant *literam mortuam*, illi hactenus & hoc respectu sunt Schwenkfeldiani. Sed pontificii scripturam vocant literam mortuam per Spiritum ecclesiæ animandam & recte explicandam. Ergo. *Adsumtum* probant illa emblemata, quibus scripturam passim ornant. Cusanus epist. II. *Ecclesia non potest ad literam scripturae obligari, licet semper ad Spiritum. Intellectus, qui cum ecclesiae praxi concurrit, est Spiritus vivificans.* Piggius lib. I. eccles. hierarch. c. 2. *Scripturae sunt velut plumbea Lesbiae aedificationis regula, quae ad sensum, quem quis ante secum praesumserit, adcommodari se facile patiantur.* Andradius in def. Trid. fid. negat, *quidquam inesse divinitatis in illis libris, quibus sacra mysteria consignata sunt.* Costerus in enchir. p. 43. *Christus ecclesiam suam nec a chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, sed cum spiritualem constitueret ecclesiam, suo Spiritu sancto informatam, usus est sublimiore charactere, scribens digito Dei in corde ecclesiae.* p. 45. *Scripturae sunt litera mortua, scripta atramento in membrana vel charta.* (*) 4.) Qui scripturæ lectionem laicis interdicunt, illi in scripturas sacras, si non magis, tamen æque injurii sunt ac Schwenkfeldiani, qui lectionem scripturæ concedunt, sed negant, ex illius lectione vel meditatione fidem accendi. Atqui pontificii a lectione scripturarum laicos arcent. Ergo. Quod vero Bellarminus *oblique* lib. III. de verbo Dei c. 3. §. at hæret. Gretserus lib. I. de-

(*) Eadem erat vox Schwenkfeldii p. 12, de script. *scriptura est vox humana, sonitus, strepitus & mortua litera.* Excipit Gordonus in epit. controv. I. c. 3 *haec omnia, a pontificiis adseri de sola nuda & mortua litera, quae vero sensu caret, non vero de ipsa literae vita & anima, seu vero sensu.* Resp. quærimus quid per *literam*, quid per *literae animam* intelligant? Per illam scriptum Dei verbum, prout est in codice biblico atramento exaratum, per hanc sensum ab ecclesia suopte Spiritu & proprio ausu illatum intelligunt. Quid inde consequitur aliud, quam ipsum adhuc Dei verbum scriptum sine pontificis interpretatione consideratum esse literam mortuam, quæ demum animam & quasi vitam accipiat a pontifice. Ex Fausti Socini tract. de ecclesia in explic. loci Matth. XVI. 19. p. 72, & seqq. adparet, neque ipsos Photinianos sincere credere, quod ministri ecclesiæ revera & efficaciter (tametsi organice) pœnitentibus hominibus peccata remittant, sed eos sentire, quod tantum significative & declarative id faciant. Gerhardvs.

I. defens. de script. c. 2. *directe* Schwenkfeldianissimum nobis tribuit, ac *spiritum Schwenkfeldianum & Lutheranum eumdem esse* scribit, ejus adcusationis falsitas in tract. de interpr. scripturæ fuit detecta.

Hypotheses contra Schwenkfeldii errorem.

§. CCLIII. Ceterum, ut status quæstionis inter nos ac Schwenkfeldianos eorumque adsecias sit illustrior, notandæ sunt sequentes hypotheses. 1.) Verbum Dei scriptum sive scriptura sacra hic a nobis accipitur non tam *formaliter*, prout literarum apicibus describitur, vel voce articulata ministri profertur, quam *materialiter*, prout consilium & voluntatem Dei nobis proponit, hoc est, non tam ratione *signorum*, quæ sunt voces scriptæ vel prolatæ, quam ratione *signati*, quod est sententia illis vocibus scriptis vel prolatis significata. 2.) Per verbum a nobis hoc loco intelligitur non λόγος ὑποστατικὸς, qui est Christus, Joh. I. 1. Apoc. XIX. 13. sed λόγος προφορικὸς, verbum Dei, vel ab ipso Deo immediate, vel per Christum, prophetas & apostolos prolatum, & in scripturas ab illis redactum. 3.) Distinguendum est inter *causam principalem*, & *instrumentalem*. Ministerium verbi & sacramentorum nequaquam statuimus causam conversionis ac salutis principalem; hic enim honor soli Deo competit, sed instrumentalem, ut ipsum ministerii nomen arguit. Nec tamen opponenda est causa *principalis* causæ *instrumentali*, cum effectus de utraque *aeque*, licet non *aequaliter* prædicetur. 4.) Distinguendum inter instrumenta *ex necessitate*, & *ex libera voluntate* adhibita. Architectus domum exstructurus adhibet artis suæ instrumenta ex necessitate, quia sine illis non potest producere opus. Sed tale instrumentum conversionis & salutis non est verbum, Deus enim etiam absque verbo posset hominem convertere; sed ex libera voluntate hunc ordinem instituit, quod ordinarie non nisi per verbum & sacramenta conversionem & salutem in hominibns operari velit. 1 Cor. I. 21. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* 5.) Verbum Dei nequaquam statuimus eo modo esse causam instrumentalem conversionis ac salutis, quasi vis aliqua *naturalis* ad hunc effectum producendum *subjective* inhærens illi insit, sed quia *Deo placuit* ad divinum illum effectum conversionis ac salutis hominum verbum externum tanquam causam instrumentaliter agentem evehere, nec immediate, sed mediate in negotio salutis cum hominibus agere. Quidquid igitur verbo externo hac in parte tribuitur, illud omne ac totum a divina ordinatione dependet. 6.) Quemadmodum alias effectus prædicatur de instrumento non quocunque modo se habente, sed quatenus illud *in usu* consistit; ita quoque conversio & salus hominum prædicatur de verbo Dei, non quatenus in charta continetur, vel voce recitatur extra suum proprium & legitimum usum divinitus institutum, sed quatenus adnunciatur, prædicatur, legitur, meditatione expenditur, hoc est, quatenus est in proprio, legitimo & ordinario suo officio ac usu, in quem divinitus est institutum, quo pertinet comparatio Brentii adlegata in tract. de evang. §. 47. 7.) Usus ille tam in lectione, quam in auditu verbi consistit, idem enim est ac manet verbum Dei, sive legatur, sive prædicetur & audiatur; proinde salutares illi effectus, quos prædicationi verbi scriptura tribuit, etiam lectioni & meditationi ejusdem tribuendi sunt, quemadmodum amicum audit, & verbis ejus adficitur, non solum qui præsentem eum audit, sed etiam qui literas ejus legit. 8.) Aliud est *distinguere*; aliud *separare* ac divellere. Scriptura & nos cum ea media salutis externa ab interna Dei virtute & operatione distinguimus, ita ut aliud sit prædicatio & auditus verbi, aliud interior conversio; in baptismo aliud aquæ adfusio, aliud interna regeneratio &c. sed ex illa distinctione non est inferenda nefaria separatio ac divulsio, cum ex ipsa Dei ordinatione media salutis externa & interna illa Dei virtus & operatio sint conjuncta. Placuit enim Deo spiritualia & cœlestia sua beneficia per media externa nobis conferre. 9.) Quod verbi & sacramentorum ministerio in scripturis tribu-

tribuitur, illud etiam miniſtris, verbi præconibus & ſacramentorum adminiſtris tribuitur, non ratione *perſonae*, ſed ratione ſui *miniſterii*, quatenus ſcilicet verbum prædicant, & ſacramenta adminiſtrant. *Sic evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem*; Rom. I. 16. & Timotheus prædicans Evangelium *ſalvat ſe ipſum & eos, qui ipſum audiunt* 1. Tim. IV. 16. 10.) Diſtinctæ quæſtiones ſunt de *efficacia verbi divini in genere*, & de *efficacia evangelii in ſpecie*. Quando in genere quæritur de verbo Dei & ejus efficacia; recte reſpondetur, quod non ſit litera mortua, ſed efficax inſtrumentum, per quod Deus efficaciter in hominibus operari velit & operetur. Quamvis enim lex non ſit medium atque organum illud, per quod Deus vult accendere fidem in Chriſtum; tamen & ipſa non eſt litera mortua, ſed *occidens*, ut loquitur apoſtolus 2. Cor. III. 6. *iram operans*, Rom. IV. 15. ſicque in ſuo genere non minus efficax, quam evangelium. Quando vero in ſpecie quæritur de *evangelio* & ejus *efficacia*; recte reſpondetur, quod evangelium ſit organum illud, per quod detur Spiritus ſanctus, fidem in cordibus accendens, regenerans ac renovans hominem ad vitam æternam. 11.) Diſtinguendi ſunt effectus *verbi proprii* ab *accidentariis*. Sic *proprius* evangelii effectus eſt, quod adferat fidem, pacem conſcientiæ, reconciliationem cum Deo, donationem Spiritus ſancti & vitam æternam &c. *Accidentarius* effectus eſt, quod adferat crucem ſuis confeſſoribus, quod mundum offendat, quod ſit occaſio excœcationis incredulis & impiis &c. Vid. tract. de evang. §. 45. & 46. Hoc loco potiſſimum de propriis verbi effectis agitur, ad quos ſalutari Dei conſilio eſt ordinatum.

§. CCLIV. Hiſce præmiſſis producimus argumentorum noſtrorum aciem, quæ in duas claſſes generales diſtingui poſſunt. Prior complectitur ea, quæ de *efficacia verbi*; poſterior ea, quæ tum de *efficacia ſacramentorum* in genere, tum in ſpecie *de baptiſmi & euchariſtiae efficacia* agunt. Poſterioris claſſis argumenta produximus ſuperius in tract. de ſacramentis, de baptiſmo & de euchariſtia, reſtat igitur, ut priorem duntaxat claſſem hoc loco ordinemus. Ac poſſent quidem illius claſſis argumenta eo modo ordinari, ut primo loco producerentur dicta ſcripturæ ea, quæ *de efficacia verbi in genere*; ſecundo loco ea, quæ *de efficacia legis & evangelii in ſpecie* agunt; verum quia hic proprie non quæritur, quæ dicta de lege, quæ de evangelio ſint accipienda, ſed ſufficit contra Schwenkfeldium demonſtrare, verum eſſe efficax organum, per quod Deus in negotio converſionis & ſalutis operetur, ideo alia ratione claſſem noſtrorum argumentorum ordinabimus.

Argumenta contra Schwenkfeldium.

§. CCLV. *Primam* claſſem aſſignamus teſtimoniis Spiritus S. *ex pſalmis deſumtis. Pſ. XIX. 8. Lex Domini immaculata, convertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam praeſtans parvulis.* v. 9. *Praecepta Domini recta; laetificantia corda; praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Pſ. CXIX. 92. *Niſi lex tua fuiſſet conſolatio mea, periiſſem in adflictione mea.* v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Ex hiſce dictis ſic concludimus: Quidquid convertit animas noſtras, ſapientiam præſtat parvulis, lætificat cor, illuminat oculos, conſolatur animas, ac lumen præſtat ſemitis noſtris, illud effectuum iſtorum eſt vel principalis, vel inſtrumentalis cauſa. Sed verbum Dei convertit animas noſtras, ſapientiam præſtat parvulis, lætificat cor, illuminat oculos, conſolatur animas, ac lumen præſtat ſemitis noſtris. Ergo effectuum illorum eſt vel principalis, vel inſtrumentalis cauſa. Non principalis, quia hoc honor ſoli Deo competit. Ergo inſtrumentalis. *Majoris* connexio eſt manifeſta, quandocunque enim effectus de ſua efficiente prædicatur, id fit vel principaliter, vel inſtrumentaliter. Excipit Schwenkfeldius 1.) *In aliis ſcripturae dictis Deo tribui hunc effectum, quod nos doceat & convertat*: Pſal. LXXXV. 9. *Audiam, quid loquatur Dominus.* Pſ. XCIV. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Pſ. CLXIX. 33. *Doceme Domine*

Ex pſalmis Davidicis.

mine viam justificationum tuarum. Matth. XI. 27. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* cap. XVI. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* Joh. I. 18. *Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Resp. vitiosa est oppositio causæ *principalis* & *instrumentalis.* Deo hi effectus tribuuntur, ut causæ *principali*, verbo, ut causæ *instrumentali*; omnes enim illos effectus operatur Deus ut causa princeps, verum non immediate, sed per verbum suum prædicatum, auditum, lectum &c. Quando igitur Schwenkfeldius sic argumentatur: Quidquid Deo tribuitur, id scripturæ tanquam creaturæ tribui non debet. Sed Deo tribuitur docere & erudire homines, loqui in cor eorum &c. Ergo id scripturæ tanquam creaturæ tribui non debet: tunc in *majore* confundit rem & rei modum, sic enim limitanda *major*: Quidquid Deo tribuitur, id scripturæ non debet tribui, scilicet eo modo, quo Deo tribuitur; nisi enim hæc limitatio admittatur, neganda erunt expressa scripturæ testimonia, quæ eosdem effectus, alio scilicet prædicandi modo, tribuunt verbo. *At*, inquis, *in dictis illis scripturae est manifesta oppositio inter Deum & homines. Beatus homo, quem tu Domine erudieris, non qui ab homine docetur. Nemo hominum novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Caro & sanguis, hoc est, homo, non revelavit tibi, sed Pater meus.* Resp. homines considerantur dupliciter, primo *ut per peccatum excæcati*, quatenus cœcitatem ac tenebras secum in hunc mundum adferunt, natura ignari salutaris cognitionis Dei; secundo *ut a Spiritu sancto illuminati*, quatenus per gratiam Spiritus S. luce verbi illuminati ad ministerium verbi adhibentur, ac Dei συνεργοὶ in conversione & salute aliorum constituuntur. Oppositio illa Dei & hominum in revelatione & doctrina accipienda est respectu priori, non autem respectu posteriori. II.) *Verbum non esse causam instrumentalem horum effectuum, sed duntaxat signum, quia scilicet exterius significet, quid Deus interius agere velit.* Resp. Spiritus sanctus nuspiam dicit, quod verbum duntaxat hoc exterius significet, quid Deus interius agat, sed quod vere & efficaciter per verbum tanquam salutare organum Deus agat & operetur, ut ex sequentibus adparebit. Aliud est Deum *per verbi praedicationem* operari conversionem, *aliud simul & una cum verbi praedicatione* conversionem operari; illud notat causam instrumentalem, hoc vero duntaxat signum: potest enim aliquid simul & una cum re quidpiam fieri, cujus tamen res illa nequaquam est organum vel instrumentum. Jam vero scriptura expresse testatur, Deum non solum una cum verbi prædicatione conversionem operari, sed etiam per verbi prædicationem, sicut de baptismo dicit, quod *per illum*, utpote *lavacrum regenerationis ac renovationis* Deus nos salvos faciat. Tit. III. 5. Ergo prædicatum verbum est non solum externum signum, sed etiam efficax organum & instrumentum. Signum pertinet ad locum adjunctorum, instrumentum ad locum causarum. Plura contra hanc exceptionem adduximus in tract. de sacram. §. 55.

§. CCLVI. *Secundam* classem adsignamus *dictis propheticis.* Est. LV. 10. *Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, nisi inebriaverit terram, & fœcundat eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti & panem comedenti*: v. 11. *sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quaecunque volui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud.* Jer. XXIII. 29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis & quasi malleus conterens petram?* Ex quibus locis sic concludimus: Cuicunque tribuuntur efficaces actiones, illud non est litera mortua nec nudum signum. Verbo Dei prædicato tribuuntur efficaces actiones, videlicet *non reverti vacuum, sed efficere, quae Deus voluit, instar ignis corda hominum frigida calefacere, & instar mallei corda hominum dura conterere.* Ergo verbum Dei prædicatum non est litera mortua nec nudum signum

2.) *Ex dictis propheticis.*

gnum, sed efficax organum. Aut enim verbum Domini *ex se & ut causa principalis* efficax est ad tales effectus, ad convertendos scilicet & renovandos homines, aut *ex virtute Dei & ut causa instrumentalis*. Ex se, quantum ad literas & sonum, non habet tantam efficaciam, neque etiam ut causa princeps eam exserit; ergo habet eam ex virtute Dei, qui per verbum ex ore suo egressum, tanquam per salutare organum, in cordibus audientium ac meditantium efficax est, ac fidem & novos motus legi congruentes in illis accendit. Excipiunt I.) *de verbo prophetiae, non autem de verbo doctrinae apud Esaiam esse sermonem, hoc sensu, quod prophetiam sequatur complementum.* Resp. verbum doctrinae aeque est Dei verbum, ut verbum prophetiae, neutrum igitur sua efficacia destituitur. In modo efficaciae fatemur esse differentiam; nam verbum simplicis prophetiae effectum & complementum suum sortitur frustra renitentibus ac repugnantibus hominibus, sed verbum doctrinae non adfert simplicem & absolutam sive irresistibilem (ut vocant) conversionis necessitatem, verum si audiatur, nec proterve Spiritus sancti per verbum operationi resistatur. Nunquam tamen *verbum doctrinae* plane omni effectu destituitur. Quibus enim non est *odor vitae in vitam*, illis est *odor mortis in mortem*. 2. Cor. II. 15. Ergo si vel maxime in specie de verbo prophetiae apud Esaiam esset sermo, nihilo tamen minus efficaciam verbi illius, quod est conversionis medium, probaret. Sed circumstantiae textus ostendunt, in genere de verbi sui efficacia Deum loqui; in antecedentibus enim agitur de vocatione gentium ad regnum Christi per verbum evangelii; protasis etiam comparationis ostendit, de illo verbo proprie esse sermonem, quod instar foecundae pluviae terram germinare & fructificare facientis animas hominum irrigat, & ad bonum fertiles reddit. II.) *Apud Jeremiam intelligi verbum essentiale.* Resp. imo vero in versu proxime antecedente diserte loquitur Dominus de verbo praedicato, quod a pseudoprophetarum somniis distinguit. v. 28. *Propheta qui habet somnium, narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* id est, hominum doctrinae sunt leves & inanes, nullum praebentes fructum, nullum spiritualem succum, sed verbum meum est instar tritici, imo instar ignis & mallei; postea additur v. 30. *Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea*, hoc est, qui auditores suos celant verba mea, & sua duntaxat figmenta proponunt, quae omnia de verbo praedicato ibi sermonem esse, evidenter ostendunt.

§. CCLVII. *Tertiam* classem argumentorum petimus *ex dictis Christi*, Matth. XIII. 23. Marc. IV. 20. Luc. VIII. 15. *Semen est verbum Dei: quod in bonam terram cadit, hi sunt, qui in corde honesto ac bono audientes verbum retinent, & adferunt fructum in patientia.* Joh. V. 39. *Scrutamini scripturas, quia vos videmini in illis vitam aeternam habere, & illae sunt, quae de me testificantur.* cap. VI. 63. *Verba, quae locutus sum vobis, sunt Spiritus & vita.* v. 68. *Verba vitae aeternae habes.* cap. VIII. 31. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* v. 51. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* cap. XVII. 20. *Non pro illis tantum rogo, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum* (apostolorum) *in me.* Ex quibus sic concludimus: Quod est semen fructificans, ac verbum vitae, per quod reddimur credentes ac discipuli Christi, quod confervat nos a morte aeterna, & in quo est vita aeterna, illud non est litera mortua, sed efficax organum conversionis ac salutis. Sed verbum Dei est semen fructificans, verbum vitae, per quod reddimur credentes ac discipuli Christi, quodque confervat nos a morte aeterna, & in quo est vita aeterna. Ergo non est litera mortua, sed efficax organum conversionis ac salutis. Repetit Schwenkfeldius suam exceptionem *de verbo Dei essentiali haec esse accipienda.* Resp. circumstantiae textus ostendunt contrarium. Christus

3.) *Ex dictis salvatoris.*

enim, qui est essentiale Dei verbum, confert se ipsum seminatori, Matth. XIII. 37. jam vero semen est distinctum a seminatore. Ergo etiam verbum Dei, quod per semen intelligitur, est distinctum a Christo. Talia quoque tribuuntur semini, quæ non competunt verbo Dei essentiali, dicitur enim *cadere secus viam, & ab avibus cæli devorari; cadere inter spinas, & ab illis suffocari.* In Johanne itidem Christus se ipsum ut verbum Dei essentiale a verbo prædicato distinguit, ac notanter addit, sibi sermonem esse de illo verbo, quod locutus est, & quod apostoli sint in mundo prædicaturi.

4.) *Ex dictis apostolicis.*

§. CCLVIII. *Quartam* classem argumentorum petimus *ex dictis apostolicis.* Rom. I. 16. *Non me pudet evangelii, est enim potentia Dei ad salutem omni credenti.* cap. X. 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per Dei verbum.* cap. XV. 4. *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem haberemus.* 1. Cor. I. 21. *Postquam mundus per suam sapientiam Deum non cognovit, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Eph. I. 13. *Cum audissetis verbum veritatis, evangelium salutis.* Col. I. 6. *Verbum veritatis, evangelii in universo mundo est, & fructificat, & crescit.* 2. Tim. III. 15. *Sacrae literae possunt te σοφίσαι, sapientem reddere ad salutem.* v. 16. *Omnis enim scriptura divinitus inspirata & utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia.* Heb. IV. 12. *Vivus sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae simul ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, ac dijudicans cogitationes & conceptus cordis.* Jac. I. 18. *Genuit nos voluntarie verbo veritatis, ut simus primitiae creaturarum ejus.* v. 21. *Suscipite verbum ἔμφυτον, quod potest salvare animas vestras.* 1. Petr. I. 23. *renati sumus non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili per verbum Dei viventis.* Ex illis sic concludimus: Per quod Deus in hominibus accendit fidem, illos regenerat, consolatur & salvat, quod est utile ad docendum, arguendum, corrigendum, & erudiendum, quod est vivum & efficax, gladio ancipiti penetrantius &c. illud non est litera mortua, sed efficax organum conversionis & salutis. Sed per verbum suum Deus in hominibus accendit fidem, eos regenerat, consolatur & salvat, ac verbum illud Dei est utile ad docendum, arguendum, corrigendum & erudiendum, estque vivum & efficax, gladio ancipiti penetrantius. Ergo verbum Dei non est litera mortua, sed efficax organum conversionis ac salutis. Hisce addimus dicta, quæ proprie & specifice de efficacia legis loquuntur: Rom IV. 15. *Lex iram operatur.* 2. Cor. III. 6. *Lex est litera occidens.* Quodcunque operatur iram Dei & occidit, non est litera mortua, quomodo enim id, quod ἀεργον & mortuum est, operaretur & occideret? Sed lex operatur iram & occidit. Ergo lex non est litera mortua. Excipit Schwenkfeldius 1) Rom. I. 16.

Exceptiones 1.) ad Rom. I. 16.

nomine evangelii intelligi ipsum Christum, essentiale Dei verbum, cum de tali evangelio apostolus ibi loquatur, cui essentialis Dei proprietas, videlicet potentia, competit. Jam vero soli verbo essentiali, videlicet Christo, non autem verbo praedicato essentialis Dei proprietas, videlicet potentia competit. Resp. evangelium definiente scriptura est prædicatio de Christo. Ergo non est ipse Christus, nec uspiam in tota scriptura invenietur locus, in quo evangelii nomen de ipso Christo ratione essentiæ accipiatur. Adde, quod in hoc ipso loco circumstantiæ textus ostendunt, non Christum ratione essentiæ, sed prædicationem de Christo, evangelii nomine ab apostolo intelligi, siquidem v. 15. dicit, *se esse promtum Romanis evangelizare, sive evangelium praedicare*, postea v. 16. de illo ipso evangelio prædicato dicit, *quod sit potentia Dei ad salutem.* Notanter etiam in textu græco vocatur *evangelium Christi*, ergo est distinctum ab ipso Christo; ac v. 9. dicit apostolus, quod *serviat Deo in evangelio Filii ejus*: v. 1 & 3. quod

quod *fit segregatus ad evangelium de Filio Dei*; utique ergo evangelium illud, de quo postea prædicat, quod sit potentia Dei ad salutem omni credenti, distinctum est ab ipso Christo, de quo evangelium concionatur. Dicitur autem illud verbum evangelii *potentia Dei*, quia scilicet in usu divinitus instituto est efficax organum & medium, per quod Deus in cordibus hominum salutarem suam efficaciam exserit ad eorum salutem. Cum hæmorrhousa Christi vestem tangens a profluvio sanaretur, dicit Marcus cap. V. 30. *virtutem a Christo exiisse*, id quod Lucas cap. VI. 19. in reliquorum etiam ægrotorum sanatione contigisse adserit, nequaquam hoc sensu, quasi essentialis Christi virtus ab ipso exierit, sed quia potentia sanandi per attactum vestis, per impositionem manuum, per verbum mandati &c. efficaciter se exseruit: ita quoque evangelium Christi est potentia Dei ad salutem, quia potentia salvandi per evangelium prædicatum, auditum ac fide receptum efficaciter sese exserit. Ambrosius in comm. h. l. *Praedicatio apostolica virtus Dei est, quae invitat ad fidem, & dat salutem omni credenti, dum peccata donat & justificat, ut a secunda morte detineri non possit signatus mysterio crucis, praedicatio enim crucis Christi indicium est mortis evictae.* Neve ulla restet de hac interpretatione dubitatio, conjungimus locum 1. Cor. I. 17. & 18. ubi disertis verbis evangelium a Paulo prædicatum dicitur Dei virtus: *Non misit me Christus* (inquit) *ad baptizandum sed ad evangelizandum, non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi.* v. 18. Verbum enim crucis (de cruce, hoc est, de Christo crucifixo) pereuntibus quidem stultitia est, nobis autem, qui salvi fiunt, Dei virtus est.

2.) *ad Rom. X. 17.*

§. CCLIX. II.) Rom. X. 17. *intelligi verbum internum, cum in textu non dicatur, quod ex praedicatione verbi externi fit fides, sed quod ex auditu, scilicet interno, qui immediate est a Spiritu sancto, fides oriatur. Si enim fides esset ex praedicatione & auditu verbi externi, consequens foret, omnes, qui verbum audiunt, ad fidem pervenire, quod tamen minime fieri videmus; unde etiam adcusat Lutherum, quod vitiose textum verterit: Der Glaube kömpt aus der Predigt, das predigen aber durchs Wort Gottes.* Resp. ad fidem requiri etiam auditum internum, & internum illum auditum esse a Spiritu sancto, facile concedimus; sed hoc in quæstione est, an Spiritus sanctus *immediate* operari velit fidem & internum illum auditum sive adsensum? Schwenkfeldius id adfirmat, nos vero negamus, & rationem petimus ex hoc textu apostolico. Constat enim ex antecedentibus & consequentibus, apostolum loqui de verbo prædicato & audito, ac de eo diserte adfirmare, quod per illud Deus velit esse efficax ad fidem v. 14. inquit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediunt? quomodo credent, de quo non audiverunt? quomodo vero audient, sine praedicante?* v. 15. *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* v. 16. *Sed non omnes obedierunt evangelio*; *Esajas enim dicit: Domine, quis credit auditui nostro?* v. 16. *Ergo fides ex auditu, auditus per verbum Dei.* Ostendit apostolus pulcerrima quadam gradatione ordinem, quem Deus in hominibus convertendis & salvandis observet, quod scilicet nolit immediate agere, sed instituerit ministerium docendi, per quod cum hominibus velit agere, sicut etiam Eph. IV. 11. ac 12. dicit, *Christum dedisse apostolos, prophetas, evangelistas, pastores ac doctores ad instauralionem sanctorum in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi.* Nequaquam igitur a mediis salutis excluditur auditus verbi externus, sed potius includitur, ut ostendit relatio inter prædicationem & auditum. Vt enim prædicatio est externa, ita quoque auditus est externus, per quem Deus ad excitandum auditum internum & fidem vult esse efficax, sicut de Lydia dicitur: Act. XVI. 14. *quod Dominus aperuerit ei cor*, προσέχειν, *ut intenderet his, quae a Paulo dicebantur.* Neque quidquam vitii est in versione Lutheri, quæ petita est ex idiotismo hebraico dicti prophetici versu proximo ab apostolo citati: *Domine quis credit auditui nostro*, לִשְׁמֻעָתֵנוּ, hoc

hoc est, *praedicationi nostrae*, quia שֵׁמַע Hebræis significat non solum audiendi actionem, sed etiam *μετωνυμικῶς sermonem, qui auditur ex alio, rumorem ad aures delatum.* Gen. XXIX. 13. *Postquam audivit Laban*, שֵׁמַע, *auditum Jacobi*, id est, sermonem sive rumorem de Jacobo. Hanc loquendi formam etiam evangelistæ in nov. test. secuti sunt: Matth. XIV. 1. *Audivit Herodes ἀκοὴν Ἰησοῦ, rumorem sive famam de Jesu.* Ita quoque hoc loco: *Quis credidit τῇ ἀκοῇ auditui nostro*, hoc est, sermoni de Christo, quem audivimus de Christo & sparsimus, rumori, quem audivimus ex ore prophetarum. Quod enim prophetæ prædicarunt, illud prius a Deo interius eos docente audierunt, unde ipsorum prædicatio vocatur auditus. Eodem sensu necessario accipitur in verbis sequentibus, quæ immediate cum illis cohærent, imo ex illis *συμπεράσματος* loco deducuntur: *Fides est ex auditu*, hoc est, ex prædicatione, auditus autem per verbum prædicatum. Gal. III. 2. *An ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* hoc est, ex prædicatione evangelii, per quam auditam & meditatione expensam Spiritus sanctus vult operari fidem. Neque quidquam roboris inest *ὑποθέσει* Schwenkfeldianæ: *Si fides esset ex prædicatione & auditu verbi externi, omnes ad fidem pervenirent;* quia prædicatio & auditus verbi externi consideratur dupliciter; *primo* quatenus ex Dei ordinatione est medium efficax conversionis & fidei; *secundo* quatenus ex parte hominum salutaris illa Spiritus sancti efficacia impeditur, quando scilicet verbum prædicatum quidem auditur, sed interim Spiritui sancto pertinaciter resistitur ac repugnatur, qua ratione ex accidenti verbum prædicatum & auditum non est in illis ad fidem & salutem efficax, interim tamen non desinit esse fidei & salutis organum respectu divinæ ordinationis consideratum, sicut baptismus non desinit esse lavacrum regenerationis & renovationis, licet actu in quibusdam adultis, hypocritis scilicet & impiis, regenerationem ac renovationem non operetur.

§. CCLX. III.) 1. Cor. I. 21. *per stultitiam praedicationis non intelligi externam verbi praedicationem, sed mysterium redemtionis, hoc est, ipsum Christum crucifixum, siquidem talis explicatio addatur:* 1. Cor. II. 2. *Non judicavi, me quidquam scire inter vos, nisi Jesum crucifixum.* Resp. quid per *stultitiam praedicationis* in textu apostolico intelligendum sit, non opus ex incertis conjecturis divinare, cum ex serie contextus sit clarissimum. v. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia sermonis, ne evacuetur crux Christi.* v. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, nobis autem, qui salvi fiunt, est Dei virtus:* v. 21. *quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Quod intelligitur per *verbum crucis*, sive de Christo crucifixo, v. 18. illud etiam intelligitur *per stultitiam praedicationis*, v 21. ut ostendit manifesta illorum versiculorum connexio. Atqui per verbum crucis v. 18. intelligitur evangelium de Christo, ut adparet ex connexione v. 17. & 18. Ergo etiam per stultitiam prædicationis intelligitur evangelium de Christo. Regerit Schwenkfeldius, 1.) *apostolum non dicere, per stultam praedicationem salvos fieri credentes, quod de externa verbi praedicatione potuisset accipi: sed per stultitiam praedicationis, hoc est, per ipsum Christum, qui est Judaeis scandalum, gentilibus stultitia*, ut exponitur v. 23. Resp. hebraismus ille in scriptis apostolorum usitatissimus est: *justitia & sanctitas veritatis*, hoc est vera, Eph. IV. 24. *Misit illis Deus efficaciam erroris*, hoc est, efficaces errores, 2. Thess. II. 11. *O profunditatem divitiarum*, id est, o profundas divitias; Rom. XI. 33. ita quoque hoc loco per stultitiam prædicationis intelligitur prædicatio evangelii, quæ coram mundo adparet stulta. Nec repugnat huic interpretationi v. 23. ubi Christus dicitur esse *gentilibus stultitia*: id enim de Christo non prædicatur absolute, sed certo respectu, quatenus scilicet prædicatur in evangelio; jam ve-

3.) *Ad 1. Cor. I. 21.*

ro

ro idem est, sive dicas, prædicatio evangelii de Christo est gentilibus stultitia, sive Christus in evangelio prædicatus est gentilibus stultitia, quemadmodum idem est, sive dicas, fides Christum adprehendens imputatur nobis ad justitiam, sive Christus fide adprehensus est nostra coram Deo justitia. 2.) *Mentionem fieri credentium, qui salvi fiant. Jam vero non nisi respectu Christi dici credentes, proinde etiam per stultitiam praedicationis intelligi ipsum Christum.* Resp. subordinata non sunt sibi invicem opponenda; credentes non nisi respectu Christi dicuntur credentes, sed Christum fide adprehendere non possunt, nisi quatenus in evangelio ipsius beneficia ipsis offeruntur. Ergo inter Christum in evangelio oblatum & inter evangelium de Christo prædicatum non est oppositio, sed potius subordinatio ac mutua relatio. Quamvis vero effectus salutis aliter de Christo, aliter de evangelio prædicetur, Christus enim est causa principalis, evangelium instrumentalis; tamen ex eo, quod per Christum dicimur salvari, non potest, nec debet inferri, nos non salvari per evangelium, cum causa principalis & instrumentalis sibi non opponantur. Ex quibus de reliquis Schwenkfeldii exceptionibus, in quibus vitiosa oppositio causæ principalis & instrumentalis perpetuo recurrit, facile potest fieri judicium.

5.) *Ex illis dictis, in quibus ministris verbi spirituales & divini effectus tribuuntur.*

§. CCLXI. *Quintam* classem argumentorum petimus *ex illis scripturae locis*; in quibus ministris verbi spirituales & *divini effectus* tribuuntur, quatenus scilicet in prædicatione verbi & administratione sacramentorum agunt ὀργανικῶς ad hominum conversionem & salutem. Dan. XII. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae.* Luc. I. 77. de Johanne baptista prædicitur, *quod daturus sit scientiam salutis plebi israeliticae in remissionem peccatorum* Joh. I. 7. *Hic venit in testimonium, ut testificaretur de lumine, ut omnes crederent per illum.* Act. XXVI. 18. de Paulo dicit Christus: *Mittam te, ut aperias oculos gentilium, ut convertantur a tenebris ad lucem, a potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & partem sanctorum in lumine.* Rom. XI. 14. *Glorificabo meum ministerium, ut aliquos ex illis salvos faciam.* 1 Cor. III. 5. *Quid Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos credidistis.* v. 9. *Dei sumus συνεργοὶ, Dei agricultura.* c. IV. 1. *Sic nos aestimet homo, ut ministros Dei & dispensatores mysteriorum Christi.* c. IV. 15. *Si decem millia paedagogorum habetis in Christo, tamen non multos patres, nam in Christo Jesu genui vos per evangelium.* Gal. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus in vobis formetur.* Eph. III. 8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est haec gratia evangelizandi in gentibus impervestigabiles divitias Christi*, v. 9. *& illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti.* Phil. v. 10. *Obsecro te pro filio, quem genui in vinculis.* 1 Tim. IV. 16. *Haec faciens te ipsum salvabis, & eos, qui te audiunt.* Ex illis dictis sic concludimus: Cuicunque tribuuntur actus & effectus divini, illi sunt eorum causæ vel principales, vel instrumentales, tertium non datur. Atqui ministris verbi tribuuntur effectus divini, erudire ad justitiam, dare scientiam salutis, aperire oculos gentium, illuminare, gignere Deo filios & salvare. Ergo sunt eorum causæ vel principales vel instrumentales. Non principales, quia hic honor soli Deo debetur. Ergo instrumentales, quod ipsum ex sequenti argumento erit evidentius. Regerit Schwenkfeldius, 1.) *Paulum nunquam se vocare medium salutis.* Resp. qui se vocat ministrum, per quem homines credunt, sive ad fidem adducuntur, is etiam se vocat ministrum ac medium salutis. Ratio est, quia fide reddimur participes salutis. Sed Paulus se vocat ministrum, per quem homines credunt, sive ad fidem adducuntur. 1. Cor. III. 5. Ergo etiam se vocat ministrum ac medium salutis. Qui se vocat patrem spiritualem, & regenerationis opus sibi tribuit ὀργανικῶς & instrumentaliter, is etiam medium salutis sese constituit, quia regeneratio & salus sunt immediate connexa. Sed Paulus se vocat patrem

spiritualem, & regenerationis opus sibi tribuit ὀργανικῶς 1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 19. Phil. v. 10. principaliter enim illud Deo competit. Ergo etiam medium salutis se constituit. Qui salvationem auditorum expressis verbis sibi tribuit, ille aut causam principem, aut medium salutis constituit. Sed Paulus salvationem auditorum sibi tribuit Rom. XI. 14. Ergo aut causam principem, aut medium salutis sese constituit; non illud: ergo hoc. Qui se vocat dispensatorem mysteriorum divinorum, ille etiam est dispensator, ac proinde etiam medium salutis, quia in illis mysteriis, ac per illa mysteria salus hominibus dispensatur. Jam vero Paulus se vocat dispensatorem mysteriorum divinorum 1. Cor. IV. 1. Eph. III. 9. Ergo etiam est dispensator, ac proinde medium salutis. II.) *Johannem baptistam non praedicasse evangelium, ac proinde non fuisse medium fidei & salutis hominibus conferendae, cum tribuatur illi, quod duntaxat viam Christo paraverit.* Luc. I. 76. Resp. contrarium ostendimus in quæstione de baptismo Johannis tract. de bapt. §. 45. & 59. Johannes non solum legis, sed etiam evangelii prædicatione Christo viam paravit, quem digito demonstrans vocavit *agnum Dei tollentem peccata mundi*, Joh. I. 29 36. ac Zacharias diserte ibidem exponit, qua ratione baptista Christo viam paraverit, videlicet *dando scientiam salutis, quae est in remissione peccatorum.*

6.) *Ex illis locis, in quibus Christus ac Spir. S. dicitur loqui per ministros.*

§. CCLXII. *Sextam* argumentorum classem petimus ex illis locis, in quibus Christus ac Spiritus sanctus dicuntur *loqui in apostolis* & aliis ministris apostolorum doctrinam proponentibus, & in quibus instrumentales divinorum effectuum causæ ministri ecclesiæ statuuntur. Matth. X. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis loquitur.* Rom. XV. 18. *Non ausim loqui quidquam eorum, quae non effecit Christus per me in obedientiam gentium verbo & facto.* 2. Cor. XIII. 3. *Siquidem experimentum quaeritis in me loquentis Christi.* Act. XI. 14. dicit angelus de Petro apostolo ad Cornelium: *Is dicet tibi verba, per quae salvaberis, & tu, & domus tua.* De Paulo dicit Christus Act. IX. 15. *Hic erit mihi σκεῦος ἐκλογῆς, electum organum, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.* Ex illis sic colligimus: In quibuscunque Christus ac Spiritus sanctus loquitur, & per illos ad conversionem & salutem efficax est, illi sunt organa Christi & Spiritus sancti salutaria & efficacia. In apostolis & aliis ecclesiæ ministris apostolorum doctrinam tradentibus Christus ac Spiritus sanctus loquitur, & per illos ad conversionem & salutem efficax est. Ergo. Denique ultimo loco conjungimus exempla eorum, qui per prædicationem apostolorum ad Deum conversi, Spiritu sancto donati, & salutis æternæ participes facti. Marc. XVI. 20. *Apostoli egressi praedicaverunt, ubique Domino cooperante*, videlicet ut juxta promissionem v. 16. ad fidem & salutem multos adducerent. Act. II. 40. *Petrus exhortabatur Israelitas verbis plurimis.* v. 41. *Et adposita sunt illa die animarum circiter tria millia.* c. X. 44. *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* c. XI. 23. *Barnabas hortabatur omnes, ut proposito cordis permanerent Domino*, v. 24. *quia erat vir bonus & plenus Spiritu sancto & fide, & adposita est multa turba Domino &c.*

Argumenta Schwenkfeldii.

§. CCLXIII. Argumenta Schwenkfeldii ex hypothesibus superius adsignatis facili negotio solvuntur, in plerisque enim omnibus *oppositio causae principalis & instrumentalis* occurrit. Videbimus potiora fundamenta. Ex *scripturis* hæc adfert.

1.) *Ex scripturis sa vis.*

I.) Esaj. LIV. 13. Jer. XXXI. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, sed omnes erunt docti a Deo. Ergo Deus immediate per se ipsum, non autem per externum verbi ministerium homines docet.* Resp. expositum horum dictorum verum & genuinum sensum superius §. 46. hoc loco breviter dicimus: causa efficiens principalis non tollit instrumentalem, & beneficium in vita æterna exspectandum non

tollit

tollit ministerii ecclesiastici in hac vita necessitatem & fructum. II.) Ps. LXXXV. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus. Ergo Deus non per verbum externum, sed per adflatus internos nobiscum agit.* Resp. verba in Hebræo sic habent: *Vtinam audiam Dominum loquentem & consolantem populum suum per prophetas;* illud autem (*in me loquatur*) non est in textu hebræo, & si maxime adesset, tamen a propheta immediato Spiritus S. impulsu adflato ad quosvis alios non licet argumentum ducere. Denique verbum externum & Spiritus sancti impulsus interior non sunt opposita, sed subordinata. III.) Act. I. 5. *Johannes baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto post dies hosce non multos. Johannes igitur sola aqua adsperfit homines sine Spiritu sancto. Jam vero qualis fuit baptismus Johannis, talis etiam reliquorum ministrorum.* Resp. explicationem illius dicti proposuimus tract. de bapt. §. 54. IV.) 1. Cor. III. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum.* v. 7. *Itaque neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed Deus, qui dat incrementum; ubi incrementum fidei & bonorum spiritualium eo modo videtur Deo adtribui, ut ministerio verbi adimatur.* Resp. apostolus eo ipso in loco v. 5. diserte dicit: *Quid Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos credidistis,* sive ad fidem perducti estis; nequaquam igitur suo ministerio derogat omnem efficaciam, sed opponit hæc verba perversæ opinioni ac dissidiis Corinthiorum, qui ex qualitate personarum judicabant de ministerii efficacia, ac propterea in factiones divisi dicebant: *Ego sum Pauli, ego sum Cephae, ego Apollo.* 1. Cor. I. 12. Ostendit igitur apostolus efficaciam ministerii non a peculiaribus donis ministrorum, ab eloquentia, auctoritate vel acumine, sed ab ipso Deo dependere. Nulla vero consequentiæ legitimæ forma ex eo evinci potest, quod externum verbi ministerium destituatur omni efficacia. Quamvis enim Pauli plantatio & Apollo rigatio, adeoque omnium ecclesiæ ministrorum opera sit *nihil*, hoc est, irrita & frustranea, si remota divina efficacia consideretur, ac nisi Deus det incrementum; tamen placuit Deo incrementum illud ordinarie non nisi per ipsorum ministerium dare, sicut verbis proxime præcedentibus dicitur: *Ministri sunt, per quos credidistis, & unicuique sicut divisit Dominus*; ac v. 9. *Dei sumus* συνεργοί, *Dei agricultura.* V.) 1. Cor. IV. 20. *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute. Ergo fides & salus non potest sperari ex sermone externo.* Resp. loquitur apostolus de sermone πεφυσιωμένων, ut patet ex versu proxime præcedente, ac de *persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, ut colligitur ex 1. Cor. II. 4. quibus opponit *ostensionem Spiritus & virtutis*; sed illa ipsa Spiritus & virtutis divinæ ἀπόδειξις exhibet se per prædicationem verbi. VI.) 1. Cor. XII. 6. *Deus ipse operatur omnia in omnibus. Ergo non agit per medium externum.* Resp. αὐτὸς ibi non significat immediatam Dei operationem prædicationi externæ oppositam, sed unitatem illius, a quo χαρίσματα, διακονίαι καὶ ἐνεργήματα varia in ecclesiam descendunt, ut constat ex verbis præcedentibus. *Divisiones vero gratiarum sunt,* τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα, *idem vero Spiritus, divisiones ministrationum sunt,* καὶ ὁ αὐτὸς κύριος, *idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt,* ὁ δὲ αὐτὸς ἐστι θεὸς, *idem autem Deus est, qui operatur omnia in omnibus.* VII.) 1. Cor. XV. 10. *Gratia Dei in me non fuit vacua, sed abundantius omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum; ubi ministerio suo omnem efficaciam conversionis & salutis derogare, eandemque solius Dei gratiae adscribere videtur.* Resp. negat suum ministerium esse causam principalem illius efficaciæ, interim non negat illud fuisse salutare organum, per quod divina gratia fuit efficax, ut colligitur ex fundamentis superius adductis. Græcus textus est emphaticus, ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοὶ, *gratia Dei, quae mecum est*, vel quæ mihi data est, hoc est, Deus suppeditavit ex gratia vires, & cooperatus est meo ministerio. Ergo ab agendi efficacia non excludit suum ministerium. VIII.) 2. Cor. III. 6. *Litera occidit, Spiritus autem*

vivificat. Ergo verbum externum eſt litera mortua. Reſp. variæ ſunt dicti hujus apoſtolici detorſiones. Monachi, fratres ignorantiæ, per literam intelligi exiſtimabant eruditionem ac ſcientiam, ſicut literas ſcire de erudito dicitur. Sed falſe eos irridet poëta iſthoc diſticho:

Caviſti bene, ne fors te ulla occidere poſſit
Litera, nam nulla eſt litera nota tibi.

Origenes per literam intelligebat ſenſum ſcripturæ literalem, per ſpiritum vero ſenſum allegoricum. Schwenkfeldius per literam prædicationem verbi externam, per Spiritum adjunctam Spiritus efficaciam internam. Sed contextus apoſtolicus oſtendit, per literam ab apoſtolo intelligi *legem in literis haerentem*, quia non confert vires ad præſtandum, per Spiritum vero *evangelium*, quod habet adjunctam vim Spiritus, & vivificat, quia Spiritus ſanctus fidem per illud confert, ſicut Gal. III. 2. dicit apoſtolus: *Hoc ſolum a vobis diſcere volo, ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Invertimus autem Schwenkfeldii argumentum: Quidquid occidit, non eſt litera mortua; prædicatio legis occidit; ergo non eſt litera mortua. IX.) 1. Tim. II. 5. *Vnus Deus & unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Ergo per ſolum Chriſtum abſque medio externo in negotio ſalutis Deus nobiſcum agit.* Reſp. ſubordinata non ſunt invicem opponenda; ut ergo in negotio converſionis & ſalutis cauſa principalis non excludit cauſam meritoriam, quæ eſt Chriſtus in officio redemtionis ac mediationis: ita quoque cauſa meritoria non excludit inſtrumentalem cauſam, ſive media converſionis & ſalutis, quæ ſunt ex parte Dei verbum & ſacramenta, ex parte noſtra fides. Eſt ergo vere unus duntaxat mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus; ſed illius mediatoris beneficia in verbo & ſacramentis nobis offeruntur fide amplectenda & recipienda.

2.) *Ex rationibus.* §. CCLXIV. *Rationes* potiores hæ ſunt: I.) *Chriſtus eſt eccleſiae caput, in quo totum corpus coagmentatum & conjunctum per omnem commiſſuram ſubminiſtrationis ſecundum efficaciam in menſuram uniuscujusque partis incrementum corporis facit in aedificationem ſui ipſius per caritatem.* Rom. XII. 5. Eph. IV. 15. 16. *Eſt etiam vitis, nos palmites.* Joh. XV. 5. *Jam vero caput & corpus immediate cohaerent, & illud huic ſenſum ac motum ſuppeditat ſine medio, palmites etiam ex vite ſuccum & vigorem immediate adtrahunt. Ergo etiam corpus Chriſti myſticum a capite immediate ſubminiſtrationem vitae ac motuum ſpiritualium accipit, ac ſpirituales palmites ex Chriſto vite ſuccum & vigorem ſpiritualem immediate adtrahunt.* Reſp. ſimilitudo non eſt extendenda ultra comparationis tertium: Chriſtus ſeſe confert *capiti & viti*, credentes *membris & palmitibus*, quia ſcilicet hi ab ipſo ſpiritualem vitam, ſenſum, motum, vigorem & operandi efficaciam accipiunt. Sed ex eo non poteſt inferri, quod eodem omnino modo, ac proinde immediate, hæc bona Chriſtus corpori ſuo myſtico & ſpiritualibus palmitibus ſuppeditet, quo modo caput naturale ſuo corpori, & vitis naturalis palmitibus ea ſuppeditat; alias etiam inferri poſſet, communicationem illam eſſe naturalem, phyſicam & terrenam. Adde, quod in poſteriore ſimilitudine diſerta fiat mentio illius medii, per quod in negotio ſalutis Chriſtus nobiſcum agere velit: *Si manſeritis in me*, (inquit) *& verba mea in vobis manſerint, quidquid volueritis, petetis, & fiet vobis.* v. 7. *Et mundi eſtis propter ſermonem meum, quem locutus ſum vobis.* v. 3. II.) *Si verbum & ſacramenta eſſent cauſae inſtrumentales converſionis & ſalutis, omnes audientes verbum ac ſacramentis utentes converterentur ac ſalvarentur. Sed poſterius falſum eſſe teſtatur ſcriptura & experientia. Ergo.* Reſp. negatur connexio *majoris*; oſtendimus enim ſuo loco in tract. de elect. §. 139. vitio hominum multiplici contingere, quo minus verbum prædicatum & auditum in cordibus eorum ad converſionem & ſalutem ſit efficax. Objecti, circa quod verſatur agens tum principale, tum inſtrumentale, vitioſa

vitiosa dispositio sæpius etiam in naturalibus impedit, quo minus effectus, sive opus sequatur. III.) *Si verbum Dei & sacramenta essent media salutis; consequens foret, omnes infantes ante baptismum morientes, & omnes surdos damnari, quod est absurdum.* Resp. distinguendus est modus agendi ordinarius ab extraordinario; Deus nos ad usum illorum mediorum adstrinxit, interim tamen gratiam suam illis non eo modo adligavit, ut in casu necessitatis citra illorum usum non possit esse efficax. IV.) *Detrahitur divinae perfectioni, si Deus per media externa in negotio salutis nobiscum agere statuitur.* Resp. si ex quadam indigentia & necessitate Deus uteretur mediis, perfectioni ejusdem aliquid detraheretur, jam vero liberrima voluntate & beneplacito mediis utitur: 1. Cor. I. 21. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Quemadmodum non detrahitur ejus perfectioni, quando per media naturalia nos in vita conservat, cibat, sanat &c. ita quoque non detrahitur quidquam ejus perfectioni, quando per media nobiscum in negotio salutis agit. V.) *Spiritualia & cœlestia dona non possunt comprehendi ac distribui mediis externis. Ergo etiam non dantur per media externa.* Resp. est ambiguitas in voce *comprehendi;* si enim accipiatur pro inclusione, concedimus, spiritualia & cœlestia bona non comprehendi mediis externis: si vero notetur divina illa ordinatio ac dispositio, qua ipsi placuit per media communicare cœlestia bona, negamus, eo sensu bona cœlestia mediis externis non comprehendi ac distribui. VI.) *Patriarchas, prophetas, Johannem baptistam & apostolos Deus immediate absque externo verbo illuminavit. Ergo eodem modo adhuc illuminat credentes.* Resp. *num omnes prophetae? num omnes apostoli?* inquit Paulus 1. Cor. XII. 29. ostendens Deum non velle eodem modo, per immediatam scilicet illuminationem, cum omnibus credentibus agere; sed ordinarie per verbum & sacramenta vult in illis fidem accendere, augere & confirmare. Adde, quod ipsimet prophetæ & apostoli non solum alios ad verbum revocarunt, sed ipsi quoque verbo externo usi fuerunt. VII.) *Proprium creaturae est agere per media. Ergo creatori illud non competit.* Resp. creaturæ in actionibus suis utuntur mediis ex necessitate & indigentia, Deus ex libera voluntate & ordinatione. VIII.) *Sine quo non possumus verbo praedicato fidem habere, illud non datur per praedicationem verbi. Sed sine Spiritu sancto non possumus verbo praedicato fidem habere, unde etiam ecclesia ante concionem verbi petit, Spiritus sancti gratiam sibi dari. Ergo Spiritus sanctus non datur per verbum praedicatum.* Resp. negatur propositio *major.* Quemadmodum enim baptismus non prodest absque fide, & nihilominus per ipsum baptismum infantibus confertur regenerationis donum, ac proinde etiam fides: *ita sermo auditus non prodest, si non sit admixtus fidei eorum, qui audiunt:* Hebr. IV. 2. ac nihilominus per ipsum evangelii verbum Deus vult operari fidem. Rom. X. 17. Deinde distinguendum inter dona Spiritus sancti, & illorum donorum augmentum. Quando petimus Spiritus sancti gratiam & efficaciam ante auditum verbi, tunc illæ preces, si sint seriæ & Deo gratæ, sunt effectum Spiritus sancti in nobis habitantis; sed nihilominus illorum donorum augmentum & incrementum, adeoque etiam uberiorem illuminationem per verbum nobis conferri petimus: *Sic nemo potest dicere Jesum Dominum, nisi in Spiritu sancto,* 1. Cor. XII. 3. & tamen Deus dicitur *dare Spiritum sanctum petentibus.* Luc. XI. 13. Atque hæc dicta sint de errore Schwenkfeldii, ministerii ecclesiastici in verbo & sacramentis occupati efficaciam negantis: consequens foret, ut ageretur de quæstione, *an efficacia ministerii pendeat a dignitate ministri?* ab ejus scilicet legitima vocatione, qualitatibus donorum, fidei sinceritate & vitæ sanctitate, sed quia de ea late dictum fuit in tract. de sacram. §. 30. & in tract. de baptismo §. 22. & seqq. ideo hac vice uberiori ejus explicatione supersedemus. Videatur etiam Chemnitius part. III. locor. cap. de ecclesia pag. 359.

SECTIO II.

DE OFFICIIS MINISTRORVM ECCLESIAE.

Officia ministrorum ecclesiæ.

§. CCLXV. Sacerdotium *non est otium, sed negotiorum negotium*, scribit alicubi Bernhardus; *& episcopatus nomen est operis, non honoris*, juxta Augustinum lib. XIX. de civit. Dei cap. 19. ideo expositis ministerii ecclesiastici causis ejusdemque necessitate, dignitate atque utilitate ab illis dependente, restat, ut de officiis ecclesiæ ministrorum disseramus. Officia illa varie a variis enumerantur: Hugo de S. Vict. libr. II. de sacr. part. II. cap. 5. *Omnis ecclesiastica administratio in tribus consistit, in sacramentis, in ordinibus, & in praeceptis.* Hieronymus in Levit. VIII. *Officia sacerdotis sunt aut aliquid a Deo discere, aut populum docere, aut pro populo orare &c.* Sed ut plenior sit enumeratio, dicimus officia ministerii rectissime æstimari *ex fine*, propter quem divinitus institutum est, & adhuc conservatur ministerium ecclesiasticum, quem in superioribus diximus esse duplicem, *principalem* scilicet, qui est Dei gloria, & *intermedium*, qui est hominum conversio & salus. Intermedius finis obtinet rationem alicujus medii, per quod ad finem principalem & ultimum pervenitur; ex quo etiam nomen est fortitus. Ad intermedium autem finem obtinendum spectant ministrorum officia & actiones, per quas Deus ad hominum conversionem & salutem vult esse efficax. I.) Homines convertendi & salvandi nascuntur *in tenebris ignorantiae*, Esaj. IX. 2. Luc. I. 79. Joh. I. 5. Act. XXVI. 18. Eph. V. 8. ἐσκοτισμένοι sunt διανοίᾳ, *alienati a vita Dei per ignorantiam Dei*; IV. 18. nativas illas tenebras dispellere vult Spiritus sanctus per lucem verbi cœlestis; Psalm. XIX. 9. CXIX. 105. 2. Petr. I. 19. *primum* igitur ac præcipuum ecclesiæ ministrorum officium est *verbi praedicatio*, per quam Spiritus sanctus ad interiorem cordis illuminationem est efficax. Act. XXVI. 17. 18. *Constituam te ministrum mittens te ad gentes, ad aperiendum oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem.* II.) Verbo addita sunt sacramenta, gratiæ divinæ & promissionum evangelicarum sigilla, unde a veteribus dicuntur verbum ὁρατὸν, sive visibile; proinde *alterum* ministrorum officium est *sacramentorum dispensatio*: 1. Cor. IV. 1. *Sic nos aestimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei* Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes, gentes baptizantes eas*, ubi verbi prædicatio & sacramenti baptistici dispensatio connectuntur. III.) Cum vero absque benedictione cœlesti omnis ministrorum labor sit frustraneus: 1. Cor. III. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus, dedit incrementum.* v. 7. *Itaque nec qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed Deus, qui dat incrementum.* Augustinus serm. IV. de verb. apost. *Nos loquimur, sed erudit Deus; nos loquimur, sed Deus docet. Cathedram in cælo habet, qui intus docet;* ideo *tertium* ministrorum officium est *diligens pro commisso sibi grege precatio.* 1. Sam. XII. 23. *Absit a me, ut peccem Jehovæ cessando orare pro vobis, ac docere vos viam bonam & rectam;* ubi institutio auditorum & oratio pro fructificatione verbi conjunguntur. IV.) Vlterius cum illi, qui sana docent, & turpiter vivunt, altera manu rapiant, quod una porrexerant, ac quandoque plus noceant exemplo, quam prosint verbo, ideo ministris convenit probatæ vitæ exemplo auditoribus præire, ac proinde *quartum* ipsorum officium est *vitae & morum honesta gubernatio.* Tit. II. 7. *Per omnia te ipsum praebe exemplar bonorum operum.* V.) Cum præter nativas ignorantiæ tenebras voluntatis corruptio, & ad omne malum proclivitas in hominibus hæreat, ideo ecclesiasticæ disciplinæ vinculis divinitus ministerio commendatis ea coërcenda est, ne vel conversionem per verbum impediat, vel conversos in transversum iterum abripiat; *quintum* proinde ministrorum officium est *ecclesiasticae disciplinae administratio.* Matth. XVIII. 17. *Si non audient*

dient illos, dic ecclesiae. VI.) Cum in exercitio divini cultus solenni atque publico certi quidam ritus ad εὐταξίαν καὶ εὐχημοσύνην spectantes, totius ecclesiae consensu introducti, pie conservandi sint; ideo ad ministerium ecclesiasticum etiam pertinet ritus ecclesiasticos gravi consilio adprobatos, & de multis utiliter admonentes in congressibus publicis tueri, nec privata quadam animi libidine cum scandalo ecclesiae eos mutare: proinde *sextum* ministrorum officium est *rituum ecclesiasticorum conservatio.* VII.) Denique cum inter auditores sint orphani, viduae, pauperes, exsules, aegroti, quibus officia caritatis ad inopiam & adflictionem eorum sublevandam cumprimis debentur, ideo ad ministrum ecclesiae spectat *pauperum cura & aegrotorum visitatio*, ut pecuniam in usus pauperum destinatam fideliter colligat ac dispenset, vel si rarii ecclesiastici praefectis haec functio demandata est, auditores ad beneficentiam erga pauperes demonstrandam diligenter exhortetur, & bonorum ecclesiasticorum dispensationem rite ac legitime fieri curet: 1. Cor. XVI. 2. 2 Cor. IX 1. &c. *Septem* igitur in universum sunt ecclesiae ministrorum officia, ad quae reliqua commode referri possunt: 1.) *verbi caelestis praedicatio*: 2.) *sacramentorum dispensatio*: 3.) *pro commisso sibi grege precatio*: 4) *vitae & morum honesta gubernatio*: 5.) *disciplinae ecclesiasticae administratio*: 6.) *rituum ecclesiasticorum conservatio*: 7.) *pauperum cura & aegrotorum visitatio.* De singulis uberius disserendum.

§. CCLXVI. *Primum* ministrorum officium dicimus esse *verbi praedicationem*, quod probant 1.) *expressa mandata* apostolis & ipsorum in ministerio successoribus data. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes.* Marc. XVI. 15. *Ite in orbem universum, & praedicate evangelium.* 2.) Adpellationes & *encomia* a Spiritu sancto ipsis adtributa: dicuntur *doctores*, διδάσκαλοι, 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. ergo debent docere populum Dei; Act. XX. 28. dicuntur *pastores*, Esaj. LXIII. 11. Eph. IV. 11. ergo debent gregem sibi commissum pabulo caelestis doctrinae pascere; dicuntur *angeli Domini*, Mal. II. 7. Apoc. I. 20. *legati Dei*, 2. Cor. V. 20. ergo exponant voluntatem Dei per praedicationem caelestis verbi; dicuntur ἐργάται, *operarii*, Matth. IX. 38. 2. Tim. II. 15. ergo laborent in verbo. 1. Tim. V. 18. 3.) *Regula apostolica*, juxta quam episcopi sunt examinandi, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 9. in qua expresse requiritur, ut episcopus sit διδακτικός. 4.) *Finis instituti ministerii*, siquidem eo cumprimis fine Deus instituit, & adhuc conservat ministerium, ut verbum praedicetur, ac per praedicationem verbi ecclesia ex genere humano colligatur. Eph. IV. 11. 5.) *Distinctio ministerii ecclesiastici a regimine politico & reliquis ordinibus.* Ministrorum enim est, gladio Spiritus, verbo scilicet Dei, non autem gladio corporali uti, is enim magistratui traditus est: Eph. VI. 17. Rom. XIII. 4. 2. Cor. X. 4. &c. 6.) *Praxis Christi, apostolorum & episcoporum* in primitiva ecclesia; illi enim non administrarunt nec adfectarunt regimen aliquod politicum, sed in praedicatione verbi occupati fuere. Matth. IV. 17. Act. VI. 2. &c. De Ambrosio refert Augustinus lib. VI. confess. cap. 3. quod singulis diebus dominicis conciones ad populum habuerit. 7.) *Testimonia patrum*: Hieronymus lib. I. adv. Jovian. cap. 20. in verba apostoli: *Episcopum oportet esse doctorem*, sic commentatur: *Nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi & creditum sibi populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrina, & eos, qui contradicunt, redarguere.* Prosper lib. I. de vita contempl. cap. 2. *Praepositi ecclesiae sancte vivere debent propter exemplum, & docere propter administrationis officium.* (*) 8.) *Juris canonici*

1.) *Verbi praedicatio.*

(*) Plura hanc in rem testimonia ex patrum scriptis collegit Joseph. Binghamus in *originib. sive antiquitat. ecclesiast. tom. I p. 86 seqq.* & *tom. VI. p. 108. seqq.* Cypriani temporibus concionari adeo moris erat atque officii episcoporum, ut ipsis praesentibus presbytero concionari haud liceret. Duravit haec consuetudo usque ad aetatem Augustini, qui dum adhuc erat presbyter, a Valerio episcopo suo, & ipso quidem praesente, verbi divini praedicandi accepit potestatem.

nici suffragium. c. Qui ecclesiast. dist. 36. ex epistola I. Sozimi ad Hesych. *Sacrarum literarum oportet episcopum habere peritiam, unde in vet. test. inter cetera ornamenta pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio & veritas, quia in pectore pontificis manifesta debet esse cognitio veritatis, hinc etiam vectes, quibus arca portabatur, jugiter annulis erant inserti, ut cum arca esset portanda, nulla esset vel fieret mora de intromittendis vectibus, quia praedicatores, per quos ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quaerant discere, cum ex officio alios debeant docere.* c. Si quis. dist. eadem ex Hieronymo, ex Origene homil. VI. ad cap. VIII. Levit. *Si quis vult pontifex esse non tam vocabulo, quam merito, imitetur Mosen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? quod non discedant de tabernaculo Domini; erat ergo Moses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? ut aut a Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Haec duo sunt pontificis opera, ut aut a Deo discat legendo scripturas divinas, & saepius meditando, aut populum doceat, sed illa doceat, quae a Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quae Spiritus sanctus docet.* c. Ignorantia ex concilio Tolet. IV. c. 24. *Omne opus sacerdotum in praedicatione & doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* In principio dist. 86. *Doctorem episcopum esse oportet, ne inferiorum culpae in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exsequi nescit vel negligit.* c. Sicut vir. caus. 7. q. 1. ex epist. II. Evaristi: *Episcopum oportet opportune & importune atque sine intermissione ecclesiam docere, eamque prudenter regere & amare, ut a vitiis se abstineat, & salutem consequi possit aeternam.* In epistola Clementis Petrus ad eum dixisse refertur: *Tu ad hoc solum vacato, ut opportune & sine intermissione doceas verbum Dei, per quod salutem consequi possint.* Conjungimus etiam jus civile l. Addictos. C. de episc. aud. impp. statuunt, *ad episcopos pertinere populos christianae religionis doctrinae insinuatione moderari.* 9.) *Typi vet. test.* Inter ornamenta summi sacerdotis erat *rationale*, quod in pectore gerebat, cui insculptum erat, *Vrim & Thumim, doctrina & veritas*, Exod. XXVIII. 30. quo significatum fuit, ministros debere doctrinam & veritatem populo proponere. Pectusculum & armus dexter ex hostiis pacificis debebatur sacerdoti, quo significatum fuit, *necessariam esse ministris sapientiam ad docendum & fortitudinem ad ferendos auditorum defectus.* Thomas p. I. 2. q. 102. art. 3. *Eunuchus non intret in ecclesiam Dei*; Deut. XXIII. 1. hoc est, qui non habet semen verbi, per quod generet spirituales ecclesiae filios, non toleretur in ministerio. Huc referendum ex nov. test. quod apostoli ex manibus Christi panem accipiunt, quem turbae distribuunt; Matth. XIV. 19. sic ministrorum officium est, panem vitae ex Christi manibus acceptum, hoc est, verbum evangelii auditoribus proponere: item, quod episcopi dicuntur *stellae in manibus Christi*, Apoc. I. 20. quia ipsorum est luce doctrinae alios illuminare. Matth. V. 14.

Pontifex & ipsius praelati non sunt vere episcopi.

§. CCLXVII. Ex quo recte colligitur, pontificem Romanum, qui a docendi munere penitus abstinet, (*) ejusdemque praelatos, qui politicis, quandoque etiam bellicis negotiis impliciti nullam fere ecclesiastici

(*) Fuerunt tamen nonnulli ecclesiae Romanae praesules, qui sermones sacros ad populum olim habuerunt. Ex his cumprimis laudari meretur Leo, cognomine *magnus*, qui non tantum constanter ad populum concionatus est, sed & id agere sui esse officii declaravit. Vid. ejusdem *serm. III. de epiphania, tom. VII. bibliorh. patrum maximae, p. 1085.* edit. Lugdun. MDCLXXVII. Verum vetusta haec concionandi ratio, in ecclesiam Romanam a Leone denuo introducta, postea per quingentos annos rursus exolevit, usque dum a Pio IV. haec praxis rursus fuit suscitata. Condocet hoc Syrivs, ecclesiae Romanae scriptor, in *histor.* apud Blondellvm in *apolog. pro sententia Hieronymi p. 58.* Hodie haec functionis episcopalis pars inde a longo tempore, in ecclesia Romana, non sine magna offensione, penitus negligitur.

stici ministerii partem adtingunt, non esse veros episcopos, nec est, quod excipiant Jesuitæ, *pontificem, si vel maxime non doceat ipse, tamen docere per alios, quibus hoc officium committat.* Resp. enim: 1.) argumenta & testimonia adlata probant, pontificem debere ipsummet docere, quod si facere negligat, titulo ac vocabulo duntaxat esse episcopum. 2.) Prædicare verbum ac docere ingreditur definitionem episcopalis muneris, ergo ab episcopo proprie sic dicto sejungi nec potest, nec debet. 3.) Christus, cujus vicarium sese jactitat pontifex, Petrus, cujus successor audire cupit, ac reliqui apostoli nequaquam docendi munus a se repudiarunt, sed ipsi ad ecclesias abierunt, easque pabulo cœlestis verbi paverunt. 4.) Vtrumque requiritur ad officium episcopi, docere & alios doctores ordinare, unius igitur inclusio non debet esse alterius exclusio. 5.) In regnis terrenis legati regum habent suos subdelegatos, sed in regno spirituali ministri ecclesiæ munus legationis divinitus sibi commissum ipsimet subire debent: 2. Cor. V. 20. *Pro Christo legatione fungimur Deo exhortante per nos.* 6.) Nec convenit, pontificem & ipsius episcopos indignum sua sublimitate judicare munus docendi, cum eo tota sacrosancta Trinitas fuerit perfuncta; Pater, Matth. III. 17. XVII. 5. Filius, Matth. IV. 17. Act. I. 3. &c. Spiritus sanctus: 2. Sam. XXIII. 2. 2 Petr. I. 21. inde apostolus dicit Rom. I. 16. οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ. 7.) Illi, quos pontifex ad docendum mittit, quandoque ad illud sunt inepti, ac plerique omnes loco verbi cœlestis doctrinas humanas, superstitiones & corruptelas auditoribus proponunt.

Concliones. §. CCLXVIII. Docendi munus in habendis ad populum concionibus versatur vel maxime; quæ quomodo instituendæ sint, latissime exposuimus in methodo studii Theologici part. III. sect. 4. c. 2. ubi ostendimus, ecclesiastici oratoris duo esse officia primaria, *scripturae scilicet interpretationem, ejusdemque ad salutarem auditorum usum adcommodationem.* Interpretatio scripturæ complectitur tum *veri & genuini sensus investigationem*, tum ejusdem *perspicuam enarrationem.* Adcommodatio ad quinque generalia capita juxta præscriptum apostoli Rom. XV. 4. 2. Tim. III. 16. commode referri potest, videlicet ad διδασκαλίαν, ad ἔλεγχον, ad ἐπανόρθωσιν, ad παιδείαν, & ad παράκλησιν. Nimirum scripturæ legitime & sano sensu expositæ adcommodatio est vel *theoretica*, vel *practica.* Theoretica versatur circa *veri cognitionem*, unde διδασκαλία; & *falsi refutationem*, unde ἔλεγχος. Practica versatur *circa bonum agendum*, unde παιδεία; circa *malum culpae fugiendum*, unde ἐπανόρθωσις; ac *malum pœnae tolerandum*, unde παράκλησις. In hisce omnibus quæ probe observanda sint, certis canonibus dicto tractatu fuit expositum. Pari ratione, quod ad munus docendi pertineat non solum per διδασκαλίαν oves colligere, sed etiam per ἔλεγχον lupos ab ovili dominico arcere, ostendimus in præfat. aphorismorum theologicorum theoreticorum ex dicto apostoli Tit. I. 9. *Episcopum oportet esse δυνατὸν παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*; ex typo reparatorum urbis ac templi Hierosolymitani, qui una manu laborem perficiebant, altera vero clypeum ferebant; Nehem. IV. 17. ex comparatione doctorum ecclesiæ cum *pastoribus*, qui oves non solum ad salubria pascua ducunt, sed etiam a luporum insidiis atque incursibus eas defendunt; cum *medicis*, quibus duplex propositus est finis, sanitatem præsentem conservare, & deperditam restituere, &c. ut actum hac in parte agere non videatur operæ pretium. Hisce addi potest similitudo ab *agricola* petita: ut enim illius est non solum optimam sementem facere, sed una infelix lolium sterilesque avenas avellere; sic theologi est, non solum sanæ doctrinæ semen spargere, sed etiam errorum zizania ex agro dominico evellere. Pulcre Origenes hom. II. in Genes. part. I. oper. p. 14. *Ligna quadrata in arca Noae denotant doctores ecclesiae. Quadratum est, quod nulla vacillat ex parte, sed quocunque verteris, fida & solida*

lida stabilitate consistit. Ista sunt ligna, quae omne pondus vel animalium intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferunt, quos ego arbitror doctores esse in ecclesia, & magistros atque aemulatores fidei, qui & populos intrinsecus positos verbo commonitionis & doctrinae gratia consolantur, & impugnantibus extrinsecus, vel gentilibus, vel haereticis, & quaestionum fluctus ac procellas certaminum commoventibus, virtute verbi ac sapientia rationis obsistunt. (*)

§. CCLXIX. Quæritur hoc loco circa ἔλεγχον. 1.) *An magistratus christianus prohibere possit, ne ministri ecclesiae haereticos pertinaces & convictos nominatim perstringant; ac si talis prohibitio autoritate magistratus promulgetur, an ministri ecclesiae salva & illaesa conscientia illi obedire possint?* Resp. nequaquam, id enim pugnat 1.) cum *vocatione ministrorum ecclesiae*, quippe quorum munus inter cetera non postremum est corruptelis doctrinæ cœlestis obsistere. Jer. XV. 19. *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* 2. Tim. III. 16. *Scriptura utilis est ad ἔλεγχον, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Tit. I. 9. *Episcopus sit δυνατὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.* 2.) Cum *mandatis divinis* tum *generalibus*, quibus jubentur omnes vere pii cavere *pseudoprophetas, fugere idololatriam, probare spiritus &c.* Matth. VII. 15. XVI. 11. Rom. XVI. 17. Eph. IV. 14. Phil. III. 2. &c. jam vero nisi ab ecclesiæ ministris oviculæ de lupis admoneantur, non possunt eos noscere ac fugere: tum *specialibus*, quibus ecclesiæ doctoribus præcipitur, ut resistant lupis ovile dominicum vastare cupientibus. Cant. II. 15. *Capite nobis vulpeculas, quae demoliuntur vineas*, in quæ verba sic commentatur Augustinus ser. CVII. de temp. *Comprehendite, constringite, convincite, confutate, ne exterminentur ecclesiasticae vineae. Quid est aliud vulpes capere, quam haereticos divinae legis auctoritate revincere, & sanctarum scripturarum testimoniis quasi quibusdam vinculis adligare atque constringere?* Act. XX. 31. cum prædixisset apostolus, resurrecturos *lupos gregi non parcentes*, ac viros *loquentes διεστραμμένα*, subjungit, *quapropter vigilate*, ostendens, divino mandato ecclesiæ ministros teneri obstrictos, ut vigilanti oculo luporum insidias observent, iisdemque summo conatu resistant. 2. Tim. II. 25. *Servum Domini cum modestia corripere oportet τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, ut det illis Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis.* Tit. I. 10. 11. *Sunt multi seductores, qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, illos δεῖ ἐπιστομίζειν.* 3.) Cum *peculiari Spiritus sancti in ecclesia officio*, quod est ἐλέγχειν. Joh. XVI. 8. *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato*, videlicet per ministerium verbi, quod officium non ad primitivam duntaxat, sed in genere ad omnium temporum ecclesiam pertinet, nec solum peccata & peccatores, sed etiam corruptelas & falsos doctores redarguit, ut ex subjuncta explicatione v. 9. adparet, ubi Christus peccatum illud dicit esse incredulitatem, quæ non solum fons est peccatorum actualium, sed etiam complectitur *κακοπιστίαν, ἀπιστίας χείρονα*, ut monet Epiphanius. Quotquot igitur ἐλεγκτικὸν illud officium ex ecclesia semotum cupiunt, nihil aliud agunt, quam quod Spiritui sancto capistrum injiciant. 4.) Cum *encomiis*, quæ ecclesiæ ministris tribuuntur. Vocantur enim *speculatores ac videntes*, Ezech. III. 17. XXXIII. 7. ergo prospicere debent, ne quid detrimenti a pseudoprophetis capiat

1.) *An haereticorum refutationem magistratus prohibere possit?*

(*) Hieronymus epist. LXXXIII. ad Ocean. *Latratu canum baculoque pastoris luporum rabies deterrenda est.* Augustinus serm. LXXXIX. de temp. *Hoc per haec figuram* (Num XVI. 39.) *videtur ostendi, quod thuribula ista, quae scriptura nominat aerea, imaginem teneant scripturae divinae. Cui scripturae haeretici alienum ignem imponentes, sensum videlicet, vel errorem & intelligentiam alienum a Deo & veritati contrariam introducentes, incensum Domino non suave, sed exsecrabile offerunt. Ista ergo thuribula aerea, id est, haereticorum voces si adhibeamus ad altare Dei, ubi divinus ignis est, ubi vera praedicatio fidei, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit.* GERHARDVS.

capiat ecclesia. Dicuntur *voces clamantes*, Esaj. XL. 3. ergo exaltent vocem suam instar tubæ; Esaj. LVIII. 1. vocantur *pastores*, Esaj. LXIII. 11. Ezech. XXXIV. 2. ergo videntes lupum venientem non fugiant ut mercenarii, Joh. X. 12. sed inclament eum, abigant &c. Augustinus tract. XLVI. in Joh. *Lupus ovi guttur adprehendit, diabolus fideli haeresin persuasit; tu taces, non increpas, ne forte offendas. O mercenarie, lupum vidisti & fugisti. Respondes forte: ecce hic sum, non fugi: fugisti, quia tacuisti.* 5.) Cum *commination*ibus *divinis* adversus eos, qui vel ex negligentia, vel metu periculorum, vel præpostero favoris mundani aucupio falsis doctoribus non resistunt. Jer. XLVIII. 10. *Maledictus, qui fecerit opus Domini negligenter.* Esaj. LVI. 10 *Cæci sunt omnes, canes muti non valentes latrare.* Ezech. III. 18. *Si non locutus fueris impio, sanguinem ejus requiram a manu tua.* Apoc. III. 15. *Vtinam frigidus esses aut calidus;* v. 16. *sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo.* 6.) Cum *utilitatibus*, quæ ex falsorum doctorum refutatione oriuntur, eæ vero non possunt melius perspici, quam si considerentur incommoda, quæ provenire consueverunt, si hæreses libere grassari ac stragem dare permittantur, *zizania* sunt, quæ tritici incrementum impediunt Matth. XIII. 38. *fermentum* sunt, cujus modicum corrumpit totam massam, Matth. XVI. 11. 1. Cor. V. 6. *gangraena* sunt, quæ vicina membra protinus corripit, nisi resistatur. 2. Tim. II. 17. Pulcre Hieronymus in Gal. V. *Scintilla statim ut adparet, exstinguenda est, & fermentum a massae vicinia removendum, secandae putridae carnes, & scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant &c.* 7.) Cum *praxi ecclesiae vet. test.* De Abele scribit Philo in lib. quod deterius meliori insidiari soleat, ipsum de sacrificio & religione cum Caino disputasse. De Mose scribit Augustinus epist. CXIX. ad Jan. *quod inquietae animositati haereticorum, quales fuerunt Jannes & Jambres, Core, Datan & Abiran, restiterit.* De Elia, Jeremia, Micha, Amos ac reliquis prophetis constat, quod Baalitis & aliis pseudodoctoribus mascule se opposuerint. 8.) Cum *praxi Christi, baptistae & apostolorum* in nov. test. qui nominatim verbis gravissimis veritatis cœlestis adversarios redarguerunt. Matth. III. 7. Johannes Pharisæos & Sadducæos vocat *progeniem viperarum*, audiente tota multitudine. cap. XVI. 11. dicit Christus ad discipulos: *Cavete a fermento Pharisaeorum ac Sadducaeorum.* cap. XXIII. 13. & seqq. aliquoties repetit, *Vae vobis, scribae & Pharisaei.* 1. Tim. I. 20. Cum apostolus in genere dixisset, *quosdam fidei naufragium fecisse;* subjungit κατ' ὄνομα, *ex quibus est Hymenaeus & Alexander, quos tradidi Satanae.* 9.) Cum *primitivae ecclesiae* & eorum, qui apostolis in docendi officio succesere, *perpetua praxi.* Polycarpus pugnavit contra Marcionem, Valentinum & alios hæreticos, ac Marcionem obviam sibi factum *primogenitum satanae* adpellavit, referente Irenæo lib. III. cap. 3. Irenæus contra Valentinianos, Gnosticos, Basilidis adseclas, & alios diaboli emissarios disputavit; Tertullianus adversus Praxeam & Marcionem, Augustinus adversus Manichæos, Pelagianos, Donatistas, Arianos &c. Antonius, referente Athanasio in ipsius vita, morti vicinus sic adlocutus est suos: *Haereticorum & schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem cum ipsis sermo fuerit.* Concilium Constantinopol. V. anathem. 11. tom. II. concil. p. 565. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen cum impiis eorum conscriptis & alios omnes haereticos, qui condemnati sunt ab ecclesia, & eos, qui similia praedictis haereticis sapiunt, & in sua impietate permanserunt & permanent, talis anathema sit.* Lutherus Smalcaldia discedens precatus est suis in ministerio collegis, *ut implerentur Spiritu Dei & odio papae.* Caveat igitur pius & christianus magistratus, ne violentis edictis hæreticorum pertinacium & αὐτοκαταχρίτων condemnationem prohibeat, nec docendi & arguendi

guendi libertatem ministerio divinitus concessam eidem eripere conetur, quin potius audiat illud Ambrosii lib. V. epist. XXIX. ad Theodosium in principio: *Neque imperiale est, libertatem docendi denegare, neque sacerdotale, quod sentiat, non dicere. Nihil in regibus tam populare & tam amabile est, quam libertatem etiam in illis diligere, qui obsequio ipsis subditi sunt: siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi; nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere pronunciare, siquidem scriptum est: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Caveant etiam ecclesiarum ministri, ne præpostera quadam ἀνθρωπαρεσκείᾳ edictis illis magistratuum consentiant secuti exemplum Basilii Camateri, qui ut patriarchatum Constantinopolitanum facilius consequeretur, turpi & episcopo indigna syngrapha imperatori Andronico se obstrinxit, *omnia, quae imperatori placerent, se exsecuturum, & quae displicerent, studiose aversaturum.* Camerarius part. III. oper. succis. c. 6. Vide plura de hac quæstione in Calvinista aulico-politico Hutteri, oppositio Johanni a Münster, in quo consultationes Wigandi, Chytræi & Selnecceri de hac quæstione proponuntur. Item in disputatione Krakevitzii de necessitate ἐλέγχου doctrinæ Calvin. Gryphisw. anno 1614. instituta.

2.) *An formulæ damnatoriæ cum caritate christiana pugnent?*

§. CCLXX. Quæritur II.) *An formula illa damnatoria articulis fidei ἀντιθετικῶς in libris symbolicis subjecta*: damnamus contra sentientes, *pugnet cum caritate & modestia christiana?* Ita quidem statuunt politici quidam, Calvinianæ hæresi occulte faventes, moderationis laudem adfectantes, & pacis studium opinioni suæ prætexentes, quibus adplaudunt & Calviniani & Photiniani, qui negant, *haereseos dicam illis scribendam, qui falsas opiniones fovent, si Christum nobiscum confiteantur.* Osiorodus præfat. instit. p. 8. Smalcius contr. Frantz. disp. I. p. 9. sed urgemus 1.) *mandata divina* de cavendis pseudoprophetis & arcendis ab ovili dominico lupis superius exposita. 2.) *Exempla Christi & apostolorum*, qui anathematismos in pseudodoctores ejaculari non fuere veriti. Christus, quo nemo habet *majorem caritatem*, Joh. XV. 13. quique *se mitem & ex corde humilem esse profitetur*, Matth. XI. 29. pharisæis ac scribis *vae* denunciat, Matth. XXIII. 13. & seqq. idem etiam gravissimis verbis contra Judæos intonat: Joh. VIII. 44. *Vos ex patre diabolo estis*, ac v. 47. *Vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Apostolus generali anathematis fulmine percellit omnes doctrinæ cœlestis adversarios 1. Cor. XVI. 22. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema, hoc est, maledictus.* Gal. I. 8. *Si licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 2. Joh. v. 9. 10. 11. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* 3.) *Perpetuam ecclesiae praxin*, quæ confessioni ac repetitioni veræ doctrinæ anathematismos semper conjunxit. 4.) *Veram verae caritatis naturam;* ea enim cum ex fide profluat, Gal. V. 6. ideo non adprobat errores doctrinæ fidei repugnantes; cum sit *fructus Spiritus*, Gal. V. 22. ideo non tollit officium ἐλεγκτικὸν Spiritus sancti; Joh. XVI. 8. cum feratur non solum erga proximum, sed etiam, imo cumprimis erga Deum, ideo gloriam Dei per corruptelas doctrinæ labefactatam adferit atque vindicat. Monendum tamen est, anathematismis illis a.) nequaquam damnari eos, qui ex quadam simplicitate errant sine pertinacia & blasphemia in veritatem; distinguendum enim inter seductores veritati toties ipsis monstratæ pertinaciter contradicentes, quos Lutherus vocat *duxios*, & inter seductos, qui profunditates satanæ in corruptelis doctrinæ latitantes non intelligunt, sed ex imbecillitate in errorum societatem abrepti parati sunt veritatem monstratam amplecti. b.) Multo minus damnari totas atque integras ecclesias, quarum pastores pontificiæ, vel Calvinianæ hæreseos veneno sunt infecti, siquidem Deus

etiam

etiam per corruptum ministerium sibi adhuc potest colligere ecclesiam, & in mediis baaliticorum sacerdotum cœtibus sibi servare aliquos, qui non curvant genua sua coram Baal. Testatur experientia, *puriores quandoque esse auditorum aures, quam labia docentium*, ac si nulli alii, tamen infantes baptizati pertinent ad veræ ecclesiæ consortium, si vel maxime ab hæretico baptizentur, modo substantialia hujus sacramenti conserventur. c.) Nequaquam eos, qui ob corruptelas doctrinæ anathemate feriuntur, carnifici excruciandos atque enecandos tradi vel politicæ pacis commodum illis denegari; distinguendum enim inter *censuras ecclesiasticas & judicia forensia*: inter gladium spiritualem, qui errores amputat, homines vero in vita conservat, & gladium corporalem: inter pacem civilem, & consensum in doctrina spiritualem. Chrysostomus serm. de anathem. *Dogmata impia, & quae ab haereticis profecta, arguere & anathematizare oportet, hominibus autem parcendum & pro salute eorum orandum.* Eo respicit Chytræus, quando in præfatione libelli de vita & morte æterna sic scribit: *Quamquam dogmata, quae in communi ecclesiarum nostrarum confessione publice repetita rejiciuntur, improbo & repudio; abfit tamen, ut ipsas ecclesias, principes aut populos alicubi dissentientes propterea condemnem, aut condemnandos seu flammis & suppliciis objiciendos esse censeam. Video enim Paulum ipsum, etsi Galatarum & Corinthiorum errores quosdam graviter refellit & damnat; tamen ecclesias Corinthiorum & Galatiae propterea non condemnare, vel ethnicis persecutoribus trucidandas objicere, sed nihilominus amantissime complecti & fovere.* d.) Omnium minime diabolo illos tradi, & omnem spem salutis ipsis præscindi, quibus errorum, quos damnamus, labem ac scabiem falsi doctores adfricuerunt; sed monstrari, repudiari ac damnari doctrinas erroneas, ac pertinaces earum propagatores ac defensores, nisi ad veritatem monstratam convertantur: contra vero præmoneri simpliciores, ut ab ejusmodi erroribus diligenter sibi caveant, ne divinam maledictionem sibi ipsis adtrahant. e.) Denique & hoc monendum, quod si quando cum illis, qui falsæ religioni addicti sunt, voce vel scriptis agendum, nequaquam ab anathematismis faciendum sit initium; sed inter sanabiles & insanabiles distinctione adhibita cum illis ex verbo Dei placide & modeste agendum, scurrilitatem, levitatem, scommata & convicia cavenda, in ἐλέγχῳ adhibenda verba scripturæ, ac modis omnibus laborandum, ut animæ salutem unice a nobis in disputatione contra errantes quæri, omnibus manifestum fiat.

3.) *An damnandi sint nondum in conciliis auditi?*

§. CCLXXI. Quæritur III.) *An haeretici nondum in conciliis auditi ac convicti, sint damnandi?* Calvinianorum perpetua est querela, inique secum agi, quod anathematum fulmina in ipsos vibrentur, cum in concilio nondum sint auditi, multo minus convicti. In præfat. orthodoxi consensus inter cetera sic scribunt: *Nos nullius erroris hactenus convicti sumus, in nulla synodo legitima damnati sumus, imo nunquam huc usque obtinere potuimus, ut controversia haec in publico conventu cognoscatur.* Sturmius in antipapp. 4. p. 45. & alibi passim pugnat, *Calviniani dogmatis damnationem differendam esse, donec in justa synodo ex delectis viris constituta de ea disceptetur.* Jetzlerus de diuturnitate belli eucharist. caus. 13. fol. 107. *omissionem synodorum non minimam continuationis belli sacramentarii causam esse, & contra justitiam atque aequitatem sacramentarios a nobis extra synodum damnari* scribit. Hospinianus in concord. discord. tragicam texit querelam *de temerario illo, & ne ethnicis quidem, nedum christianis, probato autorum concordiae usu, quo homines innocentes nondum auditos, vel haereseos aut erroris legitime convictos, partim anathematis fulmine percutere, partim aliis nationibus igni ferroque persequendos tradere, non fuerint veriti.* Paræus in irenico id ipsum multis urget. Ejusdem argumenti est scriptum Holsaticum anno 1611. evulgatum. Pelargus in antithesibus apologeticis contra Balduinum th. XXXI. *Vbi, quos*

ille pungit, fratres aut in synodis generalibus, aut ab universa ecclesia damnatos & legitime proscriptos docuerit Balduinus, aliis ut adnumerentur sive schismaticis, sive haereticis, facile adsentimur. Nos conciliorum saluberrimam in ecclesia Dei auctoritatem libenter agnoscimus cum Augustino epist. CXVIII. quippe quæ nihil aliud sunt, modo sint legitima & christiana, quam sacri & liberi piorum doctorumque hominum conventus, in quibus judicio scripturæ adhibito, collatisque inter se & examinatis rationum momentis, aut de articulis fidei controversis, aut de ceremoniis ac ritibus, sive disciplina etiam ecclesiastica unanimi multorum consensu certi quid concluditur ac decernitur, veritatis ac tranquillitatis ecclesiasticæ causa, ac omnis ἑτεροδιδασκαλία eliminatur & damnatur. Jam vero quod a pluribus piis & eruditis quæritur, facilius invenitur, & fortius errores debellantur, qui a multis unanimi suffragio juxta scripturæ normam damnantur, ac quæ deliberato plurimorum consensu statuuntur, ea deliberantur exactius & statuuntur firmius. Interim negamus, absolutam quamdam, adeoque talem esse conciliorum necessitatem, ut sine prævia eorum decisione falsa dogmata refutare ac damnare nullatenus liceat. 1.) Nullum ex scripturis proferri potest mandatum, quod exspectanda prius concilii definitio, antequam hæreses refutentur. 2.) Scripturæ sacræ, vel quod idem est, Spiritus sancti in scripturis & per scripturas loquentis judicium est publicum, perpetuum & infallibile, quo hæreses damnantur, si vel nunquam in conciliis damnentur. In multis conciliis hæreses sunt stabilitæ; sed scriptura sibi perpetuo constat, ac nulli obnoxia est errandi periculo. 3.) Ecclesia & fides christiana incolumis mansit, ac multæ hæreses damnatæ sunt per trecentos primos nov. test. annos, antequam imperatores christiani celebrarent concilia. Sine ulla synodo Hymenæus, Philetus, Alexander & alii hæretici ab apostolo Paulo; Simon magus a Petro; Nicolaitæ, Ebion, Cerinthus a Johanne; Marcionitæ, Valentiniani, Gnostici &c. a primitivæ ecclesiæ doctoribus fuere damnati. 4.) Concilia hæresium damnationem non ex se & proprio arbitrio proferunt, sed ex scripturis duntaxat repetunt, siquidem omnes hæreses in scripturis prius sunt damnatæ, antequam a synodis reprobatæ, imo antequam fuerint natæ. 5.) Huc referenda piorum veterum dicta, hæreticis synodum flagitantibus opposita. Cum Ariani synodum flagitarent, respondebat illis Athanasius in epist. de synod. Arimin. & Seleuc. p. 673. *Frustra circumcursitantes praetexunt, se ob fidem synodos postulare, cum divina scriptura sit omnibus potentior.* Cum Pelagiani idem urgerent, respondebat ipsis Augustinus lib. IV. contra duas epistolas Pelag. ad Bonifac. cap. 11. p. 182. *Quid est, quod dicunt, de simplicibus episcopis sine congregatione synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? Numquid beatissimis & in fide catholica excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio ante istos adversus istos extorta subscriptio est, qua eorum impia dogmata tanta manifestatione subvertunt, ut quae contra eos manifestiora dicamus, vix invenire possimus? Aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit? cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quae tantum se extollit adversum Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis & occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia & diligentia pastorali post factum illis competens sufficiens judicium, ubicunque isti lupi adparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.* 6.) Cum Philippus, Hassiæ Landgravius,

anno

anno 1530. in comitiis Augustanis concilium propter Zwinglianos cogendum esse judicaret, Philippus Melanchthon & Johannes Brentius in hanc sententiam ipsi responderunt: *Si iis rationibus concilium ab imperatore cogeretur, sicut scriptum est, posset pro concilio agnosci. At sive concilium instituatur, sive non instituatur, certe nemo cogendus est, ut verae & piae doctrinae, quam profitemur, renunciet. Praeterea diligenter cavendum est, ne nimia subtilitate, quae tamen nihil habet certi, cursus doctrinae verae & certissimae impediatur, quod sane jam etiam aliqua ex parte fieri experimur.* Cumque Landgravius denuo urgeret, *Zwinglianos nondum esse in concilio alicujus erroris convictos*, Philippus & Brentius altera vice inter cetera ad ipsum sic scripserunt: *De concilio petendo & urgendo nihil certi constituere possumus, non quod fidei nostrae certitudinem ex concilii placitis & decretis haurire & petere necesse habeamus, sed ut calumnias & mendacia, quibus multipliciter deformamur & oneramur, amoliri & abstergere possimus. Quod si Deo agente factum fuerit, nec conscientiae nostrae praegravabuntur, aut doctrinae purioris cursus, ut hactenus, a caesarea maiestate impedietur, Zwinglianae doctrinae defensione & propugnatione concilium minime impediendum esse arbitramur, cum probari ea & tolerari non possit.* Cum theologi Jenenses in certamine interimistico synodum peterent, idem Philippus Melanchthon in epistolis ad amicos aliquoties repetiit illud Nazianzeni ad Procopium p. 329. ἔχω μὲν ὅτως εἰ δεῖ ταληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδὲ μιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστὸν &c. 7.) Si non licet damnare falsa dogmata cum scripturis pugnantia ante synodi decisionem, quo jure ipsimet damnant pontificios, anabaptistas, Schwenkfeldianos? &c. 8.) Imo quo jure nostram de persona Christi confessionem adcusant Eutychianismi, Marcionitismi &c. in pseudo στερεώματι Witebergensi anno 1571. edito apolog admonit. Neostad. p. 14 cum in nulla synodo simus legitime convicti? 9.) Auditi omnino sunt Calviniani in colloquiis Marpurgensi anno 1529. Maulbrunnensi anno 1564. Mumpelgartensi anno 1586. in publicis imperii comitiis & principum conventibus, in libris sexcentis in publicum utrinque editis, unde in libello εἰρηνικῷ Neostadii edito sub titulo: *trewherzige Vermahnung*, ipsimet fatentur, *controversias utrinque hactenus agitatas sufficienter disceptatas ac definitas.* 10.) Quam adhuc expetunt & exspectant synodum, ea nunquam, vel certe vix speranda est, quod ex verbis Sibrandi Luberti in præfat. comment. ad XCIX. errores Vorstii pag. 43. manifestum, ubi sic scribit: *Cum Vorstius dicit, velle sese omnium reformatarum ecclesiarum judicio submittere, id perinde est, ac si dicat, se non velle se ecclesiarum reformatarum judicio submittere. Scit enim homo prudens, omnium reformatarum ecclesiarum, sive late, sive stricte vocem reformatarum accipias, concilium nunquam convocatum iri, tam variis enim studiis tenentur principes illi, in quorum ditionibus agunt ecclesiae reformatae, ut nunquam consensuri sint in unum aliquod generale concilium.* Hæc Sibrandus uno ictu Paræi & adseclarum postulata evertens. Antequam fiat postulata a Calvinianis σύνοδος, fiet mundi ἔξοδος.

§ CCLXXII. Quæritur IV.) *An in ἐλέγχῳ adprobanda sint scripta ἀνώνυμα vel ψευδώνυμα?* Ita quidam ex Jesuitis & Calvinianis sentiunt, ut ipsa praxis testatur. Sed opponimus illis 1.) *dictum Christi* Joh. III. 20. *Omnis, qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.* v. 21. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia sunt in Deo facta.* Lucifugæ igitur illi ipso facto ostendunt, se non esse filios lucis, sed organa diaboli, qui est spiritus tenebrarum. Aut enim agnoscunt & adprobant veritatem, aut eamdem ore quidem confitentur, corde autem negant. Si illud, non vereri debent publica nominis expressione eamdem confirmare:

4.) *An adprobanda scripta ἀνώνυμα ac ψευδώνυμα?*

Carum

Carum armamentum est, quod non subscribat aperte,
Cui subscripserunt sanguine mille alii.

Si hoc, agunt hypocritas pessimos. 2.) *Incommoda*, quæ ex suppressione, vel variatione nominis oriri solent. Infirmis præbetur scandalum, quando veritatem timide propagari animadvertunt: hostes in erroribus confirmantur, cum enim *veritas nihil timeat, nisi abscondi*, inde est, quod confessionem illam fidei veram & sanam esse negant, cujus confessores publice eam proponere pudet: scriptores ἀνώνυμοι armantur licentia convitiandi, calumniandi ac mentiendi. Quemadmodum enim peregrina veste induti quivis agendi licentiam sibi arrogant: ita quoque illi, qui alieni nominis schema sibi adsumunt, quidvis pro libitu fingere & audacter convitiari sibi licitum esse existimant, cum demonstrandi labore sint sublevati. 3.) *Exempla prophetarum, evangelistarum & apostolorum*, qui scriptis suis nomina præfixerunt. Idem observarunt primitivæ ecclesiæ patres & cordati nostræ ætatis theologi. Vide Lutherum tom. I. Jen. germ. f. 477. in lib. cui titulus: *Vnterricht der Beichtkinder.* tom. IV. Jen. germ. f. 508. in lib. cui titulus: *Christliche Ermahnung an den Churfürst zu Brandenburgk.* (*) 4.) *Leges civiles*, quæ mutationem nominis, si dolo malo & in alterius damnum fiat, pœnis subjiciunt. l. unic. C. de murat. nominis: *Mutare nomen vel praenomen sive cognomen, sine aliqua fraude licito jure, si liber es, minime prohiberis.* Ergo a contrario sensu, si cum fraude & pernicie proximi mutatio illa nominis suscipiatur, prohibita est censenda. l. Falsi 13. ff. de lege Cornelia de falsis: *Falsi nominis, vel cognominis adseveratio pœna falsi coërcetur.* In decretis comitiorum Augustanorum anno 1545. expresse prohibitum, *ne quis vel sine nomine, vel mutato nomine scripta in publicum edat.* (**) 5.) *Propriorum adseclarum testimonia.* Boquinus in adsert. veri & veteris christianismi cap. 1. scribit, *non leviter peccare eos, qui nomina sibi minime convenientia in rebus religionis adjumunt.* Bullingerus contra lib. Polon. anno 1566. Tigur. edit. *dissimulationem ac mutationem nominum in hujusmodi scriptis eo dicit fieri consilio, ut licentius ceu ex plausiro convitiorum & calumniarum nimbos profundant isti lucifugae in innoxios, & ita cum omnibus impuris convitiatoribus communia convitia catodoxas potius, quam orthodoxas proferre possint doctrinas.* Quæ in contrariam partem adferuntur, facilem habent explicationem, si distinguatur inter scripta didactica & elenctica, inter factum & jus, inter callliditatem politicam, & candorem ac simplicitatem theologicam.

2.) *Sacramentorum dispensatio.*

§. CCLXXIII. Secundo *sacramentorum dispensationem* ad ecclesiæ ministros ordinarie spectare, ostendimus in tract. de sacram. §. XXVIII. de baptismo §. XIX. ubi tamen monendum, in sacramento initiationis, quale in vet. test. fuit circumcisio, in nov. test. est baptismus, urgente extrema necessitate etiam aliis ecclesiæ membris administrationem ejus esse permittendam, ut late ostendimus in tract. de bapt. §. XXIII. Circa sacramentorum dispensationem minister observet: 1.) ne indignos ad eorum participationem admittat Matth. VII 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas projicere porcis.* Ambrosius lib II. de pœnit. cap. 9. *Praeceptum est, nolite sanctum*

(*) Tom. V Jen. germ. f. 551. *Der H. Geist schleicht nit, sondern flieget offentlich vom Himmel, die Schlangen schleichen, aber die Tauben fliegen, darumb ist solch schleichen der rechte Gang des Teuffels, das fehlt nimmermehr.* Tom I. f. 425. *Wann ich solchen Zog und Flug des Liechtes spüre, wie kan ich mich förchten für den blinden Maulwürffen, die das Liecht sch wen.* Et postea: *Das ist gewislich der Teuffel, der Heimlich und Meuchlinges so bercit schleichet.* Lutherus de seipso tom. IV. p. 508. *Er habe wider Kayser, Könige, Bäpst und andere hohe Personen scharffe Schrifften müssen verfertigen, aber seinen Nahmen jederzeit fürgesetzet, und auffs blat geheffiet.* GERHARDVS.

(**) De famosis pasquillis l. unic. C. de famos. libell. *Peinlich Halss-Gerichts Ordnung*, art. CX. In decretis imperii non solum famosi libelli, sed etiam scripta ἀνώνυμα καὶ ψευδώνυμα prohibentur. *Abschied zu Augspurg* anno 1548. p. 493. *zu Speier* anno 1570. fol. 666. GERHARDVS.

dum dare canibus &c. hoc est, immundis impuritatibus sacrae communionis non impertienda consortia: in quam sententiam plura adduximus in tract. de eucharist. §. 222. & seqq. 2.) ut in dispensatione sacramentorum institutionem Christi & praxin apostolorum diligenter observet, ac rejectis inutilibus & superfluis cærimoniis, quam potest fieri simplicissime, juxta regulam modo traditam ea administret.

§. CCLXXIV. Tertio: *pro commisso sibi grege precationem* ministro ecclesiæ commendatam esse debere ostendunt 1.) *dicta generalia*, quæ ab omnibus vere piis requirunt, ut pro se invicem orent, & precibus suis aliorum etiam salutem complectantur. Jac. V. 16. εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων. Forma precum a Christo nobis præscripta totum ecclesiæ corpus mysticum complectitur. 2.) *Exemplum Christi*, qui in seriis ad Deum precibus orat pro apostolis & omnibus, qui per verbum illorum erant in ipsum credituri. Joh. XVII. 20. 3.) *Exempla Mosis, Samuelis, prophetarum & apostolorum*, qui pro auditoribus suis vota ad Deum fecerunt: Exod. XXXII. 11. *Moses orabat Dominum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum.* Deut. IX. 18. *Procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens & aquam non bibens propter omnia peccata vestra, quae gessistis contra Dominum.* Lev. V. 6. *Orabit pro eo Sacerdos, qui inconsiderate juravit.* cap. XVI. 34. *Statutum hoc sempiternum, ut oretis pro filiis Israel.* 1. Sam. XII. 23. *Absit a me*, inquit Samuel ad Israëlitas, *ut peccem, Jehovam cessando orare pro vobis*, ergo ministri ecclesiæ graviter peccant negligentes preces pro commisso sibi grege, Esaj. LXIII. 16. *Tu Domine Pater noster, redemtor noster, a seculo hoc nomen tuum.* v. 17. *Quare errare nos fecisti de viis tuis? &c.* Jer. XXIII. 3. *Jubetur propheta orare ad Dominum pro populo.* cap. XXXVII. 3. Sedecias ad prophetam dicit: *Ora pro nobis Dominum Deum nostrum.* Dan. IX. 17. *Exaudi Deus noster orationem servi tui & preces ejus, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum &c.* 2. Cor. XIII. 7. *Oramus Deum, ut nihil mali faciatis.* v. 9. *Oramus vestram consummationem.* Eph. I. 15. *Audiens fidem vestram in Christo & dilectionem in omnes sanctos*; v. 16. *non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis*, v. 17. *ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae & revelationis.* cap. III. 14. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis corroborari per Spiritum ejus.* Phil. I. 4. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens*: v. 9. *hoc oro, ut caritas vestra magis abundet.* Col. I. 3. *Gratias agimus Deo semper pro vobis orantes.* 2. Thess. I. 11. *Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonam & opus fidei in virtute.* De Polycarpo, Johannis evangelistæ discipulo, commemorat apud Eusebium lib. IV. hist. cap. 15. epistola ecclesiæ Smyrnensis, quod imminente martyrii tempore dies noctesque nihil fecerit aliud, quam quod precibus immoratus sit, quibus pro pace omnibus per orbem ecclesiis impetranda suppliciter oraverit. 4.) *Preces ecclesiae* pro pastoribus requirunt, ut pastores vicissim pro ecclesia sibi commissa orent. Act. XII. 5. *Oratio sine intermissione ab ecclesia fiebat pro Petro ad Deum.* Col. IV. 3. *Orantes simul pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* 1. Thess. V. 25. *Fratres orate pro nobis*, quod repetitur 2. Thess. III. 1. Hebr. XIII. 18. &c. 5.) *Summa necessitas* requirit, ut prædicationi verbi conjungantur preces, siquidem absque cœlestis benedictionis gratia semen verbi non est efficax ad proferendos fructus in auditorum cordibus 1. Cor. III. 6. jam vero fluenta divinæ benedictionis non descendunt ad homines, nisi per canales piæ ac devotæ orationis. Diabolus rapit semen verbi ex cordibus eorum, qui audiunt & non intelligunt; Matth. XIII. 19. sed clamore orationis infernales istæ aves abigendæ. *Circuit diabolus tanquam leo rugiens,*

3.) *Pro commisso grege precatio.*

rugiens, quem devoret quaerens, huic fide & precibus reſiſtendum 1. Petr. V. 8. & 9. πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς? inquit apoſtolus de miniſterii eccleſiaſtici officiis tractans 2. Cor. II. 16. ſed illa ἱκανότης ἐκ τοῦ θεοῦ, 2. Cor. III. 5. a quo unice piis precibus eſt impetranda. Ad preces illas pertinet etiam *benedictio eccleſiaſtica generalis*, miniſtrorum ordini peculiariter demandata Num. VI. 23. ut cum ea concio dimittatur; Itemque ſpecialis novorum *conjugum benedictio*, quæ tamen certo reſpectu etiam ad ritus eccleſiaſticos, de quibus inferius dicetur, referri poterit. Obſervatur ea tamen propter conjugii honeſtatem & dignitatem, ut ſit publicum teſtimonium divinæ inſtitutionis, *tum* propter diſtinctionem divinæ & illicitæ conjunctionis, ſoli enim illi a Deo conjuncti æſtimandi, quos non inſana libido, ſed parentum conſenſus & eccleſiæ miniſter Dei nomine conjunxit, *tum* propter ſanctionis hujus eccleſiaſticæ antiquitatem. Teſte enim Platina in vit. pont. fol. 23. Soter primus, qui imperante Antonino Commodo epiſcopatum Romanum adminiſtravit, inſtituit, ne legitima haberetur uxor, niſi cui ſacerdos ex inſtituto benedixiſſet, ac mentio ſit hujus antiquiſſimæ conſuetudinis in concilio Carthaginenſi IV. anno 436. celebrato, & in novel. Leon. 89.

§. CCLXXV. Quarto: *vitae & morum honeſtam gubernationem* a miniſtro eccleſiæ vel maxime requiri oſtendunt 1.) *canones apoſtoliri* epiſcopis ac diaconis præſcripti: 1. Tim. I. 18. *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, ut milites bonam militiam*, v. 19. *retinens fidem & bonam conſcientiam.* cap. III. 2. *Oportet epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, hoſpitalem*, διδακτικόν, v. 4. *qui domui ſuae bene praeſit, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate*, v. 6. *non neophytum &c.* v. 8. *diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpis lucri cupidos.* v. 9. *habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Ac diſerte addit apoſtolus v. 15. *haec tibi ſcribo, ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quae eſt eccleſia.* cap. IV. 7. *Exerce te ipſum ad pietatem.* v. 12. τύπος, *exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, in caſtitate.* cap. VI. 11. *Tu o homo Dei haec fuge*, (avaritiam ſcilicet & ambitionem) *ſectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem.* 2. Tim. II. 15. Σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ. v. 22. *Juvenilia deſideria fuge, ſectare vero juſtitiam, fidem, caritatem, & pacem cum iis, qui invocant Dominum ex puro corde.* Tit. I. 7. *Oportet epiſcopum eſſe ſine crimine, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum*, v. 8. *ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* cap. II. 7. *In omnibus te ipſum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem &c.* 2.) *Incommoda* & ſcandala, quæ oriri conſuevere ex miniſtrorum vitiis. Rom. II. 21. *Qui alium doces, te ipſum non doces, qui praedicas, non furandum, furaris &c.* v. 24. *Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Quamvis enim verbi & ſacramentorum efficacia nequaquam dependeat a miniſtri dignitate vel indignitate, ut oſtendimus in tract. de ſacram. §. 30. res ipſa tamen manifeſtum facit, curſui doctrinæ cœleſtis & fructificationi verbi non mediocrem remoram atque impedimentum objici per miniſtrorum improbitatem. Docendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. Qui recte docent & impie vivunt, illi quod ſincera doctrina ædificant, malis moribus iterum deſtruunt; cœlum ædificant voce, vita vero infernum, linguam Deo, animam conſecrant diabolo; ſimiles ſunt ſtatuis mercurialibus, quæ aliis viam oſtendunt, quam ipſæ non ingrediuntur, ſimiles ſunt fabris lignariis, qui in exſtructione arcæ Noacho auxiliares operas præſtiterunt, parantes enim aliis arcam, in qua a diluvio fuere liberati, ipſi in diluvio perierunt. Auguſtinus lib. IV. de doctr. chriſt. c. 27. *Habet, ut obedienter audiatur, quantacunque grandiloquentia dictionis majus pondus*

4.) *Vitae & morum honeſta gubernatio.*

pondus vita docentis. Idem epist. CXII. *Plus valet vivendi, quam loquendi modus.* Hilarius can. V. in Matth. *Optimum est exemplo potius docere, quam dictis.* Cyprianus de dupl. mart. p. 362. *Efficacius est vitae, quam linguae testimonium.* Lactantius lib. III. instit. cap. 16. pag. 159. *Bonum est recta & honesta praecipere, sed nisi & facias, mendacium est, & incongruens atque ineptum non in pectore, sed in labiis habere bonitatem.* Idem lib. IV. instit. c. 23. *Homines malunt exempla, quam verba, quia loqui facile est, praestare autem difficile, utinamque tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene.* E contrario autem *honoratur ministerium morum gravitate, consiliorum maturitate & actuum honestate,* ut loquitur Bernhardus epist. XXVIII. 3.) *Divinae comminationes* adversus ministros impios prolatae. Psalm. L. 16. *Impio dixit Deus: Cur recitas statuta mea, & adsumis testamentum meum per os tuum?* v. 21. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Matth. V. 19. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus* (id est nullus) *vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum,* in quae verba sic commentatur Ignatius epist. XI. ad Ephesios p. 63. edit. Antverp. Ἄμεινον ἐστι σιωπᾶν καὶ εἶναι, ἢ λαλεῖν καὶ μὴ εἶναι, ἐκ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. Καλὸν τὸ διδάσκειν, ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ, ὃς γὰρ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, ἔτος μέγας ἐν τῇ βασιλείᾳ. Chrysostomus homil. XLIII. in cap. XXIII. Matth. ac citatur c. Multi. dist. 40. *Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedrae, qui male sederit, injuriam facit cathedrae: ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen adquirit, non dignitatem, in judicio enim tuo sedes, siquidem bene vixeris & bene docueris, populum instruis: si bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene vivendo & bene docendo populum instruis, quomodo vivere debeat, bene autem docendo & male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Prosper in sent. August. *Bene loqui & prave vivere nihil aliud est, quam sua se voce damnare.* 4.) *Absurda vitae & orationis* atque status *discrepantia. Insolens est,* inquit Nazianzenus in carmin. *videre aberrantem viae ducem & medicum aliorum ipsum ulceribus scatentem.* Ambrosius lib. LXXXII. *Quis ferat, si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? si curam suscipiat animae alienae, qui suam nequit custodire? Monstrosa res est,* inquit Bernhardus, *gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, sermo multus & fructus nullus, vultus gravis & actus levis, ingens autoritas & nutans stabilitas. An non confusio & ignominia est,* scribit Hieronymus in Mich. II. *Jesum crucifixum pauperem & esurientem farctis praedicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre?* 5.) *Exemplum Christi, apostolorum* & piorum ecclesiae doctorum, qui non verbis solum, sed & vitae exemplo auditores suos instruxerunt. De Christo dicunt discipuli, euntes in Emaus: Luc. XXIV. 19. quod fuerit propheta *potens in opere & sermone;* ad Lucas Act. I. 1. *quod caperit facere ac docere,* id quod Ignatius d. l. adcommodat ad exemplar vitae sanctae omnibus veris ecclesiae ministris ad imitandum propositum. Paulus de se ipso dicit 1. Cor. IX. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne aliis praedicans ipse reprobus efficiar. Si ergo in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem & abstinentiam,* ut recte colligit Hieronymus d. l. 6.) *Typi vet. test.* Gregorius part. I. pastoral. c. 4. & citatur c. Sit rector. dist. 43. *Mosi praecipitur in Exodo cap. XXVIII. ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur &c. aperte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta, vestimenta enim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere? propheta testante, qui ait in psalmis: Sacerdotes tui induantur justitia. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhaerent, si vitae viam cum linguae sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament.* Gratianus dist. 40. in principio ex

veteribus: *Oportet episcopum esse ornatum: per ornamenta episcopalia virtutes debent intelligi, quae a Domino eis repromittuntur, dum dicitur*: Sacerdotes ejus induentur salutari; *unde in vet. test. variis vestibus ex praecepto Domini sacerdotes ornati leguntur, quia multimodis virtutibus debet splendere vita pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit.* Berthorius in allegor. Summus pontifex habebat superhumerale & rationale, hoc est, ministri ecclesiæ debent habere bonam conversationem & doctrinam. Rationale debet conjungi cum superhumerali Exod. XXVIII. 22. hoc est, vita a doctrina non discordet. Camerarius part. I. meditat. succisiv. cap. 22. ex veteribus: *In fabrica templi Salomonis celati non tantum leones, sed & boves & cherubim, ut is, qui regit populos, sit vigilans & in tuendis justitiae legibus fortis ut leo, modestiae legibus commode ligatus ut bos, & ita demum scientiae luce dotatus ut cherubim.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. CLI. pag. 39. *Dei sacerdos, quoniam ad Deum adpropinquat, animalium illorum multis oculis praeditorum in morem (κατὰ τὰ πολυόμματα ζῶα)* Ez. I. & X. *omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nesciens &c.* Facies leonis denotat infractum animum adversus quævis pericula: facies bovis notat laborum tolerantiam, unde Paulus ad ministros ecclesiæ adcommodat legem mosaicam: *Bovi trituranti non adligabis os*; 1. Tim. V. 18. Facies hominis denotat humanitatem, qua infirmos tractent. Facies aquilæ notat animum ad cœlestia a terrenis evehendum.

Virtutes ministri duplices.

§. CCLXXVI. Cæterum *virtutes*, quas in ecclesiæ ministro apostolus 1. Tim. III. Tit. I. requirit, superius in duas classes distinximus. Quædam enim sunt *communes* ipsi cum aliis vere piis, quædam vero ipsi *propriae* ac peculiares; *illae* personam, *hae* vero officium, *illae* vitam ac mores, *hae* vero doctrinam ministri potissimum concernunt. Virtutes *communes* eo modo subdistingui possunt, ut quædam referantur ad *primam*, quædam ad *secundam* decalogi tabulam. Ad *primam* decalogi tabulam pertinet, quod episcopus debeat esse ὅσιος, *pius ac sanctus*: Tit. I. 8. Cum enim ad pietatem & sanctitatem alios vel maxime cohortari debeat, omnino requiritur, ut ipse quoque sanctæ erga Deum pietati studeat. Prælucet hac in parte ministris ecclesiæ Christus ἀρχιποιμὴν, qui & ipse dicitur ὅσιος; Act. II. 27. XIII. 35. Hebr. VII. 26. itemque apostoli, de quibus Paulus dicit, quod ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως conversati fuerint. 1. Thess. II. 10. Virtutes ad *secundam* decalogi tabulam pertinentes, *tum per θέσιν, tum per ἄρσιν* exprimi, diximus superius: hoc loco alia utemur divisione; quædam enim *generalibus* adpellationibus obedientiam erga secundam decalogi tabulam *in genere* complectentibus exprimuntur; idque *tum* per ἄρσιν, quod episcopus debeat esse ἀνεπίλημπτος, 1. Tim. III. 2. καὶ ἀνέγκλητος, Tit. I. 6. *tum* per θέσιν, quod debeat esse δίκαιος Tit. I. 8. κόσμιος, 1. Tim. III. 2. καὶ σεμνὸς v. 8. quædam vero in specie certi alicujus præcepti obedientiam requirunt. I.) Episcopus debet esse ἀνεπίλημπτος. Ἐπίλημπτοι dicuntur *tum* morbo comitiali laborantes, quo ita corripiuntur, ut nullum membrum movere possint; *tum* crimini & adcusationi justæ obnoxii; ἐπιλαμβάνεσθαι enim est, tum adprehendere & sistere, tum reprehendere & corripere. Ἀνεπίλημπτος igitur est, qui reprehendi juste non potest, qui reprehensioni non est obnoxius. Apud Thucydidem lib. V. p. 170. καὶ αὐτὸς τοῖς ἐχθροῖς ἀνεπίλημπτος εἶναι, id scholasticus exponit, μὴ παρέξων κατηγορίας ἀφορμὴν, *criminationis materiam non praebiturus.*

Debet esse ἀνεπίλημπτος.

ἀνέγκλητος.

§. CCLXXVII. II.) Idem notat verbum ἀνέγκλητος, *inculpatus, irreprehensus*, cui nullum crimen juste objici potest; ἐγκαλεῖσθαι enim est adcusari, reprehendi, τὰ ἐγκεκλημένα sunt objecta in judiciis loco probri sive criminis. Usurpatur in genere de omnibus vere piis 1. Cor. I. 8. Col. I. 22. apud LXX. interpretes in vet. test. neutrum vocabulum occurrit. Requiritur proinde

inde ab episcopo, ut inculpatam & irreprehensibilem vitam transigat, nec gravioribus criminibus sese obnoxium reddat. Gregorius part. I. pastoralis c. 11. ac citatur c. Ecce. dist. 49. *Solicite formidandum est, ne, qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido novimus, quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Solerter ergo se quisque metiatur, nec locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat, ne is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri adpetat pro culpis aliorum.* An autem illi, qui in gravius aliquod crimen prolabuntur, postquam pœnitentiam egerunt, ecclesiasticis officiis præfici, vel ad ea revocari possint, de eo plurima, eademque contraria extant in jure canonico decreta. dist. 50. Gregorius lib. VII. epist. LIII. merito urget exemplum Petri. *Quid gravius est,* (inquit) *aut carnale delictum committere, sine quo pauci inveniuntur, aut Dei filium jurejurando negare, in quo ipsum Petrum lapsum esse cognovimus; sed post negationem pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data est, quia ab apostolatu eum non expulit, qui ante quidem ipsum se negare praedixit.* Hieronymus in Mich. III. profert exemplum *Davidis*, qui post adulterium & homicidium perpetratum dicit Psalm. LI. *Docebo iniquos vias tuas.* Augustinus epist. CL. ad Bonifac. distinguit inter rigorem juris & ἐπιείκειαν. *Ut constitueretur* (inquit) *in ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat, non desperatione indulgentiae sed rigore factum est disciplinae, alioquin contra claves ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est:* Quæcunque solveritis super terram, soluta erunt & in cœlo. *Sed ne forte etiam de ceteris criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens, superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam pœnitentiam de damnabili crimine nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitatis &c.* Isidorus ad Massanum distinguit inter pœnitentes & impœnitentes: *Illos* (inquit) *ad pristinos gradus redire, canones praecipiunt, quos pœnitentiae praecessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi, qui neque a vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum, quod admittunt, vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Ita ergo determinanda est sententia, ut necesse sit illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem merentur divinae pietatis: hi enim non immerito consequuntur ademtae dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiae recepisse noscuntur remedium vitae.* Rabanus ad Heribaldum distinguit inter crimina publica & occulta: *Qui deprehensi* (inquit) *fuerint publice in perjurio, furto ac fornicatione & ceteris hujusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta a proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei, tales personas supra se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Qui autem de praedictis peccatis abscondse a se admissa peccata per occultam confessionem coram angelis Dei, praesente etiam sacerdote, qui eis inducturus est pœnitentiam, confitentur, & semet ipsos graviter deliquisse queruntur, his etiam gradu servato spes veniae de misericordia Dei promittenda est.* Circumstantiarum diligens & adcurata consideratio manifestum faciet, quid in ejusmodi casibus faciendum sit. Cumprimis distinguendus est necessitatis casus ab ordinaria regula. Si alii idonei ecclesiæ ministri haberi possunt, nequaquam vel eligendi vel revocandi sunt, qui in gravius aliquod delictum fuere prolapsi, etiam post peractam pœnitentiam: si minus, præstat tales admittere, quam ecclesiam necessariis ministris destitui.

§. CCLXXVIII. Virtutes ad *secundam decalogi tabulam* pertinentes, ac *generalibus* adpellationibus obedientiam erga eam γενικῶς requirentibus κατὰ θεσιν expressæ hæ sunt, quod episcopus debeat esse δίκαιος, κόσμιος

δίκαιος.

κόσμιος καὶ σεμνὸς. I.) Per δικαιότητα Tit. I. 8. possit quidem in specie intelligi *justitia particularis*, quæ est virtus septimi præcepti, ut opponatur τῇ αἰχροκερδίᾳ, cujus præced. versu fit mentio: sed quia conjungitur vocabulum ὅσιος, quod est generale, obedientiam erga primam decalogi tabulam exprimens; Ideo rectius videtur generaliter accipi pro *justitia universali*, sicut eo sensu etiam alibi ὅσιος καὶ δίκαιος conjunguntur: Luc. I. 75. Eph. IV. 24. 1. Thess. II. 10. Requiritur igitur ab episcopo, ut erga proximum sese gerat δικαίως, sicut erga Deum sese gerere debet εὐσεβῶς καὶ ὁσίως. II.) Κόσμιος

κόσμιος.

significat eum, *qui moribus est compositis*, qui recte atque ordine omnia agit, a κοσμέω, quod est *ordino*, *compono*. Lutherus vertit *fittig*. Item *orno*, unde vulgata versio reddidit *ornatum*, non adeo absurde, quia compositi mores sunt maximum hominis ornamentum, inde in jure canonico exigitur, ut episcopi & ecclesiastici sint ornati exterius & interius. c. Nos qui. dist. 40. ex Gregorio: *Nos, qui praesumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus.* Dist. 41. in principio: *Oportet episcopum esse ornatum etiam in exterioribus, habitu videlicet & incessu. Habitu, ut nec fulgidis, nec sordidis se vestibus ornet.* Vt enim ait Hieronymus: *Nec adfectatae sordes, nec exquisitae deliciae laudes pariunt*, quod tam de vestibus, quam de cibis intelligendum est. c. Episcopus &c. dist. eadem ex concilio Carthag. IV. can. 17. *Episcopus vilem supellectilem, & mensam ad victum pauperem habeat, & dignitatis suae auctoritatem fidei & vitae meritis quaerat*, sed ibi glossa adscripsit: *Hoc hodie non tenetur.* III.) Σεμνὸς

σεμνὸς.

quandoque in malam partem accipitur, ut sit ὁ ὑπερήφανος καὶ μὴ ὁμιλητικὸς, *tumidus*, odiose & immodice gravis; sed hoc loco in laude ponitur pro eo, qui est *cum auctoritate & modestia* gravis, qui in verbis, factis, vita ac moribus ita se gerit, ut reverentiam quamdam erga se in animis auditorum ac spectatorum sibi conciliet. Lutherus vertit: *Erbar.* LXX. utuntur pro חֵן *gratus*, *acceptus fuit*, Prov. XV. 27. quia gravitas cum modestia & comitate suavissima quadam συζυγία copulata gratum & acceptum reddit hominem. Vulgata: *pudicus.*

§. CCLXXIX. Virtutes ad *secundam decalogi tabulam* pertinentes, *& in specie* certi alicujus præcepti obedientiam requirentes sic distingui possunt, ut quædam referantur *ad quartum*, quædam *ad quintum*, quædam *ad sextum*, quædam *ad septimum*, quædam *ad octavum* præceptum. Ad *quartum* decalogi præceptum pertinet, quod episcopus debeat esse τῷ ἰδίῳ οἴκῳ καλῶς προϊστάμενος, τέκνα ἔχων ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος, 1. Tim. III. 4. τέκνα ἔχων πιστὰ, μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, ἢ ἀνυπότακτα, Tit. I. 6. quod ipsum etiam a diaconis requiritur, ut sint τέκνων καλῶς προϊστάμενοι, καὶ τῶν ἰδίων οἴκων. 1. Tim. III. 12. Is vero domui ac liberis recte præesse censendus, non qui in id unice incumbit, ut divitias corradat, ac de liberali sustentatione suis prospiciat; sed qui liberos & domesticos suos enutrit *in institutione & commonefactione Domini*, ut exponit apostolus Eph. VI. 4. ac liberos habet non luxuriosos & immorigeros, sed cum omni honestate subjectos ac fideles, ut his ipsis in locis explicat. Quare vero ab episcopo requiratur, ut domui suæ hac ratione bene præsit, ejus rei causam παρενθετικῶς apostolus subjungit: *Si quis domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiam Dei curabit*, in quo est argumentum a minori ad majus. Qui domui propriæ nescit præesse, quomodo ecclesiæ, quæ est *Dei domus*, 1. Tim. III. 15. recte præesse poterit cap. V. 17? Qui liberos ac domesticos suos in officio continere nescit, quomodo totum cœtum ecclesiasticum in officio continebit? Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. δεῖ ὁικοθεν παρέχεσθαι τὰ παραδείγματα. τίς γὰρ πιστεύσειαν, ὅτι τὸν ἀλλότριον ὑποτάξει, τὸν υἱὸν μὴ ὑποτάξας; τέτο καὶ ἔξωθεν φασὶν, ὅτι ὁ οἰκονομικὸς καὶ πολιτικὸς ἂν γένοιτο ταχέως, γὰρ ταυτό ἐστι ἐκκλησία ὡσανεὶ μικρὰ οἰκία. *Oportet, ut ex vicino*

ἰδίῳ οἴκῳ καλῶς προϊστάμενος.

vicino atque ex re domestica virtutis suae episcopus praebeat indicia. Quis enim crederet, illum alienos quosque subjectos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Hoc & externae sapientiae auctores ajunt, ut qui rem familiarem suam rite administraverit, rei quoque publicae convenienter possit contrectare negotia. Est enim ecclesia velut domus quaedam &c. Liberorum ac domesticorum vitia arguunt negligentiam parentum ac patrumfamilias in œconomia recte gubernanda, at qui in privatæ œconomiæ gubernatione negligens est, quomodo de ecclesiæ recta gubernatione admodum solicitus erit? Consideretur exemplum sacerdotis Eli, de quo 1. Sam. III. 13. dicit Dominus: *Praedixi Eli, quod judicaturus essem domum ejus in aeternum propter iniquitatem, eo quod noverat filios suos contemtores esse, & non contraxerit frontem contra eos.*

§. CCLXXX. Ad quintum decalogi præceptum pertinet, quod episcopus debeat esse μὴ πλήκτης, 1. Tim. III. 3. μὴ αὐθάδης, μὴ ὀργίλος, Tit. I. 7. sed φιλόξενος, 1. Tim. III. 2. ἐπιεικὴς, ἄμαχος, v. 3. φιλάγαθος. Tit. I. 8. I.) Πλήκτης dicitur, qui promtus est ad verbera incutienda. Plutarchus in Fab. κατὰ χεῖρα πλήκτης, manu promtus, a πλήττειν *ferire, percutere.* Chrysostomus in comm. 1. Tim. III. ad linguæ verbera, sive ad convitia refert, sic enim scribit homil. X. ἐτὸν μὴ πλήττοντα φησὶν ταῖς χερσὶ ἐνταῦθα φησὶν. τί ἔν ἐστι, μὴ πλήκτην; ἐπειδὴ εἰσὶν ἀκαίρως τινὲς πλήττοντες τῶν ἀδελφῶν τὴν συνείδησιν, τετες νῦν αἰνίττεθαί μοι δοκεῖ, & in comm. Tit. I. homil. II. μὴ πλήκτην, τὸν ὑβριστὴν ἐνταῦθα φησὶν. νεθετῆνταγὰρ, ἢ ἐπιπλήττοντα πάντα χρὴ ποιεῖν μὴ ὑβρίζοντα. Eadem est Hieronymi sententia, qui ad linguæ acerbitatem illud refert, ne scilicet *episcopus sit saevus & improbus objurgator*, sicut cap. V. 1. dicitur, πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς. Sed rectius accipitur de *percussione corporis*; πλήκτιζεθαι enim, quod verbum ex illo descendit, significat contendere ad plagas usque, in altercatione usque ad plagas venire. Eustathius Iliad. φ. annotat πλήκτιζεθαι poni pro τὸ μάχεθαι, vel ἐρίζειν ἕως πληγῆς, unde Chrysostomus ipse sic accipit, quando ibidem egregiam illam sententiam αἰτιολογικῶς subjungit. Ἰατρὸς ἐστιν ὁ διδάσκαλος τῶν ψυχῶν, ὁ δὲ πατρὸς ἐ πλήττει, ἀλλὰ τὰ πεπληγότα διεφθορὼς καὶ θεραπεύει. *Medicus est animarum doctor. Porro medicus minime percutit, verum, etsi forte se aeger percusserit, corrigit, emendat & curat.* Lutherus vertit: *Ein Bischoff soll nicht pochen.* II.) Αὐθάδης est sibi ipsi placens, arrogans, superbus, qui ita sibi placet, ut alios præ se contemnat ab αὐτὸς & ἀδεῖν, quod est, *placere*, ut docet Aristoteles libr. I. magn. ethicorum. Vulgo exponunt: *contumax & praefractus*, quia ex arrogantia pertinacia solet oriri, ac Cicero αὐθάδειαν reddit *pervicaciam*, quo respiciens Lutherus hoc loco vertit: *eigensinnig*, & in margine adnotat: *der seinen eigen Kopff hat, niemand weichet, man muss ihm weichen, wie man spricht: Mit dem Kopff hindurch.* 2. Petr. II. 10. conjunguntur τολμηταὶ καὶ αὐθάδεις, ubi vulgata reddidit *sibi placentes*, & hoc loco *superbos.* LXX. interpretes Gen. XLIX. 7. utuntur pro עָז obfirmatus, contumax. Sensus igitur est, quod episcopus non debeat sibi eo modo placere, ut pertinaciter suæ opinioni inhæreat, contra vero neminem audiat, sed omnes suis cogat obsequi cogitatis.

μὴ πλήκτης. μὴ αὐθάδης.

III.) Ὀργίλος est *iracundus*, qui facile ad iram concitari se patitur. Aristoteles lib. IV. ethic. cap. 5. οἱ μὲν ἓν ὀργίλοι ταχέως μὲν ὀργίζονται καὶ οἷς ἐ δεῖ καὶ ἐφ' οἷς ἓ δεῖ καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ. παύονται δὲ ταχέως. Dicuntur alias ὀξύχολοι ac πικρόχολοι, *denen die Lauss bald vber die Leber laufft*; Lutherus vertit *zornig.* LXX. interpretes utuntur pro אִישׁ אַף Prov. XXIX. 20. *virum iracundum*, hoc est, pronus ad iram, qua nares sufflantur. Item אִישׁ חֲמָתִים Prov. XXIX. 24. *vir ardoris* & excandescentiæ. Sensus igitur est, quod episcopus non debeat esse ad iram pronus, levi de causa iras suscipiens &c. rationem egregiam addit Chrysostomus in comm.

μὴ ὀργίλος.

Tit.

Tit. I. *Qua ratione docebit alios hoc vitio irae temperare, qui se ipsum ante non docuit? quippe plurima indies hujusmodi principatus parit crimina, molestumque & ingratum facit, etiamsi quis modestissimus fuerit, innumerasque quotidie necessitates iracundia suggerit. Nisi igitur quisque ad hoc longe praemeditatus accesserit, molestissimus erit, plurimaque corrumpet ac perimet ex his, quae sui muneris sunt.* IV.) Φιλόξενος est *hospitalis*, qui alios lubens hospitio recipit: Lutherus: *gastfrey*. Petrus 1. epist. IV. 9. ab omnibus christianis in genere requirit, ut sint φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους ἄνευ γογγυσμῶν, (*) sed hic in specie cumprimis illud requiritur ab episcopis. (**) Erant tunc temporis propter persecutiones exilia crebriora, necdum constituta erant diversoria publica, (***) φιλοξενίαν igitur in episcopo requirit apostolus, ut ipsius domus sit exsulum refugium ac receptaculum. In principio dist. 42. *Hospitalem sacerdotem esse oportet, ne sit de numero eorum, quibus in judicio dicetur:* Hospes fui, & non suscepistis me. *Qui enim apostolum secutus fuerit, alios ad hospitalitatem debet invitare. Quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim sacerdos primum a se ipso & a domestica sua ecclesia debet exigere, quod postea populis imperet, si primum imitando Christum ipse debet facere, quae postea populum doceat: necesse est ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos adtrahat. Ordinandus itaque sacerdos ad memoriam revocet, quomodo Abraham & Loth per hospitalitatis opera Deo placere & angelos meruerunt hospitio recipere, & quomodo angeli Sodomis hospitalem domum ingressi Loth cum familia sua liberaverunt, quom do clausas domos cum hospitibus ignis ingressus perdiderit, quomodo etiam secundum Hieronymum in regul. monach. aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur &c.* Si vidua ecclesia recipi prohibetur, quae pauperes non recepit hospitio, quae pedes sanctorum non lavit, quae omne opus bonum non est exsecuta; multo magis sunt prohibendi a sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Cavendum vero ministris ecclesiae, ne sint *φιλόξενοι* passive, gaudentes aliena vivere quadra, neve hospitalitas degeneret in crebras commessationes, qua de re in conslit. eccles. electorali Saxonica art. gener. XVI. pag 337. sic praecipitur: *Die Pfarrer sollen sich der Tabernen und Schenkhäuser enthalten, auch selbst in der Pfarrbehausung nicht viel Quas, noch oftmals Gasterey halten, &c.* Hieronymus in epist. ad Demetr. *Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia.* V.) Ἐπιεικὴς dicitur, qui *aequitatem* ἐπιεικὴς. *stricto juri praefert*, qui de jure suo

φιλόξενος.

(*) Oraculo huic Petrino jungi meretur effatum Paulinum *Ebr. XIII. 2.* Caeterum de hospitalitate veteris ecclesiae consuli possunt LVDOV. THOMASSINVS *de tesseris hospitalitatis cap. XXVI.* atque GODOFR. ARNOLDVS, *in der Abbildung der ersten Christen libr. II. cap. XII.* itemque in *historia cognat. spiritualis, cap. XX. § IX. p 344. seqq.* ubi & canones, praecepta & monita veterum huc spectantia exhibentur. Scripsit quoque b. cancell. PFAFFIVS, *dissertat. exegetico - moral. de hospitalitate, ad Ebr. XIII. 2.* quae Tubingae *MDCCLII.* prodiit.

(**) Vid. GRATIANVM ad *dist. 42.* & BINGHAMVM in *orig. ecclesiast. vol. II. p. 324.*

(***) Non defuerunt tamen viri quidam docti, qui contrarium ostendere adlaborarunt, veluti Jo. GVIL. STVCKIVS, theologus quondam Tigurinus, in *antiquitat. conviv. libr. I. cap. XXVIII.* atque THOMASSINVS, modo nobis laudatus, *loc. cit.* Add *ff. L. IV. tit. 9.* Et sane ipsae sanctiores litterae subinde diversoriorum meminerunt. Ebraeis diversorium vocatur מלה & גרות *Genes. XL. 27. XLIII. 21. Exod IV. 24. Jos. IV. 3. 8. Jud XIX. 9. 2. Reg. XIX 23 Jer XLI. 17.* add. *Tob. V. 9. 2. Reg. XIX 23 Jer XLI. 17.* add. *Tob. V. 9.* Celebratur quoque *Jos. II. 1.* Rahab cauponariae. Haec quippe designatur voce זונה a radice זון *aluit, pavit.* Graeci tamen verterunt *meretricem* a radice זנה *scortatus est.* In libris nov. test. deprehendimus κατάλυμα *Marc XIV. 14. Luc II. 7.* πανδοχεῖον *Luc. X. 34.* ξενίαν *Act XXVIII. 23. Philem. v. 22.* Licet vero jam apud veteres frequentata fuerint diversoria, eaque tum gratuita, tum mercenaria, hospitalitas tamen a christianis, specatim clericis, secundum praescriptum apostoli exerceri debuit. Christianis enim exulibus inter gentes olim non ita patuere diversoria, vel hospitia, queis opus habuerunt gratuita, ut proinde necessum habuerint, ea in domibus privatis eorum, qui φιλόξενοι τῆς πίστεως erant, quaerere.

fuo pacis cauſa cedit, ſive concedit. Ariſtoteles lib. V. ethic. cap. 10. Ὁμὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλὰ ἐλαττωτικὸς καίπερ ἔχων νόμον βοηθὸν, ἐπιεικὴς ἐστιν. Idem: Τὸν ἐπιεικῆ μάλιστα φάμεν εἶναι συγγνωμονικὸν καὶ ἐπιεικὲς τὸ ἔχειν περὶ ἐνια συγγνώμην, ubi ἐπιεικῆ Budæus dicit vocari *clementem veniae conceſſorem*. In lexicis ἐπιεικὴς dicitur *lenis, mitis, modeſtus*, quo modo etiam vulgata hoc loco reddidit. Lutherus *gelinde*. 1. Petr. II. 18. vocantur δέσποται ἐπιεικεῖς, qui ſunt mites ac moderati, quibus opponuntur σκολιοὶ. 2. Cor. X. 1. πραότης καὶ ἐπιείκεια conjunguntur: LXX. interpretes ponunt pro סלח propitius, condonator; Pſ. LXXXV. 4. ſenſus igitur eſt, quod epiſcopus exemplo Chriſti ἀρχιποιμένος debeat eſſe *mitis*, Matth. XI. 29. nec in omnibus ſtrictum jus exigere, ſed æquitatem & moderationem ſectari, unde ſubjungitur, quod debeat eſſe VI.) Ἄμαχος, *alienus a pugnis*; qui enim rigide jus ſuum perſequuntur, in rixas & pugnas ſæpius prolabuntur, ſed qui ἐπιείκειαν ſectantur, illi poſſunt eſſe ἄμαχοι, unde εἰρηνικὸς & ἐπιεικὴς conjunguntur Jac. III. 17. Apud Suidam ἄμαχοι ſunt, qui pugna abſtinent ab α & μάχομαι, *pugno*. Tit. III. 2. ἄμαχοι καὶ ἐπιεικεῖς dicuntur ὁι πᾶσαν ἐνδεικνύμενοι πραότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους. Lutherus ad verborum contentiones reſpiciens h. l. vertit *nicht hadderhaftig*. VII.) Φιλάγαθος, *amans bonos*, ac *amans bonum*: poſſet hoc generaliter accipi de ſtudio virtutis; ſed quia ſubjungitur verbo φιλόξενος, ideo rectius videtur accipi ſpecialiter pro eo, qui aliis lubens benefacit. Lutherus vertit: *gütig*. Sic Græcis ἀγαθὰ ποιεῖν eſt beneficia in aliquem conferre, & ἀγαθοποιοὶ ipſis ſunt munifici ac liberales. LXX. interpretes ſemel duntaxat uſurpant Sap. VII. 22. eſt in ſapientia πνεῦμα φιλάγαθον, *ſpiritus amans bonum*. Senſus igitur eſt, quod epiſcopus debeat eſſe beneficus, gaudens aliis bene facere.

ἄμαχος.

φιλάγαθος.

§. CCLXXXI. Ad ſextum decalogi præceptum pertinet, quod epiſcopus debeat eſſe I.) μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. de cujus phraſeos ſenſu aliqua protulimus ſuperius, (*) & ſuo loco in quæſtione de conjugio miniſtrorum plura dicemus. II.) Ἐγκρατὴς, *continens*; Tit. I. 8. ἀκρατὴς dicitur, qui ſe continere non poteſt, ſic ἀκρατὴς ἀφροδισίων incontinens voluptatis venereæ ſive libidinoſus; ἀκρατὴς τιμῆς, qui cupiditatem gloriæ continere & refrenare non poteſt. Ariſtoteles lib. VII. ethic. cap. 1. pro iisdem poni ſcribit ἀκρατῆ & ἀκόλαστον. Illi opponitur ἐγκρατὴς, qui novit cupiditates præſertim circa cibum, potum & conjugii uſum refrenare, hæc enim tria ἐγκρατὴς τῆς γαστρὸς καὶ ὀίνυ καὶ συνουσίας, Budæus vertit uno vocabulo: *continens*. Lutherus reddidit *keuſch*, reſpiciens ad potiſſimam ἐγκρατείας ſpeciem; ſed nomen eſt generale, quod epiſcopus debeat ſe continentem gerere in cibo, potu, adfectibus, conjugio &c. Eraſmus in adnot. Tit. I. ἐγκρατῆ, *ut indicat Hieronymus, quidam haud recte ad ſolam referunt libidinem, cum ad omnes pertineat adfectus, iram, avaritiam, ambitionem, invidiam, timorem*. Chryſoſtomus homil. II. in cap. I. Tit. ἐγκρατῆ. ἐ τὸν νηφευτὴν εἶπεν ἐνταῦθα, ἀλλὰ τὸν πάθους κρατοῦντα καὶ γλώττης, καὶ χειρὸς καὶ ὀφθαλμῶν ἀκολάστων, τοῦτο γὰρ ἐστιν ἐγκράτεια τὸ μηδενὶ ὑποσύρεσθαι πάθει. Athanaſius & Oecumenius per ἐγκρατῆ intelligunt eum, *qui imperat linguae, oculis, manibus &c.* ut autem eſt caſtitas virginalis & caſtitas conjugalis, ita quoque ἐγκράτεια quandoque ſumitur ſpecialiter, ut virginibus extra conjugium caſte viventibus tantum tribuatur, 1. Cor. VII. 9. εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν, quandoque vero generaliter accipitur, ut piis conjugibus etiam com-

μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ.

ἐγκρατὴς.

(*) Cumprimis vero legi heic merentur, quæ ven. Jo. Georg. Walchius in peculiari exercitatione *de epiſcopo unius uxoris viro*, quam *miſcellaneis ſuis ſacris p. 409*, inſeruit, hanc in rem ſcripſit.

competat, Gal. V. 23. & 2. Pet. I. 6. inter fructus Spiritus & virtutes ab omnibus piis requisitas numeratur ἐγκράτεια. Eccl. XXVI. 20. conjugatis expresse tribuitur ἐγκράτεια: *Non est pondus omne dignum* ἐγκρατὲς ψυχῆς αὐτῆς, ubi sermonem esse de muliere conjugata adparet ex v. 16. *Gratia mulieris delectat virum ejus.* Sed hac de re in quæstione de conjugio ministrorum itidem dicentur plura. III.) Μὴ πάροινος, *non vinolentus*: μὴ πάροινος. 1. Tim. III. 3. Tit. I. 7. apostolus ipse exponit, quid per τὸν πάροινον intelligat, videlicet τὸν τῷ οἴνῳ προσέχοντα, eum, qui vino deditus est, 1. Tim. III. 8. Apud Athenæum lib. X. ἄνθρωπος πάροινος dicitur, quem Latini vocant vinosum, q. d. vino adsidentem ad perpotandum ac pergræcandum, παροινία est petulantia, injuria, contumelia &c. quæ ebrietatem comitatur, ex quo dubio procul Chrysostomi sententia originem duxit, qui πάροινον intelligit τὸν ὑβριστὴν, homil. X. in 1. Tim. III. ὃ τὸν μέθυσον (inquit) ἐνταῦθα φησὶν, ἀλλὰ τὸν ὑβριστὴν, τὸν αὐθάδη. In jure canonico præclari exstant hac de re canones: dist. 35. in principio: *Quod episcopus non debeat esse vinolentus ex auctoritate vet. test. introductum est. Ministri enim templi prohibentur vinum & siceram bibere, ne ebrietate graventur corda eorum, ut sensus eorum semper vigeat, vel quia venter mero aestuans, facile despumat in libidinem.* c. Episcopus &c. dist. eadem ex can. apost. *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens aut desinat, aut certe damnetur.* c. Ante omnia. dist. eadem ex conc. Agath. *Ante omnia clericis vetatur ebrietas, quae vitiorum omnium nutrix ac fomes est. Itaque ille, quem ebrium fuisse constiterit, aut 30. dierum spatio a communione submoveatur, aut corporali subdatur supplicio.* Dist. 44. in principio: *Cum vinolentus esse prohibetur episcopus, gulae intemperantiam nequaquam habere permittitur, neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur, utrumque enim inter opera tenebrarum apostolus commemorat* Rom. XIII. 13. *Ventris namque ingluvies ad luxuriam provocat facile, & omne opus bonum dissolvit, unde Hieronymus ad Amandum: Venter & genitalia sibimetipsis vicina sunt, ut ex vicinitate membrorum confæderatio intelligatur vitiorum. Hinc Nabuzardam princeps coquorum muros Hierusalem destruxisse legitur, quia venter, cui multitudo coquorum deservit, aedificia virtutum ad solum redigit. Sacerdos itaque de altari vivere, non luxuriari quaerat.* c. Non oportet. dist. eadem ex concil. Laodic. cap. 24. *Non oportet clericos servientes a presbyteris usque ad diaconos, & deinceps ordinis ecclesiastici omnes &c. tabernas nisi causa necessitatis ingredi.* Eadem constitutio repetita est in const. eccles. elect. Saxon. artic. generali XVI. p. 337. c. Clerici. dist. eadem ex concil. Carthag. III. cap. 27. *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.* c. Pro reverentia dist. eadem ex concil. Tolet. IV. cap. 7. *Pro reverentia Dei & sacerdotum id universa constituit synodus, ut (quia solent crebro mensis otiosae fabulae interponi) in omni sacerdotali convivio lectio divinarum scripturarum immisceatur, per hoc enim & animae aedificantur ad bonum, & fabulae non necessariae prohibentur.* IV.) Ἀλλὰ νηφάλιος, *sobrius*; 1. Tim. III. νηφάλιος. 2. ut autem apud Latinos sobrius non solum de sobrietate corporis, sed etiam de sobrietate mentis, vigilantia scilicet, prudentia & adtentione usurpatur, ita quoque apud Græcos νηφάλιος in utraque significatione ponitur. Sicut & νήφειν tum opponitur τῷ μεθύειν, tum de eo dicitur, qui est vigilans, prudens & circumspectus. Epicharmus apud Lucianum & Ciceronem, νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, *animo enim sobria ac prudens in sicco habitat*, unde cum γρηγορεῖν conjungitur 1. Thess. V. 6. 1. Petr. V. 8. Eo respiciens Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. & in lib. de sacerd. νηφάλιον intelligit prudentem ac circumspectum, νηφάλιον, (inquit) τετάχθαι διορατικὸν, μυρίας ἔχοντα ὀφθαλμὰς, ὀξὺ βλέποντα καὶ μὴ ἀμβλύοντα τὸ τῆς διανοίας ὄμμα &c. *clarissima mentis acie praeditum, innumerosque haben-*

habentem omni ex parte oculos, quibus acutissime cuncta prospiciat. Et postea: ἄγρυπνον τοίνυν αὐτὸν εἶναι χρὴ, τὸν οὐ τὰ ἑαυτοῦ μεριμνῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν λοιπῶν, διεγήγερθαι χρὴ καὶ ζῆν τῷ πνεύματι, καὶ πῦρ πνέειν (ὡς εἰπεῖν) καὶ μᾶλλον στρατηγεῖ, καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ τὸ στράτευμα περιΐοντος, κάμνειν καὶ διανοεῖσθαι καὶ τὴν ὑπὲρ ἁπάντων ἔχειν φροντίδα καὶ μέριμναν. *Vigilantem necesse est esse illum, qui non tantum sui curam habet, verum etiam reliquorum. Decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est, ac spiritu vivere & affectus sui flammam operibus ipsis ostendere, ducesque omnes solicitudine atque industria superare, ut die noctuque exercitum & castra perlustret, laboret, & sui officii munus diligentissime impleat, atque omnium curam & solicitudinem gerat.* Juxta hanc expositionem ὑπνάλιος pertineret ad officium ministri; sed quia additur σώφρων, commodius intelligitur de corporis sobrietate, ut Lutherus etiam reddidit, *nüchtern*, qua ratione est virtus sexti præcepti opposita πορνείας vitio. V.) Σώφρων, qui est mente prudenti, *prudens, sobrius*, ut versio vulgata reddidit. Vsurpatur etiam pro moderato ac temperante, sicut Demosthenes & Æschines σώφρονα καὶ μέτριον εἶναι conjunxerunt, unde Lutherus hoc loco vertit *mäßig*; σωφροσύνη non solum est prudentia, sed etiam temperantia, moderatio, dicta Aristoteli lib. VI. ethic. cap. 5. quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν; quæ tamen etymologia non probatur Stephano. Aristoteles lib. I. rhet. scribit, σωφροσύνην εἶναι ἀρετὴν, δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τὸ σώματος ἔτως ἔχομεν, ὡς ὁ νόμος κελεύει, eique opponi ἀκολασίαν. Hieronymus reddidit *castum*, in qua significatione apud Euripidem usurpatur. Erasmus in adnot. σώφρων Græcis non tam prudentem sonat, quam sobrium & sanæ mentis, ut intelligamus animum sibi præsentem & nullis temulentum cupiditatibus. σώφρων.

§. CCLXXXII. Ceterum ex eo, quod episcopus hic prohibetur esse πάροινος, recte colligit constitutio ecclesiastica elect. Saxon. art. generali XVI. p. 338. *Es sollen sich die Pfarrer des Weins und Bierschenkens enthalten &c. daß sie nicht schenken, Zeichen ausstecken, oder Gäste zur Zeche im Hause setzen, daraus grosses Aergernis der Kirchen, und ihnen den Pfarrern mehrmahls grosser Schimpf, Spott, Gefahr, Nachtheil und Schaden erfolget, derwegen es keinem Kirchendiener gestattet, sondern bey allen mit Ernst abgeschaffet werden soll.* Congruit hæc constitutio cum decreto sextæ synodi citato c. Nulli dist. 44. *Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium habere. Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset aut deponatur.* (*) Ac nititur justissimis rationibus: 1.) enim ζυθέψησις illa, hoc est, coctura & negotiatio cerevisiaria *auctoritatem ministerii* dedecet, verbi namque præconem & ecclesiæ doctorem non convenit esse οἰνοπώλην, ac cerevisiæ coctorem: 2. Tim. II. 4. nemo, qui militat, ἐμπλέκεται ταῖς πραγματείαις τοῦ βίου. 2.) *Libertatem arguendi ἀσωτίαν* auditorum labefactat, siquidem privati commodi causa ad potandum eos potius invitabunt. 3.) *Occasionem luxuriae* liberis & domesticis ministrorum exhibet, cum tamen diserte præcipiat apostolus Tit. I. 6. quod *episcopus debeat habere τέκνα μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας*, testis enim est experientia talium cerevisiarum coctorum liberos utplurimum degenerare in decoctores & κυπελλομάχους. 4.) *In multa a ministerio aliena* animum pastoris distrahit, & efficacem dat causam, ut multa reprehensione dignissima audire, videre ac

(*) Vid. *can. apostol. LIII.* al. *LIV.* Add. concil. *Laodicen. c. XXIV.* & *Carthaginense* tertium, *c. XXVII.* ubi cum pœnæ ecclesiasticæ denunciatione vetatur clericis, ne in publico diversorio adpareant, nisi essent in itinere, vel alia ejusmodi necessitate id facere cogerentur. Vid. BINGHAMVM in *orig. ecclesiast. vol. VIII. p. 95. seqq.*

ac perferre cogatur. 5.) *Repugnat aedium parochialium honestati*, & ἑπομένως etiam templi sanctitati, quippe cui ædes parochiales consueverunt esse vicinæ. Ecquid enim turpius esse potest, quam tabernam cerevisiariam erigere loco templo vicino? Christus certe ementes ex atrio templi binis vicibus expulisse legitur Joh. II. 15. Luc. XIX. 45: 6.) *Adversatur apostolorum* in docendi munere *fidelitati*, quorum tamen imitatores decebat esse sinceros pastores: Act. VI. 2. *ἐκ ἀρεσὸν*, inquiunt, *non est aequum ac decens nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Quia vero jure municipali respectu ædium propriarum talis cerevisiæ coctura quibusdam pastoribus videtur concedenda, ideo constit. eccles. dicto loco hanc adhibet moderationem atque ἐπείκειαν. *Das vom Wein und Bierschenken ist vermeldet, soll also verstanden werden; da den Kirchendienern eigener Wein wüchse, oder zu Decem gefiele, oder sie auf der Pfarr, oder sonsten Gerechtigkeit hätten, Bier zu bräwen, mehr dann sie zur Haushaltung bedürfften, oder eigene Häuser hätten, darauf sie zu bräwen befugt, dass ihnen solches bey Fassen, Eymern und Tonnen andern Leuten zu verkauffen unverwehret seyn soll.*

μὴ αἰσχροκερδῆς. §. CCLXXXIII. Ad septimum decalogi præceptum pertinet, quod episcopus debeat esse 1.) *μὴ αἰσχροκερδὴς, non turpis lucri cupidus*, non sectans lucra turpia: 1. Tim. III. 3. Tit. 7. *αἰσχροκερδὴς* ab *αἰσχρὸς καὶ κέρδος*, quibusdam est turpi lucro deditus, sordidum faciens quæstum: quibusdam vero non deditus turpiter lucro; sed prior expositio præferenda, nam possit generaliter dici turpiter lucro esse deditus, qui supra modum ei studeat, ejusque sit avidus, alioquin tamen minime sordidi. *αἰσχροκερδείας* vox exstat apud Demosthenem adversus Æschinem, *τῆς ἰδίας ἕνεκ' αἰσχροκερδείας τὰ κοινῇ συμφέροντα προέντο, commodis publicis lucrum privatum, idque turpe praetulerunt.* Budæus monet, *αἰσχροκέρδειαν* notare vitium *πλεονεξίᾳ* cognatum, avari enim solent esse *αἰσχροκερδεῖς*, quippe quibus *lucri bonus est odor ex re qualibet.* Petrus quoque admonet presbyteros, ut officii sui partes exsequantur *μὴ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως.* Chrysostomus homil. II. in cap. 1. Tit. *μὴ αἰσχροκερδῆ, τετέχνηται πολλὴν ὑπερορῶσαν χρημάτων ἐπιδεικνύμενον.* (*) Lutherus vertit: *der nicht unehrliche Handthierung treibt.* Ex hoc canone apostolico desumtum est illud in constit. eccles. elect. Saxon. dicto loco: *Es sollen sich die Pfarrer aller unehrlichen Handthierung, wie auch des Weins und Bierschenkens, Kauffmannschafft, Vorkaufs auf Wucher und dergleichen Händel gänzlich enthalten.* Αἰσχροκερδείας exempla in papatu passim erunt obvia, si respicere velimus nundinationes missarum, indulgentiarum, jubilæos, taxam pœnitentiariam curiæ Romanæ, in qua pro quovis peccato certum exigitur pretium, ut merito de clericis papalibus intelligatur illud Petrinum 2. Epist. II. 3. *ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται.* Vtinam vero *αἰσχροκερδείας* exempla a nostrarum ecclesiarum pastoribus penitus exsularent! de quibusdam certe usurpare cogimur illud poëtæ:

Iliacos intra muros peccatur & extra!

II.) Ἀλλὰ ἀφιλάργυρος, *alienus ab avaritia*, 1. Tim. III. 3. *φιλαργυρία* est argenti amor, pecuniæ cupiditas, *φιλοχρηματία, ὑπόληψις τοῦ τὸ ἀργύριον καλὸν εἶναι*, ut Hesychius exponit, quam apostolus dicit esse *ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν.* 1. Tim. VI. 10. *ἀφιλάργυρος* igitur erit, qui non est huic vitio obnoxius, non amans pecuniæ. Lutherus: *nicht geitzig.* Hebr. XIII. 5. *ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος, ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν*, ubi *φιλαργυρία* opponitur *αὐτάρκεια*, qua quis *χέρνει τὰ πάροντα* sua sorte ac præsentibus contentus vivens.

§. CCLXXXIV. Ad octavum decalogi præceptum pertinet, quod ministri ecclesiæ non debeant esse *δίλογοι, bilingues*, 1. Tim. III. 8. ubi in specie de diaconis illud requiritur, sed in genere ad omnes ecclesiæ

μὴ δίλογος.

(*) Plura loca huc spectantia adduxit Binghamvs *loc. cit. vol. II. p. 401. & vol. VIII. p. 69.*

clesiæ ministros recte refertur. δίλογοι dicuntur, qui

Ore aliud promunt, aliud sub pectore condunt,

quos scriptura alibi dicit *loqui corde & corde*, Lutherus: *zweyzüngig*; Chrysostomus homil. XI. in 1. Tim. μὴ διλόγους, τουτέστι μὴ ὑπούλους μηδὲ δολερούς, quod vitium hypocriseos politicæ prudentiæ schemate velatum multis hodie commune est, sed a ministris ecclesiæ abesse debet quam longissime, rationem addit Chrysostomus loco dicto. οὐδὲν γὰρ οὕτως ποιεῖν εἴωθεν ἀγενές, ὡς τὸ δολερόν, οὐδὲν οὕτως ἄχρηστον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὡς τὸ ὕπουλον. Minister, qui in societate civili est δίλογος καὶ δίγλωσσος, fidem sibi derogat in ipsa verbi prædicatione. Atque hæ sunt virtutes, episcopi personam, vitam & mores concernentes, quas cum aliis vere piis habet communes, in quibus ut reliquos tanto antecedat intervallo, quanto ab ipsis distat officii & dignitatis fastigio, summopere conari debet. Virtutes episcopi *propriae* ipsius officium & doctrinam concernentes hæ sunt, quod debeat esse διδακτικὸς, δυνατὸς παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, de quibus suo loco egimus uberius.

5.) *Disciplinae ecclesiasticae administratio.*

§. CCLXXXV. Diximus hactenus de *quarto* ministrorum officio, quod est vitæ & morum honesta gubernatio, succedit *quintum*, quod est *disciplinae ecclesiasticae administratio*. Quemadmodum in ordine politico & œconomico, ita quoque in ecclesiastico requiritur certa disciplina, absque qua ut illic subditi ac domestici, ita hic auditores in officio contineri nequeunt. *Objectum* disciplinæ ecclesiasticæ sunt homines in domum Dei ac familiam Christi recepti ἁμαρτάνοντες: Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus*; præoccupati aliquo παραπτώματι, Gal. V. 1. qui redarguendi, objurgandi & corrigendi, ut in viam redeant, & juxta verbi præscriptum officium suum faciant. Tales *lapsus* sunt duplices: circa *doctrinam* & circa *mores*. Lapsus circa *doctrinam* est error in dogmatibus, qui vel ex simplici ignorantia oritur, neque conjunctam habet pertinaciam, vel ex malitia & improbitate originem habet, & contemto ecclesiæ judicio ex scripturis prolato pertinaciter defenditur, qua ratione in hæresin degenerat. Lapsus circa *mores* est delictum aliquod vitæ verbis, aut factis commissum. Estque vel *publicum*, vel *privatum*. Publicum, quod vel palam gestum, vel publice notum & cum manifesto scandalo conjunctum. Privatum, quod occulte perpetratum, cujus unus vel pauci duntaxat conscii sunt, nec cum publico & notorio scandalo conjunctum est. Vtrumque vel ex ignorantia, vel infirmitate, vel malitia est commissum. Correctio instituitur vel publice coram omnibus, vel privatim, ac spectat vel unum aliquem delinquentem in specie, vel promiscuum auditorum cœtum, sive παιδείαν in genere. *Gradus* correctionis tres sunt: 1) νουθεσία, *commonefactio*, ac ἐπιτιμία seu ἐπιτίμησις, objurgatio ac increpatio. 2.) *Excommunicatio minor*, quæ est suspensio ab usu cœnæ ad tempus. 3) *Excommunicatio major*, qua quis ex ecclesiæ communione ejicitur. Quemadmodum enim in vet. test. leprosi & immundi ex castris Israelitarum ejici jubebantur; Num. V. 2. sic notoriis & publicis delictis velut lepra quadam infecti, inque illis sine pœnitentia perseverantes ex excommunicationem ex ecclesiæ consortio debent ejici. Quidam addunt 4.) *anathema*, Hebr. חֵרֶם, quo inemendabilis æterno exitio devovetur, Gal. I. 8. 1. Cor. XVI. 22. sed hæc non tam ecclesiasticæ disciplinæ pars, quam tremenda ex spiritu prophetico facta exsecratio. Ecclesiasticæ huic disciplinæ in ecclesia primitiva cumprimis præfecti erant presbyteri, sive seniores, in quorum locum consistoria ecclesiastica hodie successerunt.

Canones de ecclesiastica disciplina.

§. CCLXXXVI. Canones de ecclesiasticæ disciplinæ administratione: 1.) *In delictis privatis privata νουθεσία faciendum est exordium*

dium, antequam ad publicam ἐπιτιμίαν progressus fiat. Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum*: v. 16. *si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos*; v. 17. *si non audierit eos, dic ecclesiae;* ubi ne quis existimet, Christum loqui in specie duntaxat de privatis illis offensis, quibus alter alteri in vita communi est molestus; notandum, phrasin græcam εἰς σὲ etiam reddi posse *apud te, coram te*, sive te conscio, ut in genere Christus loqui intelligatur de quibusvis delictis proximo conscio admissis. 2) *In hac ipsa privata νουθεσία debita adhibenda est prudentia.* Qui enim ex ignorantia, vel infirmitate peccavit, illi sufficit blanda admonitio cum exhortatione ad cavendos futuros lapsus; sed qui ex malitia peccavit, is severiori castigatione excipiendus est. Ambrosius lib. VIII. in Luc. *Plus proficit amica correptio, quam turbulenta accusatio, illa pudorem incutit, haec indignationem movet.* Neque in hac disciplinae ecclesiasticae administratione privatis indulgendum est adfectibus, 1. Tim. V. 21. sed ad lapsi conversionem & salutem, velut ad unicum scopum, omnia dirigantur. 3.) *Publice peccantes & lapsu suo publicum scandalum exhibentes publice etiam corrigendi sunt*: 1. Tim. V 20. *Peccantes* (cum publico scilicet scandalo) *coram omnibus argue, ut & caeteri timorem habeant.* Gal. II. 14. cum Paulus videret Petrum publice peccare, *coram omnibus* illum reprehendit. (*) 4.) In publica νουθεσία itidem prudentia adhibenda est, *ne excedat medicina modum.* Augustinus epist. LXIV. ad Aurelium *severitate erga peccata paucorum utendum esse* suadet, *sed in delictis, quae totam multitudinem invaserunt, ac velut in mores abierunt*, sic scribit: *Non aspere quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tollantur, sed magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Misericorditer corripiat homo, quod potest, quod autem non potest, patienter ferat, & cum dilectione gemat ac lugeat.* 5.) Severitatem disciplinae & correctionis semper temperet *mansuetudo lenitatis.* Concilium Bracarense III. can. 6. *Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiae increpatio nec increpationem recipit, nec salutem.* (**) Ambrosius libr. XX. moralium cap. 6. *Disci-*pli-

(*) Circa peccata igitur reprehendenda non unus idemque teneri debet modus. Alia aperte & vivis coloribus depingenda, alia tecte perstringenda, quorum adcuratior descriptio non neminem ad imitationem instrueret; alia lenius, alia acrius; quae omnia certis regulis comprehendi vix possunt, sed prudentiae & fidei pastoris, tanquam animarum medici, relinquenda, qui, quibus haec vel illa conveniant, nosse exacte debet, & ut prudens architectus ac fidus dispensator, 1. Cor. III. 10. IV. 1. opportune & importune instando 2. Tim. IV. 2. adhibere.

Quæritur autem hoc loco: *an actio contra ministrum verbi, qui in taxandis auditorum delictis vehementior fit, danda & concedenda?* Actionis illius duae possunt constitui partes, quarum una est praeparatoria, nempe querelae delatio, & ex hac citatio; altera cognitio causae & cognitae dijudicatio. De priori quoad citationem hic est quaestio, non de posteriori: an permittendum sit, ut in jus sine discrimine vocentur quilibet ministri, id est, tam ii, quorum notus & exploratus est zelus secundum scientiam, Phil. II 22. quam qui eo destituuntur. Rom. X. 22. Negativa quoad priores probatur 1.) ex dicto apostoli: 1. Tim. V. 19. *Adversus presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.* 2.) Ex causa legis. Qui quod bene mereri de aliorum æterna salute totaque ecclesia unice studeant, multorum insidiis & calumniis obnoxii, contra eos non est nisi sub dicta conditione admittenda adcusatio. De presbyteris bonis & eorum similibus verum est antecedens. Ergo &c. 3.) A consequentibus incommodis. Vera ecclesia hoc processu offenditur, quae titulo tenus hoc nomine gaudet, in sua perversitate confirmatur, & ad majores in ea progressus faciendos incitatur. Tarnovius de minist. q. 6. Gerhardvs.

(**) Gregorius lib. I. epist. XXV. *Arca, id est, ecclesia & respublica ejusque praeses habeat tabulas legis, virgam disciplinae & correctionis, manna dulcedinis in gubernatione. Hinc Samaritanus vulnerato infundit oleum & vinum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Sit ergo amor, sed non emolliens, sit vigor, sed non exasperans.* Vide eumdem part. II. pastoral. cap. 6. & lib. XX. moral. cap. 6. Quidam rex prudentissimus insigne sibi voluit esse gubernationis punicum malum, quod dulcedinem habet acrori permixtam. Gerhardvs.

ſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur, ſed circa ſubditos ineſſe debet rectoribus & juſte conſulens miſericordia, & pie ſerviens diſciplina. Hinc eſt, quod ſemivivi illius vulneribus, qui a Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur & oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, quatenus unusquisque, qui ſanandis vulneribus praeeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis. Per vinum mundantur putrida, per oleum ſananda foventur, Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum ſcripturae ſacrae ſcientia eſt in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. *Virga etenim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Sit ergo diſtrictio juſtitiae, quae feriat, ſit & conſolatio baculi, quae ſuſtentet. Sit itaque amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderate ſaeviens; ſit pietas, ſed non plus, quam expediat, parcens.* 6.) *Ad excommunicationem* praeſertim majorem non deſcendatur, niſi omnibus prius fruſtra tentatis in peccatore, eſt enim ut ſummum & ultimum, ita maxime formidabile eccleſiae judicium. 7.) *Nec major nec minor excommunicatio* ab eccleſiae miniſtro absque eccleſiaſtici ſenatus, ſive conſiſtorii, judicio ſuſcipiatur, quia poteſtas excommunicandi non eſt penes unum aliquem epiſcopum, ſed penes presbyterium, quod repraeſentat totam eccleſiam; Matth. XVIII. 17. *Dic eccleſiae; ſi eccleſiam*, hoc eſt, presbyterium, & conventum ſeniorum *non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus*, ex communione eccleſiae ſeparatus. Quinimo major excommunicatio non niſi conſcia & adprobante tota eccleſia fieri debet. 1. Cor. V. 4. *Vobis cum ſpiritu meo congregatis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti conſtitui ſatanae tradere ejusmodi hominem.* 2. Cor. II. 6. *Sufficit iſtius modi homini iſta increpatio ὑπὸ τῶν πλειόνων a pluribus facta.* Graviſſima in eccleſia negotia ſuſcipi non debent ſine totius corporis eccleſiaſtici conſenſu, & ut Leo papa ſcribit, *quae ad omnes pertinent, cum conſenſu omnium fieri debent.* Quid vero poteſt eſſe gravius, & quid majus ad eccleſiae corpus pertinet, quam membrum aliquod a corpore abſcindere? Ac ſi a familiari & ordinaria converſatione cum excommunicato tota eccleſia abſtinere debet, utique neceſſarium eſt, ut in congregatione totius coetus & cum tacita ejusdem adprobatione excommunicatio ſuſcipiatur. 8.) Denique *in uſu clavium* miniſtro diligenter cavendum, ne ligandos ſolvat, vel ſolvendos liget, cum apud Deum *non ſententia ſacerdotum, ſed vita reorum quaeratur*, ut ait Hieronymus in XVI. Matth. *cumque clavis poteſtatis nihil operetur ſine clave ſcientiae & diſcretionis.*

§. CCLXXXVII. Quaeritur hoc loco: *An liceat miniſtris eccleſiae magiſtratum peccantem publice arguere?* Quidam politici putant, tales reprehenſiones honori magiſtratui debito repugnare, ejusque exiſtimationi detrahere, quin & ſeditioni anſam praebere. Quidam etiam aulici concionatores, animadvertentes, tales reprehenſiones magnatibus parum gratas, ſibi vero periculoſas eſſe (ſaepius enim coguntur audire illud, quod rex Amaſias prophetae idololatriam adcuſanti dixit 2. Paral. XXV. 16. *Num conſiliarius regis es? quieſce, ne interficiam te.* Et Amos VII. 12. *Heus tu videns abi; fuge in terram Juda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi*: v. 13. *& in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes, quia ſanctuarium regium eſt & domus regni eſt*) redduntur in officio ſuo negligentes. Sed opponimus illis 1.) *mandatum generale*, quo miniſtri eccleſiae absque ullo perſonarum diſcrimine jubentur peccata redarguere; Eſaj. LVIII. 1. 1. Tim. V. 20. nuſpiam vero additur illa limitatio, quod privatorum quidem delicta

delicta arguenda sint, non autem magistratus. 2.) *Mandatum speciale*, quo magistratum etiam arguere jubentur ecclesiæ ministri. Exod. VI. 11. dicit Deus ad Mosen: *Ingredere & loquere ad Pharaonem, regem Aegypti, ut dimittat filios Israel.* Jer. XIII. 18. *Dic regi & dominatrici: Humiliamini, sedete in terra.* Ezech. XXXI. 1. *Factum est verbum Domini ad me, dicens:* v. 2. *Fili hominis, dic regi Aegypti & populo ejus.* 3.) *Exempla prophetarum, apostolorum & ipsius Christi*, qui non solum privatis & plebejis, sed etiam publicis & in magistratu constitutis personis delicta ipsorum ob oculos posuerunt. Moses & Aaron divino mandato obsecuti Pharaonem, Ægypti regem, graviter reprehendunt, quod populum Israeliticum dimittere nolit; Exod. VII. VIII. & IX. Samuel oburgat regem Saulem; 1. Sam. XV. 19. Nathan Davidem; 2. Sam. XII. 9. Elias Achabum; 1. Reg. XVIII. 17. Esaias Ezechiam; Esaj. XXXIX. 6. Jeremias c. XXXII. 4. Sedeciæ regi denunciat abductionem in captivitatem; Michas propheta c. III. 1. inquit: *Audite principes Jacob & duces domus Israel: Numquid non vestrum est scire judicium?* c. VI. 2. *Audite montes judicium Domini, & fortia fundamenta terrae.* Johannes Baptista ad regem Herodem dixit: *Non licet tibi habere fratris tui conjugem in uxorem*, idque *audientibus omnibus*, ut Chrysostomus adnotat. Matth. XIV. 4. Ambrosius redarguit Theodosium ob nimiam crudelitatem in cives Thessalonicenses. (*) 4.) *Ecclesiastici officii dignitatem.* Quamvis enim personæ & res ministrorum certo modo sublint magistratui, illorum tamen officium non agnoscit ullum alium Dominum, quam solum Christum, pro quo legatione funguntur: 2. Cor. V. 20. Ergo quod doctrinam & ministerium arguendi adtinet, illius respectu non magistratui, sed soli Deo se subesse noverint. Lutherus tom. VI. Jen. germ. fol. 384. *Das Predigampt ist nit ein Hofdiener, oder Bawrenknecht, sondern es ist GOttes Diener vnd Knecht, vnd sein Befehl gehet über Herr vnd Knecht.* Arguere peccata est Spiritus sancti opus, Joh. XVI. 8. ille est, qui loquitur per ministros, Matth. X. 20. quando ergo ministri arguunt magistratum peccantem, *Deus inter deos dijudicat*: Ps. LXXXII. 1. 5.) *Redargutionis hujus utilitatem.* Cedit enim ea magistratui in bonum, ut a peccatorum cursu ad pœnitentiam revocetur, & ad vitæ æternæ hæreditatem perducatur. Quod autem fit juxta Dei mandatum & ad magistratus bonum, illud non judicandum existimationi ejus detrahere, aut seditioni ansam præbere. 6.) *Redargutionis illius necessitatem.* Necessaria enim est tum respectu Dei mandantis, cui obedire tenentur ecclesiæ ministri: Jer. I. 7. *Ad omnia, ad quae mittam te, ibis, & universa, quaecunque mandavero tibi, loqueris;* tum respectu ipsorummet ministrorum, qui non tantum pro animabus subditorum, sed etiam ipsius magistratus rationem in judicio extremo reddere cogentur, Ezech. III. 17. XXXIII. 7. Hebr. XIII. 17. quibus insuper officii ratione necessitas incumbit pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicandi omnibus hominibus: Lucæ XXIV. 47. utique ergo etiam magistratui; tum denique respectu ipsius magistratus, qui ex verbo Dei arguendus & informandus, si ad agnitionem peccatorum, conversionem & salutem perduci debet. Quinimo cum magistratuum peccata exemplo plurimum reipublicæ noceant; (quod enim ipsi faciunt, sibi quoque licere subditi arbitrantur, &

Regis ad exemplum totus componitur orbis)

ideo

(*) Gregorius, monachus Dominicanus, ecclesiastes aulicus ducis Saxoniæ Friderici, qui admodum a Luthero & cæteris probabatur, cum aliquando pro concione vitia in principibus taxare vellet, nec palam id facere auderet, arte in populum derivavit hac usus similitudine: *Concionator non absimilis est ei, qui detrahit lepori pellem. Etsi enim a toto corpore facile detrahatur corium, tamen cum ad caput ventum est, aliquid est difficultatis: ita concionator dum populi vitia taxat, non est, quod metuat difficultatem, sed cum ventum est ad caput* (digitis inter hæc monstrans principem adstantem) *so streif dich einander. Princeps monacho dedit novam cappam.* Wolffius cent. XVI. pag. 149. GERHARDVS.

ideo magistratuum delicta arguere vel maxime necessarium est, quemadmodum cura corporis initium accipit a medicina capitis. Interim addimus, *a*) ut in aliorum hominum, ita vel maxime in magistratus reprehensione predentiam esse adhibendam, cujus exemplum proponitur in Nathane, 2. Sam. XII. 1. & seqq. & in propheta anonymo, 1. Regum XX. 39. qui ex Davidis & Achabi ore sententiam condemnatoriam contra ipsos prolatam singulari arte elicuerunt. *b*) Distinguendos esse leviores nævos a delictis notoriis & enormibus, item delicta occulta a flagitiis manifestis, ne propter leviora, vel occulta peccata magistratus statim publice redarguatur. *c*) Sedulo cavendum, ne redargutorium Spiritus sancti officium in tribunitios clamores ad seditionem contra magistratum excitandam comparatos degeneret. Pii ministri sunt præcones conversionis, non autem tubæ seditionis. *d*) Officium magistratus a vitiis personarum officium illud administrantibus recte distinguendum. Vitia magistratus non minus quam subditorum ab ecclesiæ ministro argui possunt & debent, interim officii dignitas & ministro, & subditis, debet esse sacrosancta. (*)

6) *Rituum ecclesiasticorum conservatio.*

§. CCLXXXVIII. *Sextum* ecclesiæ ministrorum officium versatur in *rituum ecclesiasticorum conservatione.* Institutio quidem illorum rituum non pertinet ad solos ecclesiæ ministros, sed simul ad magistratum christianum, ac totius ecclesiæ consensu fieri debet; interim tamen ministris recte tribuitur eorumdem conservatio, ne scilicet privato arbitrio ritus publica ecclesiæ auctoritate receptos mutent, vel abrogent, sed tuendæ concordiæ & promovendæ εὐταξίας causa eos conservent. Quamvis enim ecclesiastici ritus sua natura sint ἀδιάφοροι, cum in verbo Dei neque præcepti, neque prohibiti sint, nec partem aliquam cultus divini per se constituant; tamen eorum abrogatio non debet fieri ab una duntaxat ecclesiæ parte, ne arbitraria ac temeraria illa abrogatione 1.) peccent contra christianam libertatem, cujus usum moderatur caritas, quæ diligenter cavet, ne præpostero adiaphorum usu proximus scandalizetur: Rom. XIV. 15. 1. Cor. VIII. 9. 2.) Neve violetur εὐταξία & auctoritas ecclesiæ. 3.) Denique ne contemtui habeatur præceptum apostolicum, quod in rituum ecclesiasticorum vel institutione, vel abrogatione, omnia fieri debeant πρὸς οἰκοδομήν. 1. Cor. XIV. 12. Consequens hujus canonis est, quod hostibus veritatis introductionem & abrogationem alicujus ritus ecclesiastici urgentibus ministri ecclesiæ, ne quidem ad horam cedere debeant, *a*) ne libertas christiana adversariorum libidini subjiciatur, & sub jugum hominum captivetur: Gal. V. 1. *In libertate, qua Christus vos donavit,*

(*) Quæritur: *An quis possit alteri, quam ordinario suo pastori, confiteri, & absolutionem ab ipso petere?* Negatur: 1.) A scriptura: 1. Petr. IV. 15. nemo patiatur ut ἀλλοτριοεπίσκοπος. Confer Act. XX. 28. 1 Petr. V. 2. Hebr. X. 25. c. XIII. 17. 2.) A canonibus sacris c. ut dominicis &c. in decretalibus Gregorii tit. de parœciis, ubi statuitur, quod dominicis, vel festis diebus presbyteri, antequam missam celebrent, plebem interrogare debeant, num alterius parœcianus sit in ecclesia, qui proprio contemto presbyterio ibi velit missam audire, quem si invenerint, statim ab ecclesia abjiciant. 3.) decreto concilii Carthaginensis, cui placuit, ut a nullo episcopo plebes alienæ, nec aliquis episcopus supergrediatur in diœceli suum collegam. 4.) Ab auctoritate Cypriani libr. I. epist. III. quæ est LV. in codice Goulartii: Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. Lutheri tom. V. Jenensis Germ. fol. 76. in expl. Psal. LXXXII. Bidembachii decad. II. consil. IV. quod est Hieronymi Mencelii p. 99. decad. III. cons. VI. quod est Tilem. Heishusii p. 128. 5.) A pari: Concionari enim in aliena parochia invito pastore nemini licet, nec baptizare, nec copulare quemquam. Ergo nec absolvere ex aliena, eique porrigere cœnam, etsi ibidem habeat villam, aut prædium, sed tamen alterius parœciæ sit membrum. 6.) Ab effectis incommodis: Turbaretur ordo divinitus institutus, ministerium orthodoxi pastoris contemneretur, si quis ad alienum pastorem abire vellet. GERHARDVS.

navit, state, & nolite jugo servitutis implicari, 1. Cor. VII. 23. *Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum.* Sic apostolus falsis fratribus, qui circumcisionem, quæ tunc temporis erat ἀδιάφορος, tanquam necessariam urgebant, *ne quidem ad horam voluit cedere*, ut in Tito eam admitteret, *subintroierant enim illi ad explorandam libertatem in Christo, ut in servitutem pios reducerent:* Gal. II. 4. *b*) Ne cessione aliqua adversariis facta in sua psychotyrannide reddantur audaciores, ac calumniandi occasio ipsis præbeatur. *c*) Ne videantur cum adversariis in confessione, cujus symbola ritus ecclesiastici habentur, colludere, sed verbo & factis in hoc casu confessionis veritati potius dent testimonium: Gal. II. 5. *Non cessimus illis subjectione, ut veritas evangelii permaneat apud vos.* 2. Cor. VI. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* 1. Thess. V. 22. *Ab omni specie mala abstinete.* *d.*) Ne infirmis occasionem scandali præbeant: illi enim si in gratiam adversariorum tales mutationes suscipi vident, in dubitationem de veritate & sinceritate confessionis facile conjiciuntur. Neque est, quod obtendatur vel *ipsa rituum ἀδιαφορία*, ea enim in casu confessionis cessat, vel *ecclesiae concordia*, ea enim nec cum detrimento veritatis, nec cum scandalo infirmorum, nec cum libertatis violatione quærenda, vel *exemplum apostoli*, qui *se omnibus omnia factum esse*, testatur 1. Cor. IX. 22. distinguendum enim inter fratres infirmos, & pertinaces evangelicæ veritatis adversarios.

7.) *Pauperum cura & ægrotorum visitatio.*

§. CCLXXXIX. *Septimum* denique ministrorum officium est *pauperum cura & aegrotorum visitatio.* Quod ad *curam pauperum* attinet, eam ministri ecclesiæ non debent a se alienam existimare, 1.) cum Christus in suo ministerio diligentem pauperum curam habuerit: Joh. XIII. 29. 2.) Cum Paulus de collectis in usum sanctorum in ecclesiis Galatiæ & Corinthiorum ordinationes fecerit: 1. Cor. XVI. 1. Gal. II, 9. *Jacobus, Cephas & Johannes dederunt mihi & Barnabae dexteras societatis &c.* v. 10. *tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam solicitus fui, ut facerem.* 3.) Cum in primitiva ecclesia ἀγάπαι, sive publica convivia in usum pauperum a ministris ecclesiæ ex collectis fuerint instituta. In concilio Gangr. cap. 11. *Si quis despicit eos, qui fideliter agapas, hoc est, convivia pauperum exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujusmodi convocationibus, parvi pendens, quod geritur, anathema sit.* Quamvis vero in ipsa apostolica ecclesiastica διακονία τραπεζῶν, a ministerio verbi fuerit distincta, ac certis quibusdam personis commissa, quæ ex eo dicebantur diaconi, Act. VI. 5. ad quorum exemplum præfecti ærarii ecclesiastici adhuc hodie constituuntur, quibus ecclesiasticorum bonorum collectio & dispensatio committitur; tamen non debent propterea ecclesiæ ministri judicare pauperum curam ad se nihil adtinere, sed tum crebra ad beneficentiam erga pauperes exercendam auditorum suorum exhortatione, tum hospitalitatis & beneficentiæ exemplo, tum ærarii ecclesiastici inspectione pauperum usibus subveniant. *Aegrotorum visitatio* eo nomine ecclesiæ ministro debet esse commendata, quod illi vel maxime evangelica consolatione erigendi, & contra mortis terrorem instruendi sint. Hac de re ita præcipit const. eccl. elect. Saxon. articulo generali XIV. fol. 332. *Es sollen die Pfarrer und Kirchendiener die kranken, betrübten, bekümmerten Christen oftmals, sonderlich aber zu Sterbenszeiten* (nota) *besuchen und trösten, und denselben auf ihr Begehren das Hochwürdige Sacrament des Leibes und Bluts Christi reichen, hierinnen willig und unverdrossen seyn, und solchen Dienst keinen aus Nachlässigkeit, oder Rachgier und Widerwillen gegen irgend einer Person unterlassen, auch eben gleich bereit seyn den Armen in solchen Fällen zu dienen, als den Reichen, und da sie bey den Kranken in Häusern grosse Armuth, Hunger, oder andere Gebrechen an nöthigen Dingen spühren würden, sollen sie die-*

dieſelbe den Vorſtehern des Kirchen-Kaſtens anzeigen, daſs ſolchen heimlichen armen Leuten, die ihre Nothdurft aus Scham niemand dörffen klagen, gerathen und geholffen werde. Auch ſollen ſie wohlhabende Bürger und Bürgerinne inſonderheit anſprechen, und chriſtlich vermahnen, daſs ſie ſolchen armen Hülf- und Wartloſen mit Gelde, Speiſe, Labung, leinen Geräth, und dergleichen behülflich und räthlich ſeyn. Es ſollen aber die Pfarrer und Kirchendiener den Unterſcheid und Gelegenheit jeder Perſon wohl in acht nehmen, und die Kranken mit langen verdrieslichen Worten nicht beſchwehren, ſondern ſie kurz und rund mit etlichen wenigen tröſtlichen Sprüchen heil. Schrift erinnern, lehren und tröſten, beſonders wenn ſie ganz ſchwach ſeyn. Der Urſach, wenn ein Eingepfarrtes unter ſeinen Zuhörern in beſchwerliche Krankheit gefallen, mit dem der Pfarrer des Kranken Seelen Seeligkeit zu gut etwas zu reden, ſoll der Pfarrer ſolches nicht bis auf die Lezte ſparen, ſondern auch unberuffen (nota) *ſich förderlich zu den Kranken finden, mit aller chriſtlichen Sanftmuth und Beſcheidenheit gebührende Erinnerung, Troſt und Vermahnung zu thun, weil der Kranke ſolches noch faſſen, und ſich chriſtlich zu ſeinem Abſterben ſchicken kann.* Quæ vero illius admonitionis & conſolationis præcipua debeant eſſe capita, late expoſuimus in conſtit. eccleſ. ab illuſtr. & celſiſſ. principe ac domino, domino Johanne Caſimiro, duce Saxoniæ ſenio-re &c. publicanda.

§. CCLXC. Atque hæc ſunt ſeptem potiora miniſtrorum eccleſiæ officia, ad quæ reliqua commode referri poſſunt. Apoſtolus ea omnia uno verbo complectitur 1. Cor. IV. 1. *Sic nos aeſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* v. 2. *Jam vero id unum quaeritur in diſpenſatoribus, ut fidelis quis inveniatur.* Quinimo fidelitas illa non ſolum ea officii munia, quæ in præcedentibus expoſita ſunt, ſed inſuper etiam duo alia complectitur: videlicet primo in *vocatione legitima conſtantiam*, ne ſcilicet deſultoria quadam levitate miniſter eccleſiæ officia eccleſiaſtica permutet, ſed in vocatione ſua, ad quam divinitus adſcitum ſe eſſe cogitet, permaneat; deinde *aliorum miniſtrorum ſurrogationem*, cum enim miniſtris eccleſiæ cum reliquis hominibus mortalitas communis ſit, ac ſubinde per beatum fidelium miniſtrorum obitum munia eccleſiaſtica vacare incipiant, ideo alios in eorum locum ordinare non ex re ſolum, ſed etiam neceſſitate eccleſiæ exiſtimandum. Sed de hoc poſteriore videlicet ordinatione ſolis epiſcopis per eccleſiaſticas conſtitutiones adtributa ſuperius diximus, quantum ſufficit; circa prius igitur quæramus: 1.) *An miniſtro eccleſiae liceat fugere tempore peſtis?*

1.) *An miniſtro liceat fugere tempore peſtis?*

Negamus 1.) Quia auditores eo tempore vel maxime ipſius opera & miniſterio indigent, ut de agenda vera ac ſincera pœnitentia admoneantur, & de beata εὐθανασίᾳ recte inſtituantur. 2.) Cum clades divinitus immiſſa, ſive peſtis, repente ſæviret, ac celeri progreſſa curſu quatuordecim mille & ſeptingentos homines abſumeret, *Aaron ſtetit inter vivos & mortuos* incenſo ſuo Deum placans: Num. XVI. 48. ſic miniſtris convenit, tempore peſtis θυμίαμα precum accendere, nec ullum ab ægrorum vel mortuorum vicinia periculum extimeſcere. Eſaias juſſu Domini ad regem Ezechiam peſte correptum intrat, & cataplaſma ex ficubus ulceri ipſius imponi jubet, cap. XXXVIII. 21. nec ullum ex eo ſentit nocumentum. 3.) Præpoſtera timiditas miniſtrorum fugientium infirmis ſcandalum præbet, & arguit diffidentiam erga promiſſiones divinas: Pſ. CXCI. 7. *Cadent a latere tuo mille & decem millia a dextris tuis, ad te autem non adpropinquabit.* Matth. X. 30. *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.* Heb. XIII. 5. *Ipſe dixit, non derelinquam te, nec deſeram te.* Harum promiſſionum veritatem exempla periculoſiſſimæ peſtilentiæ tempore edita comprobarunt, vide Exod. VIII. & VI. Euſebium lib. VII. hiſtor. eccl. cap. 21. Evagrium lib. IV. hiſtor. c. 28. Quidam addunt limitationem, quod liceat miniſtris eccleſiæ

tempore pestis fecessus quærere, si alios in suum substituant locum, qui non minore dexteritate, diligentia ac fide, quam ipsimet, ecclesiastici muneris partes obeant. Sed cavendum sedulo, ne scandalum præbeatur infirmis, quod vix præcaveri potest, si tempore pestis illi fugiant, quos reliquis exemplo suo prælucere, & ad fidem, caritatem, patientiam, beneficentiam alios exhortari æquum erat, etiamsi alios in suum locum substituant; interim non omnino improbandum videtur, si qua ecclesia ministris verbi compluribus instructa sit, & conveniat inter eos, uni, vel pluribus, officium ægrotos visitandi committere, vel etiam unum, vel plures, quorum opera ecclesiæ insigniter utilis esse possit, a se in loca tuta dimittere. (*)

§. CCXCI. Quæritur: II.) *An tempore obsidionis, vel persecutionis, ministro fugere liceat?* 2.) *An tempore obsidionis ac persecutionis?* Non agimus hoc loco de *fuga animi*, qua minister ecclesiæ errores doctrinæ, & vitia morum ac vitæ inter auditores invalescere videns potentiorum odia, vel alia pericula subveritus connivet, nec se instar muri castigando & reprehendendo opponit. De qua fuga præclare dicit Augustinus tract. XLVI. in Joh. *Quia tacuisti, fugisti, tacuisti, quia timuisti*, quamque prohibitam & damnatam esse nemo ambigit, sed quæritur de *fuga corporis* tempore obsidionis vel persecutionis instituta. (**) Sane fugam aliquando concessam esse, ostendit consilium Christi: Matth. X. 23. *Cum vos persecuti fuerint*

(*) Alii sic procedunt: *Quod non liceat pastori vel omnes, vel aliquas muneris sui partes tempore pestis intermittere, & earum curam alteri, quem pestilentialem vocant, commendando permittere*, probatur: 1.) Ex *scripturae dictis*: Ezech. III. 17. Act. XX 28. Hebr. XIII. 17. Qui citra ullam conditionem temporis periculosi constituti sunt gregis dominici pastores, eos oportet citra ullam conditionem, aut exceptionem quamcunque, ita vigilare pro animabus omnium suorum auditorum, ut possint Deo rationem sui officii eo modo administrati reddere, quemadmodum illud acceperunt. Omnes pastores sunt citra ullam conditionem temporis periculosi ecclesiæ constituti &c. Ergo. 2.) *Ab auctoritatibus*. Lutherus tom III. german. Jenensis fol. 426. in tractat. *Ob man für Sterben fliehen möge*. Wigandus libr. de persecut. & exilio p. 270. Binder in *διαλογ.* theolog. de causis pestis pag. 96. Winckelmannus tom. V. disput. Giessensis disput. XIV. thes. 23. Accedunt testimonia Calvini ep. CCCLXII. Bezæ in tractat. de peste. pag. 30. Vrsini part. II. exerc. pag. 514. Sohnii tom. I. in thesib. de hoc argumento p. 195. §.) Ex *rationibus*. a) Fugæ hujus causa non est legitima, neque enim nititur certa lege, vel petentis, vel indulgentis respectu. Petens est minister; at ille non habet causam fugiendi justam, sed impellitur partim diffidentia erga Deum, partim confidentia propriæ sapientiæ in quærendis mediis extra Dei verbum, qui debebat fide respicere promissiones divinas Ps. XCI. &c. Indulgens est ecclesia; at illa itidem destituitur causa legitima, nec ultra vocem sponsi sui præsertim ad suum incommodum quidquam disponere potest. b.) Si ecclesia periculosissimo suo tempore potest pastoris sui opera carere, & pastori in eodem statu licet vices alteri committendas permittere, potest idem & & quidem multo magis fieri tempore non tam periculoso, atque ita omnimoda cessatio ab officio indulgeri. At non hoc, quod partim ostendit ratio, quæ demonstrat, functionem unamquamque in peragendis functionis cujusque partibus sive operibus consistere, partim judicium & sententia nostrorum de otiosis pontificiorum episcopis. Ergo nec illud. c.) Animam singuli de gregariis militibus & ovibus Christi *debent ponere pro fratribus suis*, 1. Joh. III. 16. Ergo multo magis antesignani & duces id tenentur facere, Tarnovius de ministerio quæst. III. GERHARDVS.

(**) Lactantius lib. IV. cap. 18. *Christus secessit, non ut vitaret, quod necesse erat perpeti ac sustinere, sed ut ostenderet, quod ita fieri oporteret in omni persecutione, ne sua quis culpa incidisse videatur.* Augustinus in Ps. CXLII. *Corpore fugere licet, concessum est, permissum est, Domino dicente; Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Idem dictis & exemplis confirmat Athanasius in apologia de fuga sua. Idem Augustinus tract. XV. in Joh. *Vnusquisque servus Dei non peccat, si secesserit in alium locum, videns furorem persequentium se, aut quaerentium in malum animam suam. Videretur autem servus Dei peccare, si faceret, nisi in faciendo Dominus praecessisset. Fecit hoc ille magister bonus, ut doceret, non quod timeret.* Tractat. XXVIII. in Johan. *Futurum erat, ut aliquis fidelis absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur, & ne illi pro crimine objiceretur latibulum, praecessit in capite, quod in membro confirmaretur.* Atha-

fuerint, ex una civitate fugite in aliam; exemplum Chriſti, Matth. II. 13. c. XII. 15. Joh. VIII. 59. Luc. IV. 30. &c. apoſtoli Pauli, Act. IX. 25. 2. Cor. XI. 33. Polycarpi apud Euſebium libr. IV. eccleſ. hiſtor. cap. 15. Athanaſii apud Socratem libr. II. hiſtor. cap. 11. Theodoretum lib. II. cap. 4. Ruffinum lib. I. cap. 18. &c. (*) Diſtinguendum vero inter perſecutiones *ſingulares*, in quibus unius miniſtri perſona quæritur, & *communes* totius eccleſiæ perſecutiones: in illis fugam conceſſam eſſe dicimus, in his non niſi certo reſpectu. Diſtinguendum ulterius inter *ſtatus eccleſiarum*. Quandoque enim miniſter eccleſiæ conſenſu, imo ſuaſu auditorum ſuorum ita fugit, ut interim eccleſia, cui præfectus erat, aliis idoneis doctoribus non deſtituatur, quod licitum eſſe judicamus; (**) quandoque vero ita fugit, ut auditoribus ſuis, fugam nec ſuadentibus, nec in eam conſentientibus, ſcandalum, hoſtibus vero anſam calumniandi & inſidias oviculis ſtruendi occaſionem præbeat, quod illicitum eſſe arbitramur. c. Adverſitas. cauſ. 7. quæſt. 1. Gregor. *Adverſitas, quae bonis viris objicitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis. Quis enim neſciat, quam proſperum fuit, quod Paulus apoſtolus praedicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit, ſed tamen navis cordis in maris fluctibus integra ſtetit? Hoc etiam tunc obſervandum intelligitur, quando inter ſubditos aliqui inveniuntur, quibus praelatorum vita proficiat, quando nec ſpecialiter praelatus quaeritur, nec per alios tuta poteſt eſſe eccleſiae ſalus, ne ſi deſerere incipiat, quibus prodeſſe poteſt, dicatur de eo*: Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus oves non ſunt propriæ, videt lupum venientem, & deſerit oves & fugit. *Cum vero ſpecialiter quaeritur, fugiat exemplo Chriſti, qui a facie Herodis fugit in Aegyptum, fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum ſubmiſſus eſt in ſporta. Unde Auguſtinus ait*: (epiſtola CLXXX. ad Honoratum) fugiat miniſter Chriſti, ſicut Chriſtus in Ægyptum fugit. *Fugiat, qui ſpecialiter quaeritur, dum per alios eſt firma ſalus eccleſiae &c. Cum vero non praelatorum tantum, ſed totius eccleſiae ſalus quaeritur, fides impugnatur, neceſſe eſt, ut ex adverſo accedant, & in die belli ſeipſos ut murum opponant pro domo Domini, & animas ſuas ponant pro ovibus ſuis, ut exemplo ſuae paſſionis accendant, quos ſermone doctrinae diutius confirmare non valent.* Vide Lutherum tom. III. Jenenſ. germ. fol. 392. Auguſtinus d. l. cenſet ingruente gravi perſecutione *miniſtros eccleſiae nec omnes fugere debere, nec omnes mortis periculo ſe objicere*

Athanaſius quoque adfirmativam defendit in apologia pro fuga. Tertulliano negativa ſimpliciter tribuitur a Perkinſo libr. II. de caſibus conſc. cap. 12. pag. 342. & aliis, qui librum ejus de fuga adlegant, ſed Martyr claſſ. III. loc. comm. loco 12. §. 27. Aretius parte I. problem. loco II. p. 26. eum excuſant. Auguſtinus epiſt. CLXXX. ad Honoratum utitur diſtinctione. GERHARDVS.

(*) Adde Socratem libr. III. hiſtor. cap. 6. Nicephorum libr. X. cap. 16. hiſtor. tripartitem libr. IV. cap. 22. Matth. X. 16. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.* At illi latebras quærunt, cum vitæ ſuæ inſidias ſtrui ſentiunt. *Fugit Elias* 1. Reg. XIX. 3. Fugam probat Baſilius M. in homil. de Gordio martyre: Auguſtinus tract. XV. in Johann. Rationes: 1.) Cujuscunque operisp rincipium, objectum, modus circa illud verſandi & finis eſt legitimus, illud eſt licitum. Fugæ miniſtrorum verbi certis conditionibus circumſcriptæ omnia illa competunt Ergo 2.) Manere in eccleſia, quæ te gloriæ Dei propagandæ, conſcientiæ tuæ liberandæ & hoſtium judicii non adgravandi cauſa libere dimittit, eſt illicitum. Ergo ſecedere ex eadem ſub enumeratis conditionibus eſt licitum. Eodem modo argumentatur Athanaſius apud Socratem lib. III. cap. 6. Perſequi & occidere immerentem eſt peccatum. Ergo ſecedere & fuga ſibi ſalutem quærere non eſt peccatum. GERHARDVS.

(**) Præter conſenſum eccleſiæ, de quo fugienti conſtare debet, probe excutiendus & examinandus eſt fugienti ſuus animus & fugæ ſcopus. Ille ita comparatus eſſe debet, ut ſi remedium hoc non ſucceſſerit, ſed Deus ad mortem & martyrium ſeceſſione ſibi conſulere volentem revocet, paratus ſit etiam eum ſequi. Hic vero diuturniori vitæ hujus fruitione quærenda inprimis & potiſſimum Dei gloriam & eccleſiæ ſive proximi commodum, non ſuum, quod ſubrepit ex nimio amore vitæ longioris & cura ſuorum præpoſtera, ſpectare debet. Tarnovius de miniſt. quæſt. IV.) GERHARDVS.

cere, sed aliquos jubet manere, qui in praesenti calamitate ecclesiae magis usui videntur esse posse, caeteros vero dimittendos censet. Quodsi in delectu habendo inter eos non conveniat, quod omnes videantur aequales, sorte decernendum esse existimat.

3.) *An minister possit sponte abire propter auditorum pertinaciam?*

§. CCXCII. Quæritur III.) *An propter auditorum pertinacem improbitatem minister ecclesiae salva & illaesa conscientia officio suo abire possit?* De translatione ministrorum, quæ fit per legitimam & ordinariam ecclesiæ vocationem, itemque de remotione eorum, dictum fuit superius; hic vero quæritur de voluntario ministrorum abitu, an & quibus ex causis etiam nondum accepta ad alium locum vocatione minister officio suo se abdicare possit? Non esse simpliciter prohibitum voluntarium ministrorum abitum, patere potest ex quæstione proxima. Si enim in certis casibus propter persecutiones hostium licet fugere, utique etiam in certis casibus propter pertinacem auditorum improbitatem persecutioni æquiparandam officio abire licebit. Quando igitur fidelis ecclesiæ minister videt auditorum animos ita a se abalienatos esse, ut ex personæ odio ipsam quoque doctrinam contemnant, præstat causis abitus publice & solemniter expositis officio suo se abdicare, quam propter fastidium auditorum ægritudine & molestiis quotidianis confici. Sic Deus ipse Lothum ex Sodoma educebat, *cum ipsius auditores quotidie justam ejus animam iniquis operibus cruciarent.* 2. Petr. II. 8. Cavenda tamen in voluntario illo abitu omnis temeritas & præcipitantia, tentanda prius media reconciliationis omnia & causæ cognitio ad senatum ecclesiasticum superiorem, vel ad vicinæ ecclesiæ episcopos deferenda. Adcurate etiam circumstantiæ omnes sunt expendendæ. Quandoque enim pauci duntaxat ministro adversantur, quandoque auditores omnes, quod in priori casu non licet, in posteriori non improbandum. c. Adversitas. caus. 7. quæst. 1. *Est & aliud genus persecutionis* (præter violentam illam, quæ ab hostibus sustinetur); *nam abundans iniquitas christianorum ministro ecclesiae passio est, ut Loth corporalem persecutionem a nullo in Sodomis sustinuit, sed a malis eorum, cum quibus habitabat. Est ergo persecutio justi vel a leone in impetu, vel a dracone in insidiis. Cum autem a vitiis subditorum praelatus adfligitur, aliquando omnium est una & insatiabilis obstinatio, aliquando mali inveniuntur bonis admixti. Quando boni simul cum malis habitant, non sunt deserendi boni propter malos, ne perverse malos evitando vinciamus, quos fugimus, ad gehennam, sed potius mali tolerentur propter bonos.* Et postea: *Majus malum in separatione bonorum committimus, quam in conjunctione malorum fugiamus &c. quando vero omnium subditorum est obstinata malitia, nec prodest eis praelatorum praesentia, tunc etiam corpore licet ab eis recedere, ne illorum nequitia semper in deterius proficiat, & isti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu possent invenire,* c. Ibi adunati. caus. & quæst. iisdem ex Gregor. libr. 2. Dialog. cap. 3. *Ibi adunati aequanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, quibus adjuvantur boni. Nam ubi omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor supervacaneus, maxime si e vicino causae suppetant, quae fructum Deo valeant ferre meliorem. Saepe agitur in animo perfectorum, quod silentio praetereundum non est, quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant.* (*)

§. CCXCIII.

(*) Quæritur IV.) *An ministro verbi ordinario officio in ecclesia Dei fungenti liceat medicam artem simul exercere?* Mehlführerus decad. VI. vir. disput. II. thes. 93. respondet *negate.* 1.) *Si enim servus in vocatione, qua vocavit ipsum Dominus, manere debet, & sic quilibet alius;* 1. Cor. VII. 17. 20. 21. *multo magis pastor ecclesiae in sua vocatione, ubi satis laborum est, si cui fidelitas muneris cordi est, manere debet.* 2.) *Idem colligitur ex aliis praeceptis:* Sirac. XXXVIII. 25. *Non potest aliis rebus vacare, qui scripturam debet tractare.* 1. Thess. IV. 11. πραυχάζειν καὶ τὰ ἴδια πράττειν. Luc. IX. 62. *Qui manum*

Officia sacerdotum juxta pontificios 1.) *Offerre.*

§. CCXCIII. In pontificiali Romano quinque recensentur sacerdotum officia: 1.) *Offerre*: 2.) *Praeesse*: 3.) *Benedicere*: 4.) *Baptizare*: 5.) *Praedicare*; de singulis quædam monebimus. I.) *Offerre*, sive *sacrificare*, esse partem officii ecclesiastici in novo testamento negamus sequentibus moti fundamentis 1.) Nuspiam in libris novi testamenti Christus legitur instituisse *missifices sacrifi-*

manum aratro admovit. 1. Petri V. 2. *Nihil faciat turpis lucri gratia.* 2. Tim. II. 4. *Secularia negotia &c.* Contra urgetur a) *exemplum Christi.* Resp. non sanavit ut medicus, sed ex officio Messiæ, qui hujusmodi miraculis suam potentiam demonstrare debuit, Esa. XXXV. 5. Matth. XI. 5. b) *Exemplum Lucae, quem Paulus vocat medicum*, Col. IV. 14. *cujus tamen laus in evangelio*, 2. Cor. VIII. 18. Resp. nullibi legitur, quod durante suo ministerio artem medicam exercuerit. Si exercuit, eandem rationem habuit cum Paulo, qui fuit in opere manuario, 2. Thess. III. 8. quia ærarium & stipendia nondum erant pro ministris constituta. c.) *Commodum. Satius est, si minister verbi bonas aliquot horas in hisce operis honestissimis & tori vicinae utilibus collocet, quam si ruri colendo incumbat, aut se in tabernas vinarias insinuet.* Resp. qui ex pluribus malis eligit minus, nondum eligit bonum, πολυπραγμοσύνη id vitiat, quod in aliis vocationis suæ terminos observantibus bonum. Limitatio. Necessitati & caritatis officio lex non potest statui. Si quis arte medica præstare aliquid solide potest, succurrat ægrotanti proximo non spe lucelli, sed adfectu caritatis, quando alius, cui corporis cura legitime demandata est, haberi nequit. Quæritur V.) *An, qui semel ministerio se addixit, abdicare se ab eodem unquam in vita libere & licite possit?* Per ministrum ecclesiæ in *subjecto* quæstionis intelligitur persona legitime ad ministerium vocata, fideliter in officio versans, facultate præstandi muneris adhuc satis instructa, ab ecclesia etiam diutius desiderata; sed sola voluntate ulterius inserviendi auditoribus destituta, vel quia tædet eum laboris & molestiarum, vel quia abunde ipsi suppetit, unde se suosque sustentet, vel etiam, quia aliis carnalibus causis ad mutationem & spontaneam abdicationem permoveatur. In *praedicato* licitum, quemadmodum etiam liberum intelligitur respectu juris divini, quo uno bona conscientia nititur, non humani ullius, aut etiam pœnæ, quam in ejusmodi inconstantes constitutam esse non novimus. Negativa probatur: 1.) a testimoniis scripturæ: 2.) ab exemplis ex eadem: 3.) ex ratione. 1.) Testimonia sunt partim generales & communes sententiæ apostoli: 1. Cor. VII. 17. & 20. *Unusquisque in qua vocatus est vocatione, in ea maneat*; partim specialia & singularia Christi monita de perseverantia in officio: Matth. X. 22. *Qui perseveraverit usque ad finem, salvabitur.* Luc. IX. 62. *Qui manum ad aratrum admota retro respexerit, non est aptus ad regnum cœlorum.* Apoc. II. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.* 2.) Exempla prolata sunt prophetarum & apostolorum aliorumque, qui munus suum non ante reliquerunt, quam cursum suum consummaverunt, ut de se prædicat Apostolus 2. Tim. IV. 7. 3.) Ratio ab oppositis duci potest: Vocare & ingerere se ipsum in ministerium non est liberum & licitum. Ergo nec abdicare & relinquere semel susceptum ministerium est liberum & licitum. Valet consequentia ex eo, quod quorum est vocare, eorumdem etiam est dimittere. Tarnovius. Quæritur VI.) *An propter veritatis confessionem capiendus & deducendus in carcerem, captusve quispiam, sive pastor, sive auditor, possit se salva conscientia pretio redimere?* Tertullianus lib. de fug. & persecut. cap. 12. simpliciter negat. Perkinsus lib. II. de cas. consc. cap. 12. sect. 3. p. 351. pontificiis affirmativam tribuit, quos scribit *sibi licitum statuere, carcerem effringere, si suae in carcerem conclusionis causa injusta existat, atque medium evadendi frequentissime apud ipsos usurpari.* Distinguendum inter personas, quibus datur pretium. Illæ sunt triplices. Vna index & actor, altera judex, tertia custos carceris. De incarcerando concedunt nonnulli, ut paciscatur & solvat pretium indici & actori, sive delatori, atque ita se redimat ab imminente periculo. De incarcerato negant, sive judicem, sive ejus ministrum largiendo corrumpere velit & possit. Vide Danæl isagogen part. IV. lib. II. cap. 45. Tertullianus de incarcerando quidem tantummodo negat, quia de illo solum erat ibi quæstio, multo magis vero de incarcerato idem negasset, si consultus fuisset. Affirmativa probatur: 1.) Omne illicitum jure divino est prohibitum in lege Dei. At redimere vitæ hujus temporalis usuram, si in homines lucri & quæstus cupidos incidamus, adeo prohibitum non est, ut illud distet ratio. Ergo. 2.) Omnia media non palam cum pietate & honestate pugnantia in discrimine vitæ prudenter tentare licitum est. Dare infimediatori vitæ, quod unice captat, præmium, est medium non palam pugnans cum pietate & honestate, quia in decalogo nusquam prohibetur. 3.) Si persecutionem fugere & declinare omni pia & honesta ratione licet, etiam persequentes fugere & declinare licebit eodem modo. At prius, ergo & posterius. *Connexio* patet: quia quomodo finis, eodem modo media ad finem perducentia sunt licita. Quæritur

crificulos. In veteri testamento variæ traduntur ordinationes de munere sacrificandi, sacerdotibus ac levitis commisso, sed de ministris novi testamenti nusquam tale quid legitur. Quod enim adtinet exemplum Christi, qui in prima cœnæ institutione & administratione se ipsum modo incruento Patri cœlesti obtulisse dicitur, additis verbis istis προσφατικοῖς, *hoc facite*, hoc est, meum secuti exemplum sacrificate, in eo duplex petitio principii committitur: tum quod Christus se ipsum tunc temporis Patri cœlesti obtulerit; tum quod *faciendi* verbum absolute positum pro sacrificandi actione ibidem usurpetur, cum neutrum horum ex verbis institutionis, vel aliis scripturæ locis firmiter demonstrari possit. Quod adtinet vaticinium Mal. I. 11. illud apostolus Rom. XV. 16. diserte exponit de prædicatione evangelii in omnes gentes. Reliqua ψευδοδημέλια pro sacrificio & sacrificandi actione adducta alibi explicantur. 2.) Cum in prima apostolorum in Judæam, & secunda eorumdem ad omnes gentes legatione Christus, ministerii auctor, omnes ecclesiastici officii partes diligenter recenseret, de sacrificii oblatione nullam facit mentionem, sed jubet eos *prædicare ac baptizare*: Matth. X. 7. XXVIII. 19. Marc. VI. 12. XVI. 15. Luc. IX. 2. Paulus etiam diligenter enumerans ministrorum ordines, Eph. IV. 11. 1. Cor. XII. 28. *apostolorum*, *prophetarum*, *evangelistarum*, *pastorum & doctorum* mentionem facit, sed de sacrificulis nullum addit verbum. 3.) In novo testamento unius duntaxat sacerdotis proprie sic dicti, & unius duntaxat propitiatorii sacrificii in ara crucis oblati fit mentio, ut ex epistola ad Hebræos VII. IX. & X. manifestum. Quare cum Christus *unica oblatione consummaverit in æternum sanctificandos*, nec alio sacrificio, nec ejusdem sacrificii crebra repetitione opus fuerit, ut nihil dicatur de eo, quod quotidiana eorumdem sacrificiorum repetitio veteris testamenti statuatur propria, Hebr. VII. 27. IX. 25. &c. X. 1-5. 10-14. 4.) Sacerdotis nomen nusquam in novo testamento peculiariter tribuitur ecclesiæ ministris, sed generali, eademque metaphorica significatione omnibus christianis in genere tribuitur, quod ipsorum officium sit, spirituales hostias invocationis, gratiarum actionis, beneficentiæ &c. quotidie offerre.

§. CCXCIV. II.) *Præesse* non accipitur ab illis sensu apostolico, quod ministri ecclesiæ debeant esse προεστῶτες, 1. Tim. V. 17. καὶ ἡγούμενοι, Act. XV. 22. Hebr. XIII. 17. & 24. doctrina & vitæ exemplo sese auditoribus tanquam vitæ duces exhibendo; sed sensu papali, de potestate politica & αὐτοκρατορικῇ, dictatoria atque absoluta *potestate ecclesiastica* eidem conjuncta, cum utramque pontifex & ipsius episcopi sibi vindicent, ut superius ostendimus, quo jure, quave injuria, paulo post discutietur, ubi reliquas sacerdotalis officii partes prius examinaverimus. III.) *Benedicere* itidem non accipitur ab illis phrasi Spiritus sancti pro illa εὐλογίᾳ, quæ fit *verbo Dei & precibus*; 1. Tim. IV. 5. sed pro consecratione per exorcismos, formationes crucis, characteres sine omni verbo mandati ac promissionis: item, pro administratione sacramenti confirmationis, extremæ unctionis &c. quem esse horribilem nominis divini abusum, secundo decalogi præcepto repugnantem, ostendit Brentius in apolog. confess. Wirtenberg. IV.) *Baptizare* itidem non accipiunt sensu Spiritus sancti pro eo, quod est

2.) *Præesse.*

3.) *Benedicere.*

4.) *Baptizare.*

ritur VII.) *An qui omnibus & singulis auditoribus est exosus, deserere suam conditionem licite possit, etiamsi alibi novae alterius consequendae spes non adpareat?* Adfirmativa ex Matth. X. 14. Confer Calvini epist. CCXXVII. CCXXIX. CCCLXXXI. Quæritur VIII.) *An liceat resignare suum munus, si altera ejus pars, nempe administratio sacramentorum denegetur?* Calvinus epist. XCIX. negat, quod probandum secundum quid. Confer Martyrem tom. III. epist. col. 206. Quæritur IX. *An judicium pastoris Curiensis, de quo Zanchius in commeut. epist. Philipp. fol. 223, in agone doloris, se consilium Zanchii de consulendo sibi per fugam & secessionem non esse secutum, fuerit ex carne, an ex spiritu?* Zanchius probat posterius, sed rectius adfirmatur prius. GERHARDVS.

est aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizandum tingere; sed addunt, requiri insuper, ut aqua ad baptismum adhibenda certis ritibus & exorcismis consecretur, addunt etiam exsufflationem, gustum salis, salivam auribus & naribus illitam, unctionem in pectore & scapulis, ac tribus illis peculiarem aliquam efficaciam præter & contra verbum tribuunt, administrant baptismum in lingua ignota &c. Deinde officium baptizandi ita tribuunt sacerdotibus, ut ab episcopis illud dependere asserant, sic enim Bellarminus lib. I. de sacramento baptismi cap. 7. *Catholici doctores communi consensu adfirmant; jus baptizandi ex officio ordinario convenire solis sacerdotibus, id est, episcopis & presbyteris, sic tamen, ut presbyteris conveniat cum subordinatione & dependentia ab episcopis.* Item: *Diaconis ex officio convenire baptizare, sed in absentia sacerdotum, aut eorum jussu, ut ordinarie ad solos sacerdotes, extraordinarie etiam ad diaconos pertineat.* Sed talem dependentiam sacerdotum ab episcopis in administratione baptismi scriptura penitus ignorat; quamvis non improbemus, ordinis causa certis personis ecclesiasticis hasce partes committi.

5.) *Praedicare.*

V.) *Praedicare* ad officium sacerdotum referunt, sed plerique sacerdotes, præsertim majores, (ut vocant) hoc est, episcopi, a prædicatione abstinent, quin imo nostræ ecclesiæ ministros in prædicatione verbi occupatos per contemtum vocant *praedicantes*. Quod si quando ad prædicandi officium accedunt, non prædicant *eloquia Dei* pura & incorrupta, 1. Petr. IV. 11. sed fermento humanarum traditionum commixta, legenda sanctorum, decreta papalia &c.

An personae ecclesiasticae officio civilis magistratus fungi possint? Negatur.

§. CCXCV. Cæterum, quia per τὸ *praeesse* episcopis adtributum politicum dominatum ab ipsis intelligi, praxis testetur, quæritur hoc loco: *An personae ecclesiasticae officio magistratus civilis simul fungi possint*; & per consequens. *An pontifex Romanus, hierarchiae ecclesiasticae caput, temporalem potestatem, ac in omnes principes, reges ac imperatores superioritatem jure obtineat?* Pontificii adfirmant, sed negantem sententiam ecclesiæ nostræ sequuntur, quam hisce demonstramus fundamentis: I.) *Ab expresso Christi interdicto*: Matth. XX. 25. Marc. X. 42. cum apostoli reliqui indignarentur collegis suis Jacobo & Johanni, quod primatum ac dominatum in Christi regno petiissent, ac partes eas sibi præreptas cupiviſſent, Christus de conditione regni sui rectius ipsos informans sic loquitur: *Scitis, quod ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν*, ut est apud Matthæum, vel, ut est apud Marcum: *οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, principes populorum dominatum in eos exercent; καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν, κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, magnates eorum potestatem in eos exercent: sed non ita erit inter vos apostolos*, & vestros in ministerio successores, sed *quicunque voluerit inter vos fieri magnus, sit vester minister: & quicunque voluerit inter vos esse primus, sit omnium servus.* Luc. XXII. 25. cum contentio oreretur inter apostolos, *ecquis eorum videretur major?* Christus pari modo illis respondet: *Reges gentium dominantur in illas κυριεύουσιν, & qui potestatem habent in eis, vocantur εὐεργέται, beneficii; vos autem non sic, sed qui major inter vos, fiat sicut junior, & qui praecedit, tanquam minister.* Ex hisce sic concludimus: Quocunque apostolis & ipsorum in ministerio successoribus Christus interdixit, illud eis usurpare non licet. Sed dominatu politico & principatuum terrenorum administratione apostolis & ipsorum in ministerio successoribus Christus interdixit. Ergo. (*) Excipit Bellarminus lib. V. de pontif. cap. 10. dupliciter: Pri-

1.) *Ob Christi mandatum. Matth. XX. 25.*

(*) Brentius in pass. Christi homil. XLVIII. p. 484. *Non licet episcopo, sive ecclesiae ministro, habere externum principatum, eumque usurpare praetextu evangelii & ecclesiastici ministerii. Petrus non idcireo debet Antiochiae, aut Romae dominari, quia apostolus est &c. Quod si vero externus principatus, aut externorum bonorum possessio contigerit ministro ecclesiae, vel legitima haereditate, vel ordinaria*

Primo: *Dominum hic solum instituere meros principes ecclesiasticos, ac docere, debere eos, ut tales sunt, praeesse subditis non more regum & dominorum, sed more patrum & pastorum; hinc autem nondum sequi, quod non possit esse unus & idem episcopus ac princeps.* Secundo: *Dominum illis verbis non prohibere episcopis dominatum, qualis esse potest regum & principum piorum, sed qualis est regum ignorantium Deum, qui tyranni potius sunt, quam reges, cum in Graeco sit, κατακυριεύειν, quod est violenter dominari.* Resp. 1.) Personæ ecclesiasticæ a Spiritu sancto vocantur *ministri ecclesiae*, non autem principes ac domini ecclesiæ Dicuntur quidem ablolute *reges*, Ps. LXXXVI. 13. ac *principes*; Ps. XLV. 17. sed non propter dominatum quemdam politicum ac monarchicum in ecclesiam, verum significatione ea, qua propter spirituale regnum etiam reliqui pii dicuntur *reges*, 1. Petr. II. 9. Apoc. I. 6. 2.) Si Christus hoc loco meros ecclesiasticos principes instituit, ergo non instituit episcopos politica potestate armatos, illi proinde vel *meros ecclesiasticos* principes se esse fateantur, vel apostolorum successores sese esse negent. 3) Τὰ ἔθνη generaliter dicuntur populi ac gentes, non ii solum, qui religione sunt gentiles; Matth. XXIV. 7. Luc. VII. 5. XXIII. 2. Joh. XI. 48. Act. II. 5. &c. frustra igitur somniat Bellarminus, de regibus gentilium duntaxat Christum loqui, cum in genere de politicis regibus agat. 4.) Tyrannicum illum dominatum, qualis est quorumdam regum gentilium, in ipsis christianis regibus Christus detestatur, atqui dominatum illum, de quo textus agit, politicis regibus concedit, ab apostolis vero & eorum in ministerio successoribus removet. Ergo non loquitur de dominatu tyrannico. 5.) Ejusmodi imperium Christus apostolis derogat, quale illi adfectabant, alias responsum non fuisset adcommodatum ad quæstionem. Sed Jacobus & Johannes, item reliqui apostoli non adfectabant tyrannicum imperium; sed principatum ac dominatum politicum, fovebant enim adhuc carnale somnium de regno Christi terreno. 6.) Quod Matthæus vocat κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν, id Lucas simpliciter adpellat κυριεύειν & ἐξουσιάζειν, Marcus habet verbum ἄρχειν, Syrus utrobique ponit nomen מָרֵי *domini eorum sunt.* Frustra igitur emphasis in compositis verbis quæritur, quasi violentam & tyrannicam dominationem significent. LXX. interpretes eo utuntur pro בָּעַל, quod est *dominari*, potestatem exercere, & ipsi Deo tribuunt, Jer. III. 14. item Christo, Ps. LXXII. 8. CX. 2. a quo dominatus tyrannicus est alienissimus, pro כִּשֵּׁל Ps. XVIII. 14. quod est dominationem & potestatem habere, in eminentia constitutum esse. Gen. I. 28. jubet Deus hominem κατακυριεῦσαι τῆς γῆς, nec tamen Adamus tyrannus, sed dominus terræ constitutus est. 7) Καταυριεύοντας illos Christus dicit vocari εὐεργέται, sed qui tyrannicum dominatum exercent, non merentur vocari εὐεργέται. 8.) Si ullum aliquod imperium politicum apostolos tenere Christus voluisset, non proposuisset illis suum exemplum, cum tantum absit, ut ipse regnum politicum adfectarit, ut etiam oblatum repudiarit. Jam vero Christus utrobique suum ipsis proponit exemplum. 9.) Vt prætermittamus interim, multa gentilium imperia fuisse moderata & paterna, ad quæ si conferatur potestas illa, quam pontifices exercuerunt in Fridericos, Ludovicos, Henricos & alios imperatores, eam propius ad tyrannicam accedere conspicietur.

§. CCXCVI. II.) *A Christi exemplo.* Christus diserte testatur, *regnum suum non esse de hoc mundo*, Joh. XVIII. 36. (*) *se non*

2) *Propter Christi exemplum.*

naria electione, alibve civili & legitimo contractu, ibi tamen, esti difficillimum sit, una externas opes administrare, & praedicando evangelio servire, tamen licet haec externa bona habere, non ut apostolo, aut ministro ecclesiae, praetextu ministerii, sed ut externo haeredi, ut civi, aut collegae ordinarie electo, ut negotiatori legitimis contractibus utenti. GERHARDVS.

(*) Ex hocce oraculo optimi servatoris, ad quod heic provocat GERHARDVS, solidissime probari potest, regnum

non veniſſe, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret; Matth. XX. 28. unde cum ipſi regnum offerre cuperent, *fugit in montem*, Joh. VI. 15. cum quidam ab ipſo peteret, ut *fratrem ad haereditatis diviſionem* cogeret, recuſavit, Luc. XII. 14. *ſolvit magiſtratui tributum*, Matth. XVII. 27. *ac caeſari dandum eſſe* docuit, *quae ſunt caeſaris*. Matth. XXII. 21.

Inde

regnum Chriſti non *civile*, politicum atque mundanum, ſed coeleſte ac *ſpirituale* eſſe. Vnde & non theologi tantum proteſtantes, ſed & nonnulli ex eccleſiae Romanae doctoribus eo maxime tempore, quo curia Romana in imperatores & reges gladium ſtrinxit, hocce effatum Chriſti ſtrenue urſerunt. Fecerunt id, cum PAVLVS V. reipublicam Venetam A. MDCVI. excommunicaret, ſeptem theologi Veneti, PETRVS ANTONIVS, F. PAVLVS, BERNHARDVS GIORDANVS, MICHAEL AYNOLVS, MARC. ANT. CAPELLVS, F. CAMILLVS & FVLGENTIVS *nel trattato dell' interdetto compoſto dalli ſotto ſcritti theologi* &c. *in Venetia* MDCVI. 4. tractatum quem GOLDASTVS *monarch. S. R. I. tom. III. f. 325. ſeqq.* inſeruit.

Vid. LVDEWIGIVM in *opuſculis miſcellis tom. I. col. 143. ſeqq.* ubi ſcripta amoebaea in cauſſa excommunicationis Venetae edita, recenſentur.

Idem fecerunt & alii, iique quamplurimi ante hos, maxime LVDOVICVS BAVARVS, imperator, in edicto anno MCCCXXVIII. contra pontificem edito. Scripſit quoque MARCVS ANT. DE DOMINIS, Spalatenſis quondam in Dalmatia archiepiſcopus, notiſſimum opus *de republica eccleſiaſtica*, in cujus *libr. I. cap. I.* §. 35. ſeqq. omnem praeſuli Rom. in temporalia poteſtatem prorſus abjudicavit. Cumprimis vero notari heic meretur clerus Gallicanus, qui anno MDCLXXXII. *declarationem* ſuam *de eccleſiaſtica poteſtate* edidit, cujus prima propoſitio his conceptа eſt verbis: „Petro ejusque ſucceſſoribus, Chriſti vicariis, ipſique eccleſiae, rerum *ſpiritualium* „ & ad aeternam ſalutem pertinentium, non autem *civilium* ac temporalium a Deo traditam poteſtatem, dicente domino: *regnum meum non eſt „de hoc mundo.*„ Quam propoſitionem contra diſſentientes uberius propugnandam & vindicandam in ſe ſuſcepit JAC. BENIGNVS BOSSVETVS, epiſcopus Meldenſis, in *defenſione declarationis, quam de poteſtate eccleſiaſtica ſanxit clerus Gallicanus &c. tom. I. cap. XVIII. p. 146. ſeqq.* VT LVDOV. MAIMBVRGIVM, DV PINIVM, NATALEM ALEXANDRVM, GERBERONIVM, Jo. MABILLONIVM, PASCHASIVM QVESNELLVM, aliosque ſcriptores, maxime anonymos, excitatos a ven. Jo. GEORG. WALCHIO in *bibliotb. theolog. ſelecta, tom. I. p. 272. ſeqq.* jam taceamus.

In contrariam tamen ſententiam heic abeunt alii auctores Romanis ſacris addicti, tum antiquiores, tum recentiores. Statuunt enim, Chriſtum revera eſſe regem mundanum, cui ſpeciatim regnum Judaeae jure quoque humano competierit, quin & regnum in totum orbem jure divino competat non tantum ut vere Deo, ſed & ut homini, ex donatione patris coeleſtis, qui omnia in coelis & in terris filio ſubjecerit in regno potentiae, gratiae & gloriae, *pſalm. II. 8. 9. VIII. 7. 8.* coll. *Ebr. I. 2. II 7. 8. Matth. XI. 27. XXVIII. 18. Joan. XIII. 3. XVII. 2. 1. Cor. XV. 24. 27. Eph. I. 21. 22. 1. Petr. III. 22.* ita ut omnes reges terreni eidem imperia ſua accepta ferant, *Apoc. IV. 10.* qui jurisdictionem duntaxat delegatam, quam vocant, poſſideant. Ita ſentiunt THOMAS DE AQVINO, celeberrimus ſeculi XIII. ſcholaſticus, Jo. DE TVRRECREMATA, ecclesiae Romanae cardinalis ſeculo XV. clarus, ANTONIVS, ordinis Dominicani monachus, RICHARDVS, cognomine Armachanus, FRANC. SVAREZ & GABR. VASQVEZ, ambo ſocietatis Jeſu theologi, itemque PETR. HVRTADVS, ALPHONSVS DE MENDOZA, ADAM. TANNERVS, NICOL. SANDERVS, ÆGYD. REGIVS, ſive CONINCK, multique alii, excitati ab OSIANDRO in *theolog. acroamat. part. II. p. 381. 382.* quorum veſtigia recentiores magno agmine ſunt ſecuti.

Atque ex hoc ipſo errore profluxit alius, ille nimirum, ubi ſtatuunt Romanenſes, competere Romano pontifici, tanquam Chriſti in his terris vicario, poteſtatem in hunc mundum omniaque illius regna ac provincias. Diſtinguere vero heic ſolent Romanenſes, praeeunte cardinale BELLARMINO, inter poteſtatem *directam* atque *indirectam*. *Priorem* illam ſtatuerunt veteres, canoniſtae praeſertim, *poſteriorem* vero recentiores, qui cum BELLARMINO, itemque MART. BECANO, ſtatuunt, *pontificem, ut pontificem, etſi non habeat ullum mere temporalem poteſtatem, tamen habere in ordine ad bonum ſpirituale, ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus omnium chriſtianorum, ac proinde habere ſummam temporalem poteſtatem* INDIRECTE; quae ſunt verba ipſius BELLARMINI, *libr. V. de rom. pontif. cap. VI.* qui & *loc. cit. cap. I.* fautores utriusque ſententiae recenſet. Ex recentiſſimis coetus Romani doctoribus heic evolvi cumprimis meretur cardinalis VINCENT. LVDOV. GOTTI, ordinis praedicatorum, qui in *theologia ſcholaſt. tom. II. oper. tract. XIII. de jure & juſtitia, quaeſt. VII. dub. III. p. 593. ſeqq.* edit. Venetae, copioſe adſtruere conatus eſt, ſummum pontificem habere dominium ſuper temporalia totius orbis, non quidem *directe*, ſed tamen *indirecte*, ita quidem, ut, ſi expediens judicaverit, ad finem ſupernaturalem conſervationis fidei & eccleſiae univerſalis bonum, poſſit reges ac principes chriſtianos regnis ac temporali dominio privatos declarare, eorumque ſubditos a jura-

Inde sic colligimus: Si regnum Christi non est de hoc mundo, etiam papæ & episcoporum regnum non debet esse de hoc mundo, vel si papæ regnum est de hoc mundo, non erit Christi in illo regno vicarius. Cyprianus libr. II. epist. 3. *Si sacerdotes Dei & Christi sumus, non invenio, quem magis sequi, quam Deum & Christum debeamus.* Excipit Bel-

juramento fidelitatis ipsis præstito absolutos pronunciare. Conf. ex nostris GERHARDVM in *confess. cathol. libr. II. art. III. cap. IX. p. 633. seqq.* BALTHAS. MEISNERVM, theologum quondam Vitembergensem, in dissertat. *de ficta pontificis Romani potestate in rebus temporalibus*, CHRISTIAN. DREIERVM, theologum olim Regiomontanum, in volumine *dispp. de præcipuis controversiis cum pontificiis* &c. *dissert. XV.* & *XVI.* b. cancell. PFAFFIVM in *dissert. in verba Christi: regnum meum non est ex hoc mundo*; quæ novæ editioni *orig. ecclesiast.* inserta est, §. *VII. p. 455. seqq.* atque ex JCtis nostris CHRISTIAN. THOMASIVM in *historia contentionis inter imperium & sacerdotium*, atque BOEHMERVM in *jure eccles. protestantium, tom. IV. p. 600. seqq.* Jungi merentur ex theologis reformatis DAN. CHAMIERVS in *panstrat. cathol. tom. II. libr. XV. cap. IV. V. fol. 312. seqq.* atque GISBERTVS VOETIVS, *in select. disput. theolog. p. 791. seqq.* ubi exstat *inventarium controversiarum de temporali potestate papæ.* Vt alios taceamus.

Superest, ut paucis ostendamus, quid a potestatis papalis defensoribus responsum hactenus fuerit iis, qui effatum servatoris supra adlegatum: *regnum meum non est ex hoc mundo*, contra eos strenue hactenus urserunt.

Præcipuam eorum objectionem exhibet nobis PAVLVS COMITOLVS, Jesuita Perusinus, in libro septem theologis Venetis, supra commemoratis, oppositio. Monet ibidem, Christum non dixisse, regnum suum non esse *in* hoc mundo, vel *de* hoc mundo, sed tantum non esse *ex* hoc mundo, h. e. non iis laborare imperfectionibus, quæ in regnis mundanis alias deprehenduntur. Neque enim 1.) se illud possidere titulo, vel jure *humano*, successionis, electionis, occupationis, sive justæ, sive injustæ, sed jure *divino*; neque 2.) regnum suum esse dependens, caducum, revolutionibus obnoxium, prout regna mundana, sed esse independens, absolutum, firmum atque æternum; nec 3.) regnum suum certis quibusdam limitibus esse circumscriptum, uti regna mundana, sed esse universale in totum hocce universum; nec illud 4.) tantum *mundanum* esse, sed & *cæleste*, nec *corpora* tantum pro objecto habere, sed & *animas*, quod de nullo regno terrestri dici queat, nec 5.) regnum suum divitiarum copia, armorum præsidio, arcium munimentis, aliisque mediis opus habere, uti regna mundana, sed iis longe esse potentius atque præstantius; nec denique 6.) illud tyrannide, ut nonnunquam regna mundana, sed æquitate atque justitia regi. Non itaque negasse Christum *in totum* regnum suum esse mundanum, sed duntaxat *in tantum*, in quantum scilicet omnes istæ imperfectiones, modo commemoratæ, a regno Christi quam longissime absint. Addit COMITOLVS, si vel maxime simpliciter negasset Christus, *regnum suum esse de hoc mundo*, id tantum intelligendum esse de statu ipsius *exinanitionis*, dicere enim illum: NVNC *vero regnum meum non est* HINC; nec hæc verba respicere ipsum *jus*, sed potius *exercitium* hujus juris, idque *plenarium*, quod Christus demum in statu *exaltationis* adierit. *Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 10. 11.* Conf. EVGENII LOMBARDI, sub quo nomine COELESTINVS, marchio DE SPONDRATI latet, *regale sacerdotium, Romano pontifici adsertum*, atque ann. *MDCLXXXIV.* editum, *libr. I. & XVIII. n. 5. p. 253.* seqq.

Verum, si oraculum servatoris, *regnum meum non est ex hoc mundo*, curatius expendamus, idque cum aliis sacræ scripturæ locis conferamus, facile deprehendimus, Christum confessione sua, quam coram Pilato edidit, eaque prorsus egregia, 1. *Tim. VI. 13.* clare satis docuisse, regnum suum nulla prorsus ratione esse *mundanum*, quale est imperatorum, regum, principum ac magistratuum politicorum, per jurisdictionem coactivam exercendum, & per arma carnalia stabiliendum; sed potius esse regnum divinum ac *spirituale*, in *animas* magis, quam *corpora*, erigendum in his terris, per prædicationem evangelii, & Spiritum S. ejusque charismata in fideles effundenda. Equidem Judæi adcusaverant Christum coram Pilato, quod se *regem Judæorum* diceret, quin populum ad rebellionem concitaret contra cæsarem, cui tributa solvi vetaret, *Luc. XXXIII. 3.* Vnde & Pilatus ex Christo quæsivit: *Esne igitur rex Judæorum?* Ast respondit eidem servator, se quidem esse *regem Judæorum*, sed non talem, quales sunt reges in præsenti hocce mundo potestatem suam regiam exercentes, siquidem regnum suum alius plane, cœlestis nimirum ac divini sit ordinis. Quo quidem responso adquievit Pilatus, Christumque, a Judæis adcusatum, ab omni crimine prorsus absolvit, *Joh. XVIII 38.*

Et sane Christus in toto vitæ suæ, quam inter mortales transegit, curriculo, ipso facto luculenter demonstravit, se cæsaream, se regiam, quæ in his terris exerceri solet, auctoritatem nullatenus adfectare. Quum enim *Joan. VI. 15.* intelligeret, venturos esse Judæos, ut raperent ipsum, regemque facerent, secessit in montem ipse solus; cumque

Luc.

Bellarminus, *responderi quidem posse, Dominum in hoc mundo suscepisse personam pontificis, non principis temporalis, & illis verbis:* Quis me constituit judicem, aut divisorem, inter vos? *monuisse simplices pontifices, ne se misceant alienis negotiis*; sed ipsemet agnoscit, hanc responsionem non esse ad palatum pontificis, si enim Christus non suscepit personam principis temporalis, ergo nec papa, qui audire cupit Christi vicarius, personam principis temporalis suscipere debet, aliter igitur excipit, *admoneri pontifices & principes, ne minutis & vilibus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur majora.* Resp. 1.) Ostendantur vero ex evangeliistarum tabulis majora illa, quæ Christus in politicis suscepit. 2.) Certe non solum minuta & vilia in politico imperio, videlicet controversiam de hereiscunda hæreditate, sed integrum etiam regnum sibi oblatum repudiavit. 3.) Nec solum controversiam de hæreditatis divisione a se rejecit, sed ipsum quoque judicis politici nomen repudiavit, unde etiam Joh. VIII. 11. in condemnanda adultera partes magistratus politici suscipere noluit. 4.) Quæ ex Bernhardo Bellarminus addit, quod *verbis Domini in medium adductis hortatus fuerit pontificem Eugenium, ut judicia rerum temporalium aliis dimitteret, cum tamen sciret ipsum tunc principem temporalem fuisse*; ad ea ex ipso Bernhardo respondemus, lib. II. de consid. ad Eugen. col. 1021. *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio*: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. *Planum est, apostolis interdicitur dominatus, i ergo tu & tibi usurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis, si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Forma apostolica haec est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio &c.* Sic ergo non solum vilia & minuta ad dominationem politicam pertinentia, sed ipsam dominationem politicam ecclesiasticis personis prohiberi statuit, nec solum in dominatione humilitatem requiri, sed ipsam dominationem prohiberi sentit.

§. CCXCVII. III.) *Ab apostoli interdicto.* 1. Petr. V. 2. *Presbyteros inter vos, obsecro ego συμπρεσβύτερος* v. 2. *pascite gregem Dei*, v. 3. *& κατακυριευοντες τῶν κληρων, non dominantes in cleris*, ex quo sic inferimus: Quicunque eo modo debent ἐπισκοπεῖν & pascere gregem Domini, ne in eum dominatum exerceant, illi non possunt simul esse episcopi & domini politici. Sed presbyteri eo modo debent ἐπισκοπεῖν & pascere gregem Domini, ne in eum exerceant dominatum. Ergo. Bellarminus repetit suam exceptionem, per τὸ *κατακυριέυειν violentam & tyrannicam duntaxat dominationem prohiberi*; sed præter ea, 3.) *Propter apostoli interdictum.*

Q 3 quæ

Luc. XII. 13. 14. quidam e turba ei diceret: *Jube meo fratri, ut mecum hereditatem partiatur*, respondit eidem: *Quis me vobis judicem, aut divisorem constituit?* Constat quoque ex historia evangelica, Christum, cum tentaretur a pharisæis: *liceatne pendere tributum caesari necne?* iisdem, ostenso nummo tributario, disertis verbis respondisse: *solvite, quae sunt caesaris, caesari, Matth. XVII.* 21. quin & ipsum, cum Capernaum venisset, iis, qui tributum ibidem exigebant, pro se ac Petro didrachma solvisse, *Matth. VII.* 27. hacque ratione accusationem Judæorum, quam contra ipsum coram Pilato quam maxime urserant, *Luc. XXIII.* 2. ipso facto confutasse, luculenterque demonstrasse, se ab omni potestatis regiæ, qualis in mortali hac vita obtinet, adfectatione esse quam alienissimum, vid. *Matth. XX.* 28. *Luc. XXII.* 25. 26. licet regimen *cœleste*, in judicio extremo cumprimis manifestandum, sibi reservaverit.

De Domitiano, qui exeunte seculo secundo statum religionis christianæ plurimum adflixit, ex Egesippo refert Eusebius *libr. III. hist. eccles. cap. XX.* huncce imperatorem eam præcipue ob rationem tam infestum fuisse christianis, quod, nescio quibus auctoribus, acceperit, ex familia Christi aliquando prodituram esse hominem rerum novarum ac reipublicae turbandae cupidum. Vnde a cognatis Christi quæsiverit, quænam regni Christi sit ratio? cumque responsum ab iis tulisset, regnum istud esse cœleste atque angelicum, in fine mundi demum manifestandum, cum venturus esset Christus ad judicium hoc audito imperatorem persecutionem christianorum jam cœptam mox suppressisse.

quæ paulo superius adducta sunt, monemus, cavendum esse Bellarmino, ne incurrat fulmen concilii Tridentini, quo a vulgata versione quovis prætextu recedere prohibetur. Vulgata enim simpliciter reddidit, *non dominantes &c.* Syrus habet nomen מָרְיָא *non tanquam Domini gregis.* Conjungimus etiam locum apostolicum: 2. Cor. I. 24. *ὐ κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως*, ubi ponitur verbum simplex *κυριεύειν.* Vrgemus insuper oppositionem in dicto Petri, *οὐ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῆ ποιμνίε*, ergo exemplo potius, quam imperio, præesse debent presbyteri. Denique Petrus suum illis proponit exemplum, dum se vocat *συμπρεσβύτερον*, at quam partem politici dominatus Petrus in suo apostolatu unquam adtigit?

4.) *Propter apostolorum exemplum.*

§. CCXCVIII. IV.) *Ab apostolorum exemplo. Si in apostolorum loco sumus*, inquit Hieronymus in cap. II. Mich. *non solum sermonem eorum imitemur, sed & conversationem amplectamur.* Apostoli nusquam leguntur politicum imperium administrasse. *Non monstrabunt, puto*, scribit Bernhardus lib. I. de consid. ad Eugen. col. 1015. *qui hoc dicent, ubi aliquando quispiam apostolorum judex federit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse lego apostolos judicandos, non sedisse judicantes.* Act. VI. 2. cum per curam mensarum impedimentum aliquod prædicationi verbi injici animadverterent, eam a se rejecerunt: *Non est aequum*, inquiunt, *ministrare mensis, & relinquere verbum Domini*, ostendentes, quod non possit utrumque fieri *μετὰ σπεδῆς, adcurate*, ut Chrysostomus hom. XV. in Act. loquitur. Quod si apostoli judicarunt, se non posse simul verbum prædicare & mensis ministrare; quomodo episcopus ecclesiastico officio rite fungi, & integram provinciam imperio politico gubernare simul poterit? Excipit Bellarminus, *apostolos ita omisisse in Hierusalem curam ministrandi mensis, ut tamen praesiderent etiam in temporalibus toti illi ecclesiae, unde Gal. II. Petrus, & Jacobus, & Johannes solliciti pro fratribus, qui erant in Hierusalem, rogant Paulum & Barnabam, ut memores sint colligere aliquam eleemosynam & mittere in Ierusalem. Illi vero id fecerunt, & collectam pecuniam ipsimet detulerunt, non ad diaconos praefectos mensis, sed ad seniores*, Actor. *XI.* Resp. 1.) Prospicere pauperibus de eleemosyna non pertinet ad jurisdictionem politicam, sed ad curam ecclesiasticam, ut ostendimus superius, inde etiam vocatur *διακονία*, Rom. XV. 31. 2. Cor. VIII. 4. IX. 1. &c. 2.) Cura illa eleemosynæ pro egenis fratribus colligendæ fuit temporaria, cum enim caritas annonæ in Judæa cessaret, simul etiam *διακονία* illa cessavit; sed episcoporum in regno pontificio dominatus politicus est perpetuus. 3.) Haud inviti permittimus Romano pontifici & ipsius episcopis, ut pauperum curam suscipiant, ac tempore famis collectas pro pauperibus fieri jubeant, an verò id fiat, nec ne, res ipsa loquatur?

Pontifices nunc bella juvant, sunt cetera nugae, canit Marc. Palingenius, at in bellis potius exactiones & expilationes pauperum regnant, quam eorum sustentatio. Erasmus cent. IX. adag. chil. I. adag. 12. fol. 295. testis *αὐτόπτης* refert, *se cum in rure Bononiensi ageret, Julio ejus orbis ditione potito, vidisse extremae paupertatis agricolas, quibus universae facultates in duobus bobus fuerint, quippe quorum labore totam familiam sustentarint, pro singulis singulos ducatos tributi loco dependere.* Nimirum hoc est, pauperum curam habere?

§. CCXCIX. V.) *Ex dicto apostolico.* 2. Tim. II. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Novimus quidem in Græco non exstare *τῷ θεῷ*, nec de solis ministris ecclesiæ in spirituali militia occupatis apostolo sermonem esse, sed de militibus in bello corporali laborantibus, quorum exemplum Timotheo, spirituali Christi militi, apostolus proponit; interim quia versio vulgata apud pontificios

5.) *Ex dicto 2. Tim. II. 4.*

cios est authentica, & quia iidem ex hoc dicto legem cœlibatus ministris ecclesiæ impositam probare conantur, ideo ex illorum hypothesi sic concludimus: Quæ sunt negotia secularia, illis episcopus utpote Deo militans non debet implicari. Sed magistratum politicum gerere pertinet ad negotia secularia. Ergo. Sicut miles prohibetur se ingerere in causas civiles. l. limitares C. de re milit. l. repetita. C. de episc. & cler. ita multo probabiliori ratione miles spiritualis ab iis debet abstinere arg. c. reprehensibile 23. q. 8. Observa etiam additam ab apostolo rationem, quare militans Deo sese non implicet negotiis secularibus, *ut ei placeat, cui se probavit*, id est, ut satisfaciat muneri suo ad beneplacitum imperatoris, non posset autem illud facere, si operam suam rebus diversis addiceret. Arnisæus de exemt. cleric. cap. I. num. 1. Excipit Bellarminus, *negotia secularia hoc loco non vocari regimen politicum, sed curam victus parandi, ac proinde negotiationes, mercimonia & similia, cum in Graeco sit τῆς βίου πραγματείαις, prohiberi igitur episcopo non regimen politicum, sed nimiam solicitudinem circa vitam corporalem.* Deinde monet ex Chrysostomo, *haec dici a Paulo non tam episcopo, quam aliis hominibus, cum omnes etiam laici, etiam reges, milites Christi esse debeant.* Denique addit, *non haberi in Graeco, nec in omnibus Latinis codicibus illud*: Deo, *sed generaliter,* ἁπλῶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται. Resp. 1.) Revocamus Bellarminum ad decretum concilii Tridentini de non repudianda quovis prætextu vulgata versione. 2.) Oppositio evidenter ostendit, per τὰς πραγματείας βίου, non solum curam parandi victus, sed in genere quævis negotia intelligi, quæ militi in vocatione sua impedimentum aliquod objiciunt. Quare cum administratio dominatus politici non mediocrem remoram injiciat ministro ecclesiæ in officii sui partibus recte expediendis, utique ut bonus Christi miles ab ea abstinere debet. 3.) Si enim cura parandi victus episcopo interdici intelligitur eo, quod sit negotium mundanum politicum; quanto magis tota regiminis politici administratio ipsi prohibita intelligenda est? 4.) Interpretes generaliter exponunt de negotiis secularibus. Interpres Chrysostomi: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Primasius: *Comparatione militum utitur, ut ostendat multo magis nos a negotiis secularibus liberos esse debere, ut Christo placeamus, si etiam seculi milites a reliquis ejus actibus vacant, ut possint regi suo perfecte placere.* Ambrosius: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Ecclesiasticus autem idcirco se probat Deo, ut huic devotus officium impleat, quod spopondit, in Dei rebus solicitus, a seculari negotio alienus. Non enim convenit unum duplicem habere professionem.* Hæc Ambrosii verba citans episcopus Espensæus comment. in 2. Timoth. II. subjungit: *At nunc, quod post Augustinum queritur Anshelmus, nunc inquam videmus secularium causarum discussionibus intendere, ac de temporalibus judicare episcopos. Quid dicturi boni patres, qui hujus & similium locorum occasione sacris hominibus adeo profanis negotiis interdixerunt, ut & inde titulum fecerint, ne clerici vel monachi secularibus negotiis sese implicent?* Lyranus: *Nemo militans Deo solicite in praedicationis opere implicat se negotiis secularibus.* 5.) Si de nimia cura victus ἡ πραγματεία βίου explicetur, facile concedimus, ad quemvis pium, tanquam spiritualem Christi militem hanc prohibitionem pertinere; sed quia apostolus speciali quadam significatione Timotheum episcopum vocat Christi militem, v. 3. ideo in specie ad ministros ecclesiæ hæc prohibitio proprie & primo spectat, ne involvant se negotiis secularibus, sed in ministerio verbi sese contineant, unde Theophylactus in comm. ad episcopos locum adcommodat.

§. CCC. VI.) *A discrimine ecclesiastica & politicae potestatis.* Quascunque potestates Deus ipse distinctas esse voluit, eæ non invicem commiscendæ sunt, ut ab una eademque persona administrentur.

6.) Ex discrimine ecclesiastica & politicae potestatis.

tur. Sed ecclesiasticam & politicam potestates Deus ipse distinctas voluit, (*) quod *ex causa instrumentali, materia circa quam, sive objecto, forma ac fine* utriusque potestatis manifestum fecimus superius §. 195. Ergo hæ potestates non sunt invicem eo modo commiscendæ, ut ab una eademque persona administrentur. Quamvis vero sufficiens causa illius distinctionis merito nobis esse debeat Dei voluntas; tamen possunt etiam aliæ addi causæ: 1.) quia pari cura utraque administrari nequit. Ambrosius in lib. de fuga seculi c. 2. *Quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, divinoque ab officio decerpitur.* 2.) Forma, objectum & finis administrationis utrobique sunt diversissima. 3.) Si doctrina armata esset gladio, facile irrumperet idololatria. 4.) Vno eodemque tempore utraque potestas ab uno nequit exerceri. Quo pertinet, quod Ezech. XXXIV. 4. & Jer. V. 30. & 31. in catalogo rerum horribilium recensent *dominationem sacerdotum in potestate sua.*

7.) *Ex scriptoribus ecclesiasticis.*

§. CCCI. VII.) *A testimoniis veterum canonum & scriptorum ecclesiasticorum.* In fragmentis apostolorum a Prætorio editis refertur, quod Petrus ad Clementem successorem suum dixerit: *Impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis solicitudines suscipere seculares.* Item: *Tu ad hoc solum vacato, ut doceas verbum Dei.* Marianus Scotus hac de re sic scribit in Chron. *Petrus, ut ingestis pontificum habetur, Clementem episcopum consecravit, atque cathedram & omnem ecclesiam disponendam commisit, dicens: Sicut mihi gubernanda tradita est a Christo Jesu potestas ligandi ac solvendi, ita & ego tibi committo, ut ordinans dispensatores diversarum causarum, tu minime in curis seculi, sed solummodo orationi ac praedicationi deditus reperiaris.* Canon. VII. apostolis adtributus sic habet: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus nequaquam seculares curas adsumat: sin aliter, desiciatur.* Cyprianus serm. de lapsis conqueritur, quod *episcopi, quos & hortamento caeteris oporteat esse & exemplo, visi sint divina procuratione contemta procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe desecta per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fanus augere.* Id ipsum in regno pontificio hodie adhuc fieri testatur experientia. Tertullianus de idol. cap. 8. *Christus gloriam seculi & sibi & suis aliena esse judicavit.* Origenes homil. XII. in Matth. *Inter vos autem, qui estis mei, non erunt haec, ne forte, qui videntur habere aliquem in ecclesia principatum, dominentur fratribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate; sic & qui principes spirituales, principatus eorum in dilectione subjectorum positus esse debet, non in timore corporali.* Hieronymus ad Nepot. *Qui Dominum possidet; & cum propheta dicit:* Pars mea Dominus; *nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit, praeter Dominum; pars ejus non erit Dominus. Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus pars ejus fieri Dominus non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus haereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita & sacerdos vivo de decimis, & altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero & nudam crucem nudus sequar.* Ambrosii in 2. Tim. II. dictum vidimus paulo superius. Idem orat. in Auxent. *Adversus arma, milites, Gothos quoque lacrimae*

(*) Patet hoc ex *divina in ecclesia Israelitica ordinatione.* Regnum fuit tribui *Judae* proprium, sacerdotium autem tribui *Levi* fuit adsignatum. 2. Parall. XIX. 11. inquit Josaphatus: *Amarias, sacerdos & pontifex videlicet in his, quae ad Deum pertinent, praesidebit: porro Zabadias, filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quae ad regis officium pertinent.* GERHARDVS.

crimae meae arma sunt, alia enim munimenta non sunt sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere. Bernhardi testimonia ex lib. I. & II. de considerat. ad Eugen. itidem superius adduximus, ad quem Bellarminus excipit, *Bernhardum loqui de pontifice, ut est pontifex totius ecclesiae, & secundum id, quod habet ex Christi institutione, cum addat*; Esto, ut alia quacunque ratione hæc tibi vindices, sed non apostolico jure. Item: *Bernhardum hoc velle, quod pontifex, ut pastor ovium, non debeat eis dominari, sed eas pascere; interim sicut nihilominus iisdem ovibus, ut sunt cives reipublicae, dominatur princeps politicus, ita eadem ratione posse iisdem dominari pontificem, si sit eorum princeps politicus.* Resp. id vero est in quæsito, an pontifex simul esse possit ecclesiæ pastor & princeps politicus? Ac si pontifex, ut pastor, non debet ovibus dominari, cur ipse Bellarminus cap. 7. præcedente ex dicto Christi Joh. XXI. 16, 17. *Pasce oves meas*, demonstrare conatur, papam habere summam temporalem potestatem indirecte? Si pontifex, ut pontifex, & secundum id, quod habet ex Christi institutione, non obtinet dominatum politicum, ut hoc loco diserte Bellarminus concedit, cur præced. cap. 1. scribit, *non tam sententiam, quam haeresin esse, quod pontifex, ut pontifex & ex jure divino, nullam habeat temporalem potestatem*? Si jure apostolico pontifex non habet politicum dominatum, cur igitur propter successionem in sede apostolica eam sibi vindicat? Qui aliquid sibi arrogat, quod nec ex Christi institutione, nec ab apostolo Petro accepit, is nec verus Christi vicarius, nec Petri successor est. Bernhardus quid de temporali illa pontificum potestate senserit, ex verbis illius manifeste conspicitur: lib. II. de consid. ad Eugen. col. 1021. *Interdicitur* (inquit) *apostolis dominatus, ergo tu usurpare aude aut dominus apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab utroque prohiberis, si utrumque simul habere voles, utrumque perdes &c. Saeculo prophetae opus est tibi, non sceptro, ut opus facias prophetae, & ille quidem non regnaturus adscendit, sed exstirpaturus &c. Cum dicat Dominus ac magister, se non esse constitutum inter duos judicem; non debet servo ac discipulo indignum videri, si non judicet universos. Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepisti claves regni caelorum. Quaenam tibi videtur major dignitas dimittendi peccata, an praedia dividendi? nulla comparatio. Habent haec infima & terrena judices suos reges & principes, quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Lib. IV. de consid. col. 1036. *Quid denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? &c. Uterque ergo, ecclesiae & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro ecclesia, ille vero & ab ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis & jussum imperatoris.* Idem in epist. ad archiepiscopum Senonensem: *Conditor caesaris caesari non cunctatus est reddere censum, exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis.* Gregorius libr. IV. epist. XLIV. *Si quis ecclesiasticorum unquam titulos ponere sive in rustico, sive in urbano praedio, sua sponte praesumserit, anathema sit.* Excipit Bellarminus, *ecclesiam tunc temporis nondum habuisse politicum principatum, sed possedisse bona temporalia ad eum modum, quo privati cives possident.* Resp. adparet igitur, melioribus ecclesiæ temporibus episcopos a politico principatu abstinuisse, ad quæ nostri episcopi iterum revocandi sunt; præsertim cum generaliter loquatur Gregorius, ita ut futurum quoque tempus includat. Nicolaus I. circa annum Christi 860. in epistola ad Michaelem imperatorem scripsit, fuisse quidem ante Christi adventum eosdem reges & pontifices, at Christum verum regem & pontificem ista distinxisse. *Cum ad verum ventum est,* (inquit) *ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humili-*

militate furſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in infernum demergi, & ut chriſtiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus ſpiritualis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & Deo militans minime ſe negotiis ſecularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis praeſidere videretur, qui eſſet ſecularibus negotiis implicatus. Hæc epiſtola Nicolai relata eſt inter decreta c. Cum ad verum diſt. 96. Excipit Bellarminus, *Nicolaum hoc ſolum voluiſſe dicere, non convenire, ut idem ſit pontifex totius orbis, & ſimul imperator totius orbis, non quod hoc repugnet evangelio, & nullo modo poſſit fieri, ſed quia Chriſtus ad conſervandam humilitatem voluerit pontificem indigere imperatoris defenſione in temporalibus, & ſimul imperatorem indigere pontificis directione in ſpiritualibus, quod autem Chriſtus voluerit, patere ex eo, quod reliquit imperium Tiberio, & Petro ſolum contulit pontificatum.* Reſp. Chriſtus nec totius orbis imperium, nec partem aliquam politici dominatus Petro reliquit, ſed apoſtolatum & docendi miniſterium; ſi ergo pontifex Chriſti vicarius & Petri ſucceſſor audire cupit, nec totius orbis imperium, nec principatuum quorumdam adminiſtrationem politicam ſibi arrogare debet, ac ratio, quam adfert Nicolaus pontifex, quod ſcilicet *Deo militans negotiis ſecularibus ſe ipſum implicare neutiquam* debeat, generalis eſt, tam in provinciarum, quam orbis imperio locum obtinens, diſt. 88. titulus hic eſt: *Epiſcopi & eccleſiaſtici ſecularia negotia non curent.* (*) Marſilii Patavini, Auctoris ἀνωνύμου de onere eccleſiæ, Güntheri, Jacobi Spigelii, Petri de Vineis, Wilhelmi Occami, Petri Ferrarienſis, Alberici a Roſate, & Antonii Roſelli teſtimonia adduximus ſuperius §. CXCVII.

§. CCCII. IIX.) *Ex reſcriptis imperatorum & regum.* (**) Hadrianus IV. pontifex ad Fridericum imperatorem ſcripſit hiſce verbis: *Adrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Friderico imperatori ſalutem & apoſtolicam benedictionem: Lex divina ſicut parentes honorantibus longaevitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri ſententiam mortis intendit. Veritatis voce docemur, quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, ſuper prudentiam tuam non mediocriter admiramur, quod b. Petro & ſacrae Romanae eccleſiae, non quantum deberes, reverentiam exhibere videris, in literis enim ad nos miſſis nomen tuum noſtro praeponis, in quo inſolentiae, ne dicam arrogantiae, notam incurris.* Reſcripſit vero imperator in hanc ſententiam: *Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator ſemper Auguſtus, Adriano Romanae eccleſiae pontifici omnibusque adhaerere volentibus iis, quae cepit Jeſus facere & docere S. D. Lex juſtitiae unicuique, quod ſuum eſt, reſtituit, non enim parentibus noſtris derogamus, quibus in hoc regno noſtro debitum exhibemus honorem, a quibus & regni dignitatem ſuſcepimus & coronam. Numquid tempore Conſtantini Sylveſter regalis aliquid habuiſſe dignoſcitur, ſed ejus pietatis conceſſione libertas data eſt eccleſiae, pax reſtituta, & quidquid regalis papatus veſter habere dignoſcit, ut pontifex vacantis imperii adminiſtrationem haberet.* Paraleip. ad Abb. Urſperg. in Ludov. Bavaro. p. 377. Vide Buxtorffium ad aur. bull. Sigism. Sold. in conſil. ad Ferdinand. imperat. Ludolph. de Babenberg. de imp. Rom. imo omnia, quæ in gratiam pontificis contra libertatem imperii introducta putantur, nec divino jure, nec ulla patrum ordinatione, ſed blanda quorumdam adſentatione, & Romanorum ſpontanea ingeſtione ad pontifices talia, qualia ſunt, perveniſſe poſt Ludov. Bavarum plurimi chriſtiani imperatores ſanciverunt. GERHARDVS.

8.) *Ex reſcriptis imperatorum.*

(*) Apud Nicephorum exſtat ſententia Syneſii, veteris theologi: τὰς πολιτικὰς ἀρετὰς ἱερωσύνῃ συνάπτειν, συγχλώθειν ἔστι τὰ ἀσύγκλωστα. GERHARDVS.

(**) Papa ſumma imperii jura non ſolum ſibi tribuit, ſed etiam præterea perpetuum imperii vicariatum ambit, ut ambitioſe prætendit in c. Si fratrum ne ſed. vac. in extrav. Clem. 1. de jurejur. Clem. paſtoralis de ſent. & rejudic. cujus ambitionis primum auctorem Clementem V. ſtatuunt Onuphrius Panvin. de comit. imper. & ad eumdem in not. Frid. Hordledenus; ſed Ludovicus Bavarus recte dixit: *Nulla ſcriptura, nulla ratio, ſed ſola uſurpatio introduxit.* GERHARDVS.

gnoscitur, largitione principum donatur, unde cum Romano pontifici scribimus, jure ex antiquo nomen nostrum praeponimus, & ad justitiae normam idem nobis scribenti concedimus, revolvite annales, & si lectum neglexistis, quod adserimus, illic invenitur. Cum Bonifacius VIII. in Philippum pulchrum, Galliæ regem, potestatem ac superioritatem sibi arrogaret, hasce ab eo accepit literas: *Philippus, Dei gratia Francorum rex, Bonifacio se gerenti pro summo pontifice salutem sive modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse, ecclesiarum & praebendarum collationem ad nos jure regio pertinere.* Referunt verba rescripti M. Jean. de Serres en seconde partie generale de l'histoire de France, in vita Phil. IV. Steph. Aufrer in repetit. Clem. 1. de offic. ordin. n. 57. Bodinus lib. I. de Republ. cap. 9. num. 139. Henricus imperator de Hildebrando pontifice Romano ad episcopos in hæc verba scripsit: *Unus cum utrumque regimen* (politicum & ecclesiasticum) *sibi vindicavit, utrumque dissipavit, nec in uno profuit, qui in neutro prodesse voluit, nec potuit.* Abb. Ursperg. in chron. Flac. in catal. test. verit. Ludovicus imp. in edicto publico contra Johannem XX. *Maxime diversa sunt crucifixus & summa potestas: miles & sacerdos: imperator & pastor: regnum & patibulum: corporalia & spiritualia: arma & sacra: bellum & pax: caesar & nuncius: princeps & minister: dominus & servus*, referente Aventino lib. II. annal. Bojor. In eandem fere sententiam scribit Carolus calvus in epist. apologetica, quam contra Adrianum II. §. Quod & nos &c. apud Heimensfeld. tom. I. constit. imper. Philippus Valesius, Galliæ rex, suo tempore constituit, ut a parlamento, tanquam a politica administratione, prælati & episcopi omnino arcerentur, negavit enim, *se bona conscientia pastores animarum curam gerentes a tam ardua cogitatione revocare posse*, referente Obrechto jurisconsulto in disp. de bello th. C. Richardus, rex Angliæ, cum Philippum Bellovacensem, qui contra exercitum ejus militem duxerat, acie captum detineret, eumque tanquam filium suum pontifex dimitti juberet, Romam misit arma, quæ episcopus in acie gestarat, petiitque considerari, *an haec esset tunica filii, & an filii papae talem amictum gestarent*, unde papa ita erubuit, ut ejus gratuitam liberationem ulterius non postularet. Holinsh. in chron. Rich. I. Alexius imperator Constantinum Mesopotamitam, pontificem Thessalonicensem, ab officio removit, quod *ex templo pedem in curiam proferret.* Nicet. II. annal. Alex. Sigismundus, rex Poloniæ, prohibuit *ecclesiasticos prorsus misceri judiciis secularibus, nisi peculiariter a rege requisitos.* lib. I. stat. Polon. cap. 2. art. 11.

§. CCCIII. IX.) *Ex testimoniis jurisconsultorum, & politicorum & historicorum.* Aristoteles lib. IV. politic. cap. 15. negat

9.) *Ex testimoniis politicorum.*

facerdotes civilem magistratum gerere posse. Fabius Maximus cum in eligendo consule occupatus esset, Æmilium Regillum, sacerdotem Quirinalem, a consulatu removit, *neque enim*, inquit, *eum a sacrificiis & deorum cultu avocare licet.* Ferrariensis in practic. in forma libell. responsi. rei conven. gl. XVIII. num. 1. scribit, *clericis prohibitum esse implicare se negotiis secularibus, cum male sonet psalterium cum cythara.* Glossa in c. Quemadmodum 24. q. 1. in verbo *invidia* dicit, *papam esse successorem Petri piscatoris, non Augusti imperatoris.* in c. Quoniam dist. 12. ad verbum *discrevit*, statuit, *pontifices Romanos non minus, quam alios cujusvis ecclesiae antistites, jurisdictione seculari carere*, quod prolixe etiam probant Antonius de Rosellis tract. de potest. pap. & imper. & Almain. tract. de potest. eccles. & laic. relati a Covarruvia in c. peccatum p. 2. §. 9. n. 7. ubi *contrarium quidem a plerisque in favorem pontificis traditum, hoc tamen absque ulla haereseos suspicione defendi posse* scribit, cui adstipulatur Bodinus lib. III. de republ. cap. 3. num. 227. & seqq. Cum enim *ecclesiasticis opprobrium esse dicatur, se peritos ostendere rerum secularium,*

rium, ideo ex officii sui natura jurisdictione seculari carere convincuntur. Prius patet arg. l. placet 17. l. repetita 41. verf. absurdum C. de episc. & clericis l. consulta, divalia C. de testam. c. Cum ad verum dist. 96. c. Sacerdotibus in fin. c. sed nec procurationes & t. t. Extr. ne cler. vel mon. secular. negot. se immisceant. c. 1. 2. & seqq. 21. q. 3. c. Sanctor. & venerabil. episc. 80. & 82. Nov. Leonis 86. &c. Michael Alcurunnus, Pampilonensis, in tract. de regim. mundi imperatori Carolo V. inscripto p. 2. q. princ. num. 47. concludit, *quod papa temporalem potestatem nec actu, nec habitu, in imperatorem obtineat.* Johannes de Paris. lib. de regali & papali potest. c. 16. ostendit, *imperatorem a solo Deo, non a pontifice Romano habere potestatem, & Christum, cujus vicarius cupit esse Romanus pontifex non administrasse imperium mundanum.* Idem demonstrat Ludol. de Babenberg. in lib. de jure regni & imp. Rom. cap. 9. &c. Cum Philippus, Hispaniarum rex, Portugalliæ regnum defuncto rege Henrico ad se jure hæreditario pertinere contenderet, ac papa ultro & non rogatus judicem se offerret, rex expetivit super ea re ab universitate Alcaldana consilium. Doctores re penficulatius deliberata responderunt, *papam & apostolicam sedem nequaquam in hac causa vel posse, vel debere judicialiter cognoscere, quia secularis & mundana omnino esset, spiritualibus illum potius, omissis his, ut incumbat, decere.* Refert Wolffius cent. XVI. p. 937. Ex Fulgoso lib. VI. memorat Duarenus lib. I. de sacri eccles. minist. cap. 4. cum archiepiscopus Colonienſis per pagum quemdam iter faceret, & ingens armatorum numerus eum sequeretur, forte fortuna bubulcum aliquem eo viso vehementius ridere cœpisse, ac interrogatum, quænam risus causa, respondisse, *sibi ridiculum videri, quod Petrus apostolus, sacerdotalis ordinis princeps, in tanta inopia vitam egisset, ut ejus successores adeo locupletarentur, & regibus satrapisque pares fierent.* Objiciente vero episcopo, *se duplicem personam sustinere, ducis scilicet & episcopi*, majorem cachinnum sustulit bubulcus, dicens: *Velim hoc unum abs te doceri, cum hunc ducem, cujus personam geris, jam fato functum daemones ad inferos rapient, quonam iturum esse episcopum existimes?* Convenit cum hoc bubulci responso Roberti a Licio dicterium in concione coram papa & cardinalibus prolatum, quod recensuimus in loc. præced. de ecclesia. Sigebertus in chron. ad annum Christi 1088. cum Hildebrandus pontifex primum illam potestatem adversus Henricum imperatorem sibi injuste adsumeret, de solio imperiali ipsum deturbandi, hoc in pontifice *tanquam novitatem*, & quamquam id subveritus dicere, *haeresin* condemnat. *Haec sola novitas, non dicam haeresis &c.* Crantzius lib. VIII. hist. Saxon. cap. 36. referens de Bonifacio VIII. quomodo secunda solennitatis jubilæ die habitu cæsareo præferente quodam aulico gladium nudum præsentibus cæsaris Alberti legatis templum ingressus sit, & ubi consedit, alta voce exclamarit: *Ecce duo gladii hic: Ego sum papa & caesar, cælestis & terrestris imperii potestatem habeo &c.* subjungit: *Vide, o Petre, successorem tuum, & tu, salutifer Christe, tuum cerne vicarium, vide quo adscenderit superba servi servorum tuorum?*

§. CCCIV. X.) *Ex testimoniis quorumdam scriptorum pontificiorum.* (*) Barthol. Cassan. lib. IV. catal. gloriæ mundi, consid. 10.) *Ex testimoniis pontificiorum.*

(*) *Sublimati in papam* (primis trecentis post Christum annis) *non ad temporale dominium trahebantur, sed ad martyrium.* Greg. Heimburgerus in admonit. de injustis usurpationibus Romanorum paparum fol. 118. in 4. Et postea: *Hujus ecclesiae gloria fuit non purpura, non divitiae, non equus albus, non fastus, non dominatus, sed: ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te Domine. Speramus ex hoc non adquirere sedem temporalis eminentiae, sed sedem judicantium duodecim tribus Israel juxta Christi promissum. Sed a tempore Sylvestri, qui fuit vicesimus quartus papa a Petro, incepit ecclesia mixta, sanctus enim Sylvester Constantini donationem pro usu notariorum, qui gesta martyrum describerent, & pauperum, non in dominium, sed usum fructum acceptavit.* GERHARDVS.

confid. 7. scribit, *summum pontificem & sacerdotes sancti ordinis regi & principi subditos esse, argumento eo, quod 4. Reg. XXIII. ponatur verbum principis ad sacerdotes imperative: Nolite &c.* Erasmus in comp. theol. p. 26. *Non dictum est, rege, aut subige oves, sed pasce, neque dictum est, oves tuas, sed meas, alieni gregis pastor es, non dominus, vide, ut oves bona fide adnumeres tibi creditas.* In adnot. 1. Tim. III. p. 469. *Olim qui episcopatum adpetebat, praeclarum opus adpetebat; his temporibus, qui episcopatum expetit, bonum censum expetit, praeclarum imperium expetit.* In adnot. 1. Petri V. p. 533. *pascite gregem: Praeceptum hoc apostolorum aulis vel aureis literis oportebat inscribi. Pascite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate, idque non coacte velut ex officio, sed ex sincero adfectu tanquam patres, neque turpis lucri gratia, quasi praesentiens ecclesiae pestem hinc orituram. Denique non dominantes more regum, sed exemplo pascite, benefactis vincite. Nunc episcoporum vulgus nihil audit ab adsentatoribus nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atque hinc fastus quorumdam plusquam regius, saevitia plusquam tyrannica &c.* Auctor orat. ad regem christianum, qui se catholicum nominat, pag. 19. edit. Lugd. *Claves, quas Deus dedit Petro & sanctis patribus successoribus ejus, ad regnum caelorum duntaxat pertinent, ad regnum terrae nullo modo, ille ipse omnipotens, cum hic in terris ageret, non instituit castigare reges, non coronas effringere, sed contra tota vita ipsius fuit quidam apertus humilitatis liber.* p. 15. *Propositionem illam, quod penes pontifices sit, ut reges excommunicent, & a jurejurando ac fide data subditos absolvant, quotquot in regno Gallico, ex quo christianum est, vixerunt, exploserunt velut omnium periculosissimum & summe adversantem verbo Dei, qui dixit:* Regnum meum non est de hoc mundo; *super quem locum Augustinus tract. CXV. in Joh. Audite omnia terrena regna, non impedio dominationem vestram.* Auctor libr. de eccles. & pol. potest. in Gallia scripti ed. Franc. anno 1612. pag. 24. & seqq. multis scripturae dictis demonstrat, *ecclesiam nec territorium, nec jus gladii, carceris, aut alterius poenae corporalis habere, de terrenis haereditatibus ac possessionibus minime judicare; cum anima hominum non terrena imperia habeat pro subjecto, ecclesiasticos non debere se negotiis secularibus immiscere;* & addit, *a quo tempore contrarium fieri coeptum, magnam ecclesiasticae disciplinae conturbationem esse subsecutam.* Petrus a Well, jurisconsultus, in tract. de usuris edit. Colon. anno 1564. in octern. c. *Miscentur officia politica & ecclesiastica, quod cum fit, differentia inter politicum & ecclesiasticum magistratum non recte evanescit, Deum precor, ut hoc tandem corrigere dignetur ad nominis sui gloriam sempiternam.* Hieron. Vendramenus in adsert. contra reipubl. Venet. detractores thes. I. *Summus pontifex, qua Christi vicarius est, nullum habet temporale dominium in principum secularium regnis atque imperio.* Gallofrancus in epist. ad Philenetum pro libertate status Veneti Paris. anno 1606. *Videant, qui temporalem gladium in potestate Petri atque ideo in ecclesia esse contendunt, cum tamen Paulus in 2. Cor. X. contra dixerit:* Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. Barclajus contra Bellarminum de temporali potestate pontificis aliquot scripta in publicum edidit. Stapletonus in promt. catholic. dominic. XXII. post pentecost. text. 2. sic scribit: *Catholicam doctrinam de distincta potestate ecclesiastica & politica Christus hoc loco* (Matth. XXII. Date caesari &c.) *diserte docet.* Et postea: *Christus ita respondet, ut spiritualem potestatem tam suam, quam eorum, quos missurus esset, a politica & regia distinctam stabiliret.*

Antithesis pontificiorum.

§. CCCV. Videamus, quae sit pontificiorum de temporali potestate pontificis & episcoporum ipsius sententia. Bellarminus lib. V. de pontif. cap. 1. *tres* exstare de ea sententias: 1.) *summum*, ait, *pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in universum orbem terra-*

terrarum, tum in rebus eccleſiaſticis, tum in politicis. Hanc tribuit Auguſtino, Triumpho, Alvaro, Pelagio, Hoſtienſi, Panormitano & aliis canoniſtis. 2.) *Pontificem, ut pontificem & ex jure divino, nullam habere temporalem poteſtatem, nec poſſe ullo modo imperare principibus ſecularibus, nedum eos regnis privare; nec licuiſſe pontifici aliisque epiſcopis accipere temporale dominium, quod nunc habent in quasdam urbes & provincias &c.* Hanc tribuit nobis, quos vocat hæreticos. 3.) *Pontificem, ut pontificem, non habere directe & immediate ullam temporalem poteſtatem, ſed ſolum ſpiritualem; tamen ratione ſpiritualis habere ſolum indirecte poteſtatem quamdam, eamque ſummam in temporalibus.* Hanc dicit eſſe communem catholicorum ſententiam, quam ipſe quoque defendere conatur: pollicetur igitur ſe tria demonſtraturum: 1.) *Pontificem jure divino non habere directe temporalem poteſtatem*, illud probat per tria capita oſtendens, *papam non eſſe dominum totius orbis*, cap. 2. *nec eſſe dominum totius orbis chriſtiani*, cap. 3. *nec eſſe dominum ullius provinciae aut oppidi, nullamque habere jure divino juriſdictionem mere temporalem*, cap. 4. argumenta contraria ſolvit. cap. 5. 2.) *Pontificem habere aliquo modo, id eſt, ratione ſuae ſpiritualis monarchiae ſummam poteſtatem etiam temporalem, indirecte ſcilicet*, quod explicat cap. 6. probare conatur, cap. 7. & 8. 3.) *Non eſſe contra jus divinum, quod epiſcopi habeant etiam actu & directe juriſdictionem temporalem in urbes & provincias ſibi donatas a regibus, vel alio titulo juſto adquiſitas*, quod cap. 9. demonſtrare nititur, ſolutis argumentis contrariis cap. 10.

§. CCCVI. In *primo* habet nos ſibi Bellarminus ὁμοψήφους, ipſe vero viderit, quomodo hac in parte ei conveniat cum aliis pontificiis, imo cum ipſis pontificibus. Nam in decretalibus non *indirectam* tantum, ſed *directam* & plenariam poteſtatem in temporalibus pontifices ſibi vindicant c. Omnes diſt. 22. ubi *terreni & cæleſtis imperii jura Petro dicuntur commiſſa*: c. Cuncta cauſ. 9. quæſt. 3. ubi *Romana eccleſia dicitur fas habere de omnibus judicandi, ut nulli liceat de ejus judicare judicio.* c. Omnes extra de major. & obed. ubi *omnes principes terrae ac caeteros homines epiſcopis obedire a Petro juſſos eſſe* aſſeritur c. Unam ſanctam. extra de majorit. & obed. ubi Bonifacius dicit, *in poteſtate pontificis Romani eſſe duos gladios, ſpiritualem videlicet ac temporalem, ac ſubeſſe Romano pontifici, omni humanae creaturae omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* c. Licet extra de foro competent. Innocentius III. ſtatuit *vacante imperio ſummum pontificem in adminiſtratione ſuccedere & imperiali poteſtate uti, donec alius electus fuerit.* Idem habet Clemens V. in Clem. paſtoralis de re judic. unde etiam Sixto V. parum placuit temperamentum illud Bellarminianum de poteſtate indirecta, ſiquidem in bulla contra Henricum III. Franciæ regem adfirmat, *ſe ſupremam in omnes reges & principes univerſae terrae, cunctosque populos & gentes & nationes non humana, ſed divina inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere*, ac parum abfuit, ut ex Barclajo monuimus ſuperius, quin omnia Bellarmini opera propter hanc adſertionem cenſura ſua pontificia aboleret. Hoſtienſis, in c. *Quod ſuper his de voto & voti redemtione &c.* eo progreditur, ut ſtatuat, *per Chriſti adventum, omne dominium principum infidelium translatum eſſe ad eccleſiam, & reſidere in ſummo pontifice, ut vicario ſummi regis Chriſti, ideoque poſſe pontificem regna infidelium jure ſuo donare, quibus voluerit fidelibus.* Panormitanus ſtatuit, quod *papa jus utriusque gladii a Chriſto acceperit, ac proinde ipſum imperium ab eccleſia, id eſt, a pontifice dependere, atque ita de neceſſitate ſalutis credi oportere.* Johannes de Lignano ſcribit, *Conſtantinum non donationem, ſed reſtitutionem papae feciſſe, cum papa gerat Chriſti vices, cujus eſt terra & plenitudo ejus, & cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.* Barbatia ſcribit, *Deum omnia ſubjeciſſe pedibus papae, juxta illud propheticum: Subjeciſti omnia ſub pedibus ejus.* Jodocus

cus de Terano Urbani VI. cubicularius in tract. de monarch. verba Christi: *cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*; sic exponit, quod *Christus omnia imperia & regna mundi recuperaturus, & a caesare, regibus, aliisque principibus per milites suos apostolos ablaturus sit, ac papae ea daturus.* Similia in Bozio, Mariana & aliis recentioribus occurrunt.

Potestas pontificis indirecta.

§. CCCVII. *Secundum* adsertionis membrum de summa potestate temporali indirecte papae competente declarat Bellarminus similitudine aliqua: *Vt in homine* (inquit) *se habent caro & spiritus, ita se habent in ecclesia duae illae potestates, politica & ecclesiastica. Caro subest, spiritus praeest, & licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed finat eam exercere suas operationes, tamen quando eae officiunt fini ipsius spiritus, tunc spiritus carni imperat, eamque castigat. Sic spiritualis potestas non se miscet temporalibus negotiis, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest & debet coercere temporalem omni ratione ac via, quae ad id videtur necessaria.* Resp. 1.) Parum abest, quin Bellarminus repetat illud Innocentii c. Unam sanctam, extra de majorit. & obed. *Fecit Deus duo luminaria magna in firmamento caeli, luminare majus, ut praeesset diei, & luminare minus, ut praeesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur caeli, id est, universalis ecclesiae fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas magnas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas. Sed illa, quae praeest diebus, id est, spiritualibus, major est: quae vero carnalibus, minor: ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoscatur.* Ex quo colligit glossa, quod *dignitas papalis quadragies septies major sit imperiali dignitate.* 2.) Si potestas ecclesiastica spiritui, politica carni absolute & simpliciter comparatur, quid mirum, quod ecclesiastici nomen *spiritualium* in papatu sibi solis arrogarunt, cum tamen omnibus vere piis per Spiritum sanctum renatis ex praescripto sacrarum literarum competat. 1. Cor. II. 15. III. 1. Gal. VI. 1. 1. Petri II. 5. 3.) Similitudo ex parte concedi potest, si recte explicetur. Ut spiritus dirigit carnem in actionibus animalibus, sic potestas ecclesiastica dirigit politicam in spiritualibus; sed ex eo non est inferenda absoluta subordinatio potestatis politicae ad ecclesiasticam, quia in temporalibus potestas ecclesiastica vicissim subest politicae. 4.) Bellarminus similitudinem de arte frenifactoria & equestri ab aliis huc adplicatam propterea repudiat, quod *in illis artibus inferior sit solum propter superiorem, adeo ut sublata superiore tollatur continuo inferior*, quale quid in politica & ecclesiastica potestate non deprehendatur, siquidem etiamsi ecclesiastica non esset, adhuc esset politica. Verum idem desiderari posset in similitudine Bellarmin. Subducto enim spiritu in homine, caro nec vivit, nec operationes suas exserit, sed sublata ecclesiastica potestate nihilominus politica suas actiones exercere potest. 5.) Spiritus non miscet se actionibus carnis, nisi quando eae officiunt fini ipsius spiritus; tunc enim carni imperat, eamque castigat, vel quando ad finem spiritus obtinendum necessaria est aliqua carnis operatio, ut Bellarminus hoc loco differit: sic ecclesiastica potestas non debet se miscere politicae, nisi quando repugnat fini ecclesiasticae potestatis, & tunc debet eam coercere non armis carnalibus, sed spiritualibus. At pontifex Romanus ex privato odio, ambitione, dominandi cupiditate &c. imperatoribus se opponit, ut exempla Paschalis II. Innocentii III. Clementis V. Sixti IV. & aliorum pontificum testantur, nec spiritualibus, sed corporalibus armis eos castigat, regno & imperio eos exuit, subditos juramentis exsolvit, & hac ratione disciplinam ecclesiasticam in tyrannidem politicam commutat. Plura de hac comparatione dicentur in tractat. sequente in quaestione de exemtione clericorum a potestate civili.

§. CCCVIII.

Probatur
1.) ex rationibus.
1.) a potestatis temporalis subjectione.

§. CCCVIII. Sed videamus quomodo *indirectam* illam pontificis *potestatem* Bellarminus probet. cap. 7. Adducit *rationes & exempla.* Prima ratio sic habet: *Potestas civilis subjecta est spirituali, quando utraque pars est ejusdem reipublicae christianae. Ergo potest princeps spiritualis imperare principibus temporalibus, & disponere temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale, omnis enim superior imperare potest inferiori suo.* Resp. 1.) Argumentum nititur falsa hypothesi de monarchica pontificis potestate in universam Christi ecclesiam. 2.) Politica potestas non simpliciter, nec in omnibus, ecclesiasticae est subjecta, sed in spiritualibus; nec subordinatio finium, quam Bellarminus urget, absolutam imperatorum erga pontifices etiam in temporalibus subjectionem probat, finis frenifactoriae artis subordinatus est fini equestris, & tamen qui frenum facit, non est necessario equiti subjectus. 3.) Quae absolute & simpliciter subordinata sunt, eo modo conjunguntur, ut sublato superiore statim tollatur inferius, atque tale quid in ecclesiastica & politica potestate non animadvertitur. Nam *sublata ecclesiastica potestate politica adhuc manet, ac inveniuntur hae potestates quandoque separatae, ut tempore apostolorum*, quae sunt verba Bellarmini cap. praeced. 4.) *At*, inquit Bellarminus, *reges & pontifices, clerici & laici faciunt unam rempublicam, id est, unam ecclesiam, jam vero in omni corpore membra sunt connexa; & unum ab alio dependet.* Resp. etiam aristocratica respublica unum constituit corpus, nec tamen in eo unum membrum dependet ab altero tanquam inferius a superiore. Nobilissimum illud in mystico ecclesiae corpore membrum, a quo reliqua omnia dependent, non est papa, sed Christus: Eph. I. 22. IV. 15. Col. I. 18. II. 10. &c. Possunt omnino reges & ecclesiastici unum constituere corpus, etiamsi reges non sint in temporalibus subjecti ecclesiasticis: in quibusdam ecclesiastici subjecti sunt magistratui politico, scilicet quoad leges civiles ac dominatum politicum; in quibusdam politici pendent a praesidibus ecclesiasticis, scilicet quoad spiritualia & coelestia bona, quae per verbum & sacramenta distribuuntur, item quoad censuras eccl siasticas. 5.) *At*, inquit Bellarminus, *magistratus tenetur in suo imperio mutare, quidquid spirituale bonum impedit, ergo subjecta est temporalis potestas spirituali.* Resp. magistratus pius hoc facit propter Dei gloriam, cujus vices in terris sustinet, & propter aeternam subditorum salutem, ad quam civilis potestatis administratio dirigenda; nequaquam vero ob jurisdictionem quamdam coactivam externam ecclesiasticae potestati competentem. Quod si namque magistratus politicus illud mutare recuser, ecclesiae προεδρῶς per vim externam eum cogere nec potest, nec debet.

2.) Ex reip. christianae perfectione.

§. CCCIX. II.) *Respublica ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem, tales enim sunt omnes respublicae bene institutae. Ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum; sed necessaria est ad finem spiritualem potestas utendi & disponendi de temporalibus rebus, alioquin possent mali principes impune fovere haereticos, & regionem evertere, igitur & hanc potestatem habet.* Resp. 1.) Perfecta olim fuit tempore Christi, apostolorum & primitivae ecclesiae respublica ecclesiastica, neque tamen episcopi tunc temporis habebant talem potestatem disponendi de temporalibus. *Separatae erant illae potestates tempore apostolorum*, scribit Bellarminus capite proximo praecedente; *tempore Gregorii ecclesia nondum habebat politicum principatum*, scribit idem cap. ult. hujus libri. Ergone tempore Gregorii nondum erat perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem respublica ecclesiastica? 2.) Non potest major aliqua potestas tribui successori, quam in antecessore invenitur. Jam vero papa ex hypothesi Bellarmini est successor Petri. Ergo non debet majorem potestatem sibi arrogare, quam

in

in Petro invenitur. Vbi vero Petrus exercuit vel arrogavit sibi potestatem disponendi de temporalibus? 3.) Imperatores olim fovebant hæreticos Arianos, neque tamen eversa fuit religio, neque episcopi temporalem potestatem sibi arrogabant. 4.) Quid si ipse papa, cui summam de temporalibus disponendi potestatem Bellarminus adsignat, in hæresin incidat, ecquod tunc remedium supereſt? num protinus omnis eversa erit religio? Non est, quod regerant, hypothesin eam esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ostendunt enim exempla Liberii, Felicis, Anastasii, Vigilii, Honorii &c. ad papalem illam sedem hæresibus patefactum quandoque esse aditum. 5.) Recognoscat Bellarminus sua verba lib. II. de concil. cap. 19. *Non est mirum*, (inquit) *si ecclesia, quando habet malum pontificem, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex Deus sit. Itaque etiamsi ecclesia non possit deponere pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat, & certum est Deo fore curae ejus salutem, qui talem pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam ecclesiam destruat.* Idem nos verbis paululum immutatis ad Bellarmini argumentum hoc loco adlatum respondemus. Non est mirum, si ecclesia, quando habet magistratus impios vel hæreticos, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præcipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex Deus sit. Itaque etiamsi episcopi non possint deponere tales magistratus, tamen debent ac possunt Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat.

3.) *Ex necessaria regum infidelium ac haereticorum depositione.*

§. CCCX. III.) *Non licet christianis tolerare regem infidelem, aut haereticum, si ille conetur subditos pertrahere ad suam haeresin, vel infidelitatem. At judicare, an rex pertrahat ad haeresin, nec ne? pertinet ad pontificem, cui est commissa religionis cura. Ergo pontificis est judicare, regem esse deponendum, vel non deponendum.* Resp. hoc caput theologiæ jesuiticæ Christo, apostolis & primitivæ ecclesiæ christianis penitus ignotum fuit. Christus infideli & ethnico imperatori tributum solvit, Matth. XVII. 27. atque idem facere suis præcepit: Matth. XXII. 21. Paulus & Petrus jubent, ut ethnicis & impiis magistratibus obtemperemus, alii enim tunc temporis non erant, cum suas epistolas exararent: Rom. XIII. 1. Tit. III. 1. 1. Petri II. 13. quod agnoscit ipse Stapletonus dom. XXII. post pentec. sic scribens: *Cum jure gentium & naturae dubium nemini hoc esset, docent apostoli, etiam Dei voluntatem esse, ut regibus etiam ethnicis & infidelibus, neque enim alii tunc erant, ipsi pii & fideles obtemperarent.* Christiani olim non deposuerunt Neronem, Diocletianum, Julianum apostatam, Valentem, Arianum, ac similes. Tertullianus in apol. cap. 30. *Nos pro salute imperatoris Deum invocamus aeternum, ut concedat ei vitam prolixam, regnum securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, orbem quietum &c.* Nullus prophetarum auctor fuit populo Israelitico, ut propter apostasiam reges deponeret, quin potius Jeremias pro Nabuchodonosore Israelitas vota facere jubet. Argumenta, quibus Bellarminus hæreticam ac seditiosam suam thesin probare nititur, in seq. tractatu part. II. in quæstione: *An etiam infideli & haeretico magistratui subditi christiani & orthodoxi teneantur obstricti?* soluta dabuntur; hoc loco acceptamus illud, quod Bellarminus in exodo hujus capitis concedit, *apostolis & christianis in primitiva ecclesia defuisse vires temporales ad deturbandos e solio imperatores ethnicos;* ex eo enim colligimus, potestatem illam non esse necessariam ad reipublicæ christianæ perfectionem, si enim necessaria fuisset, certe Christus apostolis ac christianis eam dedisset.

4.) *Ex sceptrorum in manus pontificis resignatione.*

§. CCCXI. IV.) *Quando reges & principes ad ecclesiam veniunt, ut christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito,*

cito, ut sceptra sua Christo subjiciant, & polliceantur, se Christi fidem servaturos & defensuros etiam sub pœna regni perdendi. Ergo quando fiunt haeretici, aut religioni obsunt, possunt ab ecclesia judicari, & principatu deponi. Resp. 1.) Aliud est sceptra Christo, aliud papæ subjicere. 2.) Principes ad imperii gubernacula evecti non pacisceuntur cum Romanis pontificibus, sed quandoque cum regni proceribus. 3.) Julianus cum in imperatorem eligeretur, christianam religionem profitebatur, postea ad gentilismum se convertebat, nemo tamen christianorum imperio eum propterea spoliavit. Multi imperatores facti sunt Ariani, nec tamen propterea ex solio imperiali dejecti. 4.) *Vt arma* ecclesiæ non *sunt carnalia, sed spiritualia:* 2. Cor. X. 4. ita quoque ecclesiastica correctio non est e sede regali deturbatio, sed excommunicatio. Ambrosius Theodosium delinquentem non expulit regno, sed per excommunicationem prohibuit a templi ingressu. 5.) Et quis unquam ante tyrannicum antichristi in ecclesia dominatum fando audivit, regnorum collationem & ademtionem inter officia ecclesiastica referri?

5.) *Ex pastoralis officii conditione.*

§. CCCXII. V.) *Cum Petro dictum est*: Pasce oves meas, Joh. XXI. 17. *data est illi facultas omnis, quae ad tuendum gregem pastori est necessaria. Ea vero triplex: circa lupos, ut eos arceat omni ratione, qua poterit: circa arietes, ut eos recludat, si cornibus gregem laedunt; ac circa oves reliquas, ut eis tribuat convenientia pabula. Si ergo princeps fiat lupus, id est, haereticus, pastor ecclesiae potest eum arcere per excommunicationem, & simul jubere populo, ne eum sequatur, ac proinde privare eum dominio in subditos. Si fiat aries furiosus ovile destruens, potest eum recludere, vel redigere in ordinem ovium. Denique potest ac debet ecclesiae pastor regibus jubere, ut Deo serviant defendendo ecclesiam ac puniendo haereticos, ac nisi fecerint, eos cogere per excommunicationem aliasque commodas rationes.* Resp. 1.) Mirum est Bellarminum hanc indirectam pontificis potestatem elicere velle ex dicto Christi: *Pasce oves meas*; cum in cap. ultimo fateatur, *pontificem ut pontificem, & secundum id, quod habet ex institutione Christi, consideratum non habere dominatum politicum.* Atqui si non habet eam ut pontifex, utique etiam non habet ut pastor, si non habet ex institutione Christi, utique nec ex verbis; *Pasce oves meas.* 2.) Omnibus apostolis & veris eorum in ministerio successoribus dictum; *pascite gregem*: 1. Petr. V. 2. ergone omnes ecclesiæ ministri habent potestatem imperatores de solio deturbandi? 3.) Si pascere oves est reges infideles ex solio deturbare, Petrus officio pascendi sibi commisso non est rite ac legitime functus, nunquam enim tale quid ausus fuit facere. 4.) Petrus jubet *obedire* regibus etiam infidelibus, 1. epist. II. 13. ergo verba Christi non accepit eo sensu, quem Bellarminus illis adfingit. 5.) Bellarminus de impletione legis disputans lib. IV. de justificat. cap. 13, arctissime & individuo nexu conjungit *mandatum* & *vires implendi*; quod si ergo verba Christi: *Pasce oves meas*, continerent mandatum de infidelibus regibus ex solio deturbandis, utique etiam vires illud implendi Petrus & christiani in primitiva ecclesia habuissent, jam vero Bellarminus in præcedentibus negavit, tales vires Petro & christianis tunc temporis adfuisse. 6.) Corrigantur magistratus, si in lupos vel arietes degenerare velint exhortando, ligando, excommunicando, nequaquam vero a solio imperii deturbentur. Excommunicatio enim ab ecclesiastica duntaxat communione arcet, nequaquam vero jura gentium evertit, proinde nec subditos a juramento fidelitatis magistratui præstito absolvit. 7.) Fimbria illa in Bellarmini verbis per excommunicationem, *aliasque commodas rationes*, latissime patet, ac multas jesuiticas practicas complectitur, de quibus libri Marianæ, & aliorum videantur.

§. CCCXIII. Cap. VIII. producit *exempla*, ad quæ in genere respondemus, 1.) Non exemplis, sed

II.) *Exemplis*

sed legibus esse judicandum. 2.) Exstare multa exempla pontificum a conciliis depositorum, neque tamen Bellarminus concedit, concilium habere eam potestatem. Sed videamus singula in specie. I.) *Rex Ozias cum sacerdotum officium usurparet, fuit de templo a pontifice ejectus, & propter lepram regni administratione privatus* 2. Par. XXVI. *Si ergo propter lepram corporalem poterat olim sacerdos regem judicare & regno privare, utique idem hodie poterit propter haeresin, quae est lepra spiritualis.* Resp. 1.) A summo sacerdote vet. testam. ad Papam in nov. test. propter causas alibi monstratas non licet argumentum ducere. 2.) Non solus Azarias pontifex, sed una cum eo sacerdotes octoginta robusti viri steterunt contra regem, & dixerunt. *Non est tuum Ozias.* juffire. 2. Paral. XXVI. 18. 3.) Exstat mandatum expressum, quod regibus non debet permitti, adolere incensum, cum solis sacerdotibus hoc injungatur, verum quod non liceat tolerare regem infidelem, vel haereticum, nuspiam in scripturis docetur. 4.) Propter incensum thymiama Ozias non est statim e solio regni deturbatus, sed cum ob inobedientiam lepra divinitus percuteretur, compulsus est e templo egredi, & in domo separata juxta legis divinae praescriptum habitare. 5.) Sacerdotes e templo Oziam ejecerunt, sed quod regno eum privarint, nuspiam legitur. 6.) Joatham filius ipsius *pro eo regnasse* dicitur, v. 23. ergo non desiit plane rex esse, sed quia ob lepram in domo separata ipsi vivendum erat, Joatham filius vices ejus tenuit, qui ipso mortuo demum rex declaratus est. 2. Paral. XXVII. 1. 7.) Si propter haresin, utpote spiritualem lepram, potestate aliquis privandus, quoties pontifices erunt de fede sua deponendi?

Ozias.

Jojadae.

§. CCCXIV. II.) *Jojada pontifex vocavit centuriones ac milites, & jussit eis, ut Athaliam, quae tyrannice regnum occupaverat, & idololatriam baaliticam fovebat, interficerent.* 2. Paral. XXIII. Resp. 1.) Regnum jure hæreditario pertinebat ad Joram, illi igitur merito fuit restitutum. 2.) Athalia multis regiorum filiorum cædibus erat contaminata, ac tyrannice regnum occupaverat, merito igitur regni proceres eam e solio dejecerunt. 3.) Non a solo pontifice, sed ab omnibus regni proceribus Athaliæ e solio regali dejectio, & Jorami in illud evectio fuit suscepta, sic enim habet: v. 1. *Confortatus Jojada adsumsit centuriones, Azariam videlicet, filium Jeroham & Ismael, filium Johanan, Azariam quoque, filium Obed, & Mahasiam, filium Adaiae, & Elisaphat, filium Zechri, & iniit cum iis fœdus.* v. 2. *Qui circumeuntes Judam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda & principes familiarum Israel, veneruntque Jerusalem.* 4.) Sacerdotes vet. test. ex Dei mandato gerebant partem muneris politici, atque cum judice sedebant in judiciis, Deut. XVI. 9. ac Jojada peculiari ratione ad heroicum illud factum fuit permotus, tum enim politiæ gubernatio maxima ex parte illi incumbebat, & ipse erat tutor regis. 5.) Liceat sane papæ regem injuste depositum juvare, modo id legitimis mediis interim fiat, non sequitur, posse papam etiam jus regni alteri dare.

Ambrosii.

§. CCCXV. III.) *Ambrosius excommunicavit imperatorem Theodosium, & coegit eum, ut ferret legem, ne sententiae latae de caede, vel bonorum publicatione essent, nisi post triginta dies a sententiae pronunciatione. Ergo etiam in foro externo legitimus judex Theodosii fuit.* Resp. 1.) Ambrosius non fuit papa Romanus, nec in episcopatu Mediolanensi papa illi successit. 2.) Excommunicavit imperatorem (*) non autem imperio eum privavit, nec subditos a juramenti religione absolvit. 3.) Nec coegit imperatorem

(*) De hac disciplinæ ecclesiasticæ severitate, quam Ambrosius, Mediolanensium episcopus, in Theodosium M. imperatorem exercuit, postquam hic septem hominum millia, nullo insontium & noxiorum discrimine habito, Thessalonicæ crudelissime occidi jussisset, evolvi merentur Rechenbergius

peratorem, ut legem illam ferret, quæ in codice adhuc habetur, sed suasit & auctor extitit. (*) Quæ ergo consequentiæ ratio a censura ecclesiastica ad dominium politicum, a consilio & suasu ad coactionem?

Episcoporum Romanorum. §. CCCXVI. IV.) *Gregorius I. in quodam decreto illos reges & judices, qui decreta sedis Romanae violaverint, honore suo privandos dicit. Gregorius II. Leoni imperatori a se excommunicato vectigalia ab Italis solvi prohibuit, & proinde parte imperii eum multavit. Zacharias deposuit Childericum, & Pipinum, Caroli magni patrem, regem Francorum creari jussit. Leo III. imperium transtulit a Graecis ad Romanos. Gregorius V. sanctionem edidit de imperatore eligendo per septem Germaniae principes. Gregorius VII. Henricum IV. imperatorem deposuit, & alium eligi jussit. Innocentius III. Othonem IV. similiter deposuit. Innocentius IV. deposuit Fridericum II. Clemens VI. deposuit Ludovicum IV.* Resp. 1.) Exempla probant factum, non jus. 2.) Quod ex veteribus historicis multi ea facta laudant, tribuendum est papalis potentiæ magnitudini. 3.) Multi pro imperatoribus contra pontifices scripserunt, proinde ex scriptura, non ex hominum testimoniis de illis factis judicandum. 4.) Pontifices fuere judices in propria causa, quod legibus prohibitum l. unica. C. ne quis in sua causa. l. 10. de jurisdict. &c. 5.) Ob censuram ecclesiasticam imperatores, reges, principes non sunt imperiis, regnis ac ditionibus suis privandi. Excommunicatus enim juxta Christi sententiam habendus, *ut ethnicus & publicanus*; Matth. XVIII. 17. proinde cum eo tanquam cum ethnico & publicano versandum; jam vero Israelitæ in rebus politicis non abstinebant a conversatione cum ethnicis & publicanis, nam ethnicorum, sub quorum imperio vivebant, legibus parebant; publicanis vectigalia pendebant, atque alia negotia politica cum illis tractabant. Christus ipse infidelibus principibus vectigalia solvi præcepit, atque idem exemplo suo confirmavit. Matth. XVII. 27. XXII. 21. 6.) Quoties hæc jura Romanus pontifex anathematum suorum fulminibus evertere conatus est, Deus horrenda judicia in perfidos exercuit, ut adparet ex miserando exitu Rudolphi, Sueviæ ducis, quem Gregorius VII. in Henrici IV. cæsaris locum suffecerat. Is enim, referente Vrspergensi & aliis historicis, mandato papæ a Moguntino coronatus, miser post vanam coronam, quæ diu non floruit, malam reportans crucem, in prælio ab Henrico victus, moriensque abscissam dextram perjurii indicem episcopis demonstravit, dicens: *En vobis dextra, qua interposita sancte juravi nihil injuriarum domino meo Henrico me facturum, nihil infidiarum comparaturum. Sed ad hanc juramenti transgressionem apostolica jussio vestraque persuasio me commoverunt; videte igitur, quam recta via vos vestra monita sequentem duxeritis.*

§. CCCXVII. Atque hæc in genere ad exempla a Bellarmino lata respondemus, de singulis in specie late tractant Haiminsfeldius in const. imperial. Arnisæus de exemtione clericorum & alii. 1.) Leonis excommunicatio fuit illegitima, facta scilicet propter stabiliendum idololatricum cultum imaginum. Fascic. tempor. adnotat, quod *circa illa tempora papae plus solito se opponere caperint imperatoribus in temporalibus.* 2.) De Childerici depositione sic scribit Arthusius com. de rebus in regno antichristi gestis tom. I. lib. 1. c. 11. Cum Luitprandus, Longobardorum rex, Romam obsideret, Gregorius III. pontifex misit legatos ad Carolum Martellum, Pipini patrem in Galliam rogans, ut laboranti ecclesiæ Romanæ opem

GIVS in peculiari dissertatione de *Theodosio M. imperatore excommunicato*, quæ in ejusdem *dissertationum historico-politicarum part II. p. 241.* exstat, & THEODORVS CRVGERVS, in *schediasmate histor. exhibente observationes, quae faciunt ad illustrandam historiam censurae ecclesiasticae p. 53. seqq.*

Add. BINGHAMVM, in *origin. ecclesiast. vol. VIII. libr. XVI. cap. III. p. 140. seqq.*

(*) Vid. AMBROSIVM *epist. LIX.* PAVLINVM in *vita Ambrosii*, itemque THEODORETVM, RVFINVM, SOZOMENVM aliosque.

opem ferret. Carolus misericordia motus patrocinium pontificis suscipit, & Romam obsidione solvit, Luitprando rege & compatre suo ab incepto isto amica exhortatione retracto. Hoc beneficio adeo sibi obnoxios Romanos pontifices princeps Francus fecit, ut posimodum Pipino, Caroli filio, in re inhonestissima obsequium suum non denegarint. Mortuo Theodoro, rege Galliæ vigesimo, regnum ad Childericum, ejus fratrem, circa annum 750. pervenit. Ejus gubernator, vel ut vocant, major domus erat Pipinus, Caroli Martelli filius. Is ambiebat quidem regnum Galliæ, ipsumque Childericum regno exuere, & se regio diademate insignire admodum gestiebat, verum, qua ratione id commode faceret, cum dominum eum suum, cui juramento obstrictus esset, agnosceret, invenire non potuit. Suggerebatur autem ei, pontificem Romanum ex potestate Christi & Petri, quorum ille esset vicarius ac successor, facile posse, cum aliquem regno inidoneum sciret, qualis esset Childericus, submovere, & ejus alteri digniori magisque idoneo habenas tradere, tum vero & ipsum, & subditos omnes, a præstito fidelitatis & observantiæ juramento absolvere. Tametsi igitur primo Pipinus illaudabile & impium esse fateretur, datum regi juramentum violare; tamen cum de potestate pontificis ita informatus esset, legatos hoc nomine ad eum mittendos censuit. Burckhardus igitur, Bonifacii, episcopi Moguntini, in repurganda a gentilismo Germania adjutor, cum Volrado quodam, Pipini sacellano, hujus negotii causa Romam profectus est, & pontifici, qui tum erat Zacharias, consilium illud aperuit. Pontifex inauditum id esse adfirmans, ut regnorum negotiis se episcopus involvat, diu multumque super ista petitione deliberat, tandem tamen beneficiorum Caroli, patris Pipini memor, consentit legatis, Pipinumque cum subditis a juramento Childerico dato absolvit, hunc in monasterium detrudit, & Pipinum in regem eligit. 3.) De translatione dignitatis imperialis a Græcis ad Germanos per Leonem III. facta dicimus: *Quod Leo nunquam in sua potestate habuit, illud dare non potuit.* Nec in Italiam, nec in urbem ipsam Leo imperium habuit, maximam enim Italiæ partem tenebat Desiderius, ac Leoni in urbe vix fuisse locum, docet ejus querela ad Carolum, itemque legatio, quam Adrianus, Leonis antecessor ad Carolum misit supplex orans, ut se & urbem contra Desiderium defenderet. Nec a pontifice, sed a senatu, clero, populoque Romano Carolus imperator est designatus. Sic enim scribit Aventinus: *Cum mulier Constantinopoli imperaret, quod inauditum esse videbatur, putabant Romani se potestatem habere & jus eligendi cæsarem, quod imperium ex ipsis esset, & nominaretur. Tenebat autem Carolus omnes provincias, quae ad urbem Romanam pertinebant. Itaque anno Christi 801. Leo papa, senatus & populus Romanus illum designabant imperatorem.* Marianus Scotus: *Carolus hoc tempore a Romanis Augustus adpellatus.* Sigebertus: *Romani uno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes adclamant, eumque per manum Leonis coronant.* Onuphrius: *Cum primum imperator & Augustus renunciatus fuisset, a Romano pontifice ungebatur, aureoque diademate coronabatur, tanquam Romani imperii uno totius orbis primario sacerdote, more accepto ab imperatoribus orientalibus, qui a patriarchis Constantinopolitanis, primariis Graecanici imperii pontificibus, consecrati aurea corona redimiebantur.* Videatur tractatus Arnisæi, amici nostri singularis, de translat. imperii oppositus Bellarmino edit. Franc. 1612. Item oratio Joh. Garsenii de pontificia imp. coronatione, & ἀνάμνησις Simonis Schardii in polit. imper. Goldasti part. 4. p. 296. & 309. 4.) De electorum origine plurimum variant historicorum sententiæ, quidam ad Carolum magnum, quidam ad Ottonem III. eam revocant; si quid a pontifice accessit, illud suasus & consilii fuit, non potestatis. Sed hæc relinquimus politicis, qui jura sacri imperii contra pontificem tutari noverint.

Argumenta Bellarmini, quibus probat, quod unus idemque possit simul esse princeps ecclesiasticus & politicus 1.) ab exemplis.

§. CCCXVIII. Cap. IX. conatur Bellarminus *demonstrare, non pugnare cum verbo Dei, ut unus idemque sit princeps ecclesiasticus & politicus simul*, ubi I.) adducit *exempla: Melchisedeci*, qui fuit rex & pontifex; Gen. XIV. *primogenitorum*, quibus regnum & sacerdotium debebatur; Gen. XLIX. *patriarcharum*, qui præfuerunt suis tam in iis, quæ ad religionem, quam quæ ad politicam vitam pertinebant; *Mosis*, qui fuit summus princeps temporalis & summus pontifex; Exod. XVIII. 32. 40. *Heli*, qui fuit summus pontifex & judex politicus annis 40. 1. Reg. I. & *Maccabæorum*, qui simul pontifices & duces politici fuerunt. Resp. 1.) Nicolaus I. pontifex in epistola ad Michaelem imperatorem respondet, *ante Christi adventum eosdem reges & pontifices fuisse, sed Christum, verum regem & pontificem, ista distinxisse. Cum ad verum ventum est*, (inquit) *ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, propriis actibus & dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit &c.* c. Cum ad verum &c. dist. 96. 2.) Hinc Petrus August. Morla, part. I. emp. juris tit. 2. ff. u. 4. num. 13. scribit, *in lege naturae fuisse primogeniturae annexum sacerdotium, teste Hieronymo in qq. Hebr. sed ex hoc non debere sumi argumentum ad legem gratiae, in qua sacerdotium est a regno separatum.* Interdictum igitur novo testamento ministris, quod in veteri testamento sacerdotibus fuit concessum. 3.) In Melchisedeco fuit hoc singulare, gessit enim typum Christi, regis & pontificis nostri, qui ad apostolos & ipsorum in ministerio successores dixit: *Vos autem non sic.* 4.) Tempore patriarcharum nondum constituta erat ordinaria ministerii ac regiminis politici forma, sed quilibet in sua familia patrium exercebat imperium. 5.) Lege divina regnum Hebræorum adsignatum fuit tribui Judæ, sacerdotium vero tribui Leviticæ. Josephus & Nicephorus recensent catalogum pontificum Judæorum ab Aarone usque ad Hierosolymitanum, inter quos nulli fuere simul reges. 6.) Quamvis fateamur, Leviticum sacerdotium in vet. test. aliquid politici mixtum habuisse, id tamen in nov. test. propter expressum Christi interdictum non debet trahi in exemplum. Olim enim sola tribus Levitica sacerdotio fuit destinata, quod ipse Bellarminus agnoscit in nov. test. non amplius obtinere. lib. de clericis c. 6. 7.) Moses peculiari & expresso Dei mandato aliquam sacerdotalis muneris partem ad tempus sustinuit; postquam vero ordinaria sacerdotii Levitici forma fuit constituta, civilem gubernationem sibi retinuit, sacerdotium fratri detulit. 8.) Heli & Maccabæorum exempla sunt extraordinaria, quia perturbatus erat reipublicæ status. 9.) Quare non producuntur homogenea exempla Christi, apostolorum & primitivæ ecclesiæ episcoporum?

Rationibus.

§. CCCXIX. II.) Profert *rationes*: 2.) *Ratio prima* ratio: *Potestas ecclesiastica & politica non sunt contrariae, sed utraque bona, utraque a Deo, utraque laudabilis, & una alteri servit, ergo non pugnant inter se, ergo simul in eo uno esse possunt.* Resp. 1.) Quamvis potestates hæ in se ac per se non sint invicem contrariæ, tamen propter Christi interdictum in nov. test. non debent ab uno eodemque homine administrari. 2.) Cumque differant causa instrumentali, materia circa quam, sive objecto, forma & fine proximo, non possunt ab uno eodemque homine rite administrari. 3.) Quid respondebit Bellarminus, si eodem modo quis argumentetur: *Conjugium & sacerdotium non sunt status contrarii, sed uterque est bonus, uterque a Deo, uterque laudabilis, & unus alteri servit, ergo non pugnant inter se.* Ergo simul in uno esse possunt. *Secunda* ratio: *Magis diversa sunt pax & bellum, quam bona temporalia & spiritualia, at unus & idem rex simul potest praeesse senatui & exercitui, togatis & armatis. Ergo multo magis unus prae-*

praeesse potest in temporalibus & spiritualibus rebus. Resp. principis politici officium est & pacis & belli tempore subditos tueri, gladium contra turbatores humanae societatis stringere &c. sed hoc ministro ecclesiae non competit, ut simul regimen politicum administret. *Tertia* ratio: *Potest unus rex gubernare diversissima regna, quae diversos mores, leges, ritus & consuetudines habent, & potest unus episcopus regere plurimas ecclesias. Ergo etiam poterit unus homo regere unum episcopatum & unum principatum.* Resp. quae invicem comparantur, debent habere unum subjectum δεκτικόν. Sic duo principatus ab uno gubernari possunt, quia unus capax est duorum principatuum, sed ministerium ecclesiasticum & principatus politicus simul non potest ab uno administrari, quia unus non est utriusque capax, ac ratio administrationis in utroque plurimum variat, nec est unius, sed diversi generis. Regna administrantur vi externa & gladio corporali, ideo rex per suos duces, principes, praefectos potest varia regna administrare, sed ecclesia regitur verbo, gladio scilicet Spiritus, ac proinde verbi praedicatio incumbit illi, qui ministerium ecclesiasticum administrare cupit. *Quarta* ratio: *Qui donaverunt episcopo Romano, aliisque episcopis principatus temporales, fuerunt pii homines, & propter illas donationes laudantur: qui eos receperunt, itidem plerique fuerunt boni.* Resp. 1.) Etiam pii homines quandoque ex infirmitate peccant. Intentio eorum fuit fortassis bona, sed eventus docuit, Deo non probari, ut ea confundantur, quae ipse voluit esse distincta. 2.) Qui principatus illos receperunt, non fuere omnes optimi, unde Bellarminus ipse dicit, *plerosque* ipsorum optimos fuisse. 3.) Papa possidet plurima, quae non habet ex donatione. 4.) Missae, indulgentiae, purgatorium sunt tres primarii fontes, ex quibus amplissimi illi reditus praelatorum in regno papali profluunt.

§. CCCXX. III.) Vltimo adducit Bellarminus *experientiam.* 3.) *Experientia.* *Etsi* (inquit) *absolute forte praestaret, pontifices tractare solum spiritualia, & reges temporalia, tamen propter malitiam temporum experientia clamat, non solum utiliter, sed etiam necessario & ex singulari Dei providentia donatos fuisse pontifici, aliique episcopis temporales aliquos principatus. Si enim in Germania episcopi principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permansissent &c.* Quod autem summus pontifex jure habeat eum principatum, probat ex eo, *quia dono principum habet,* quarum donationum *authentica instrumenta* dicit Romae exstare. Tandem concludit: *Etiamsi nihil horum exstaret, tamen abunde sufficeret praescriptio octingentorum annorum. Nam etiam regna & imperia, per latrocinium adquisita, tandem longo tempore fiunt legitima?* Resp. 1.) Pontifici & episcopis multos principatus ab imperatoribus, regibus & principibus donatos esse agnoscimus, sed illi donationes eas non debuissent recipere, sed vestigiis Christi insistere, qui regnum sibi oblatum acceptare noluit. 2.) Quibus artibus ac fraudibus pontifex Romanus imperatores, reges & principes multis principatibus privaverit, ex historiis notum est, ac legi ea de re potest Simonis Schardii hypomnema de fide, observantia & benevolentia Romanorum pontificum erga imperatores Romanos. 3.) Res ipsa docet, quantae tenebrae in ecclesiam hac occasione introductae sint, quod episcopi neglecto suo officio principatus temporales administrare coeperunt. 4.) Particulares illae donationes Ludovici I. Pipini, Mathildae comitissae &c. nondum probant summam illam in omnes imperatores, reges ac principes potestatem, quam papa sibi vindicat. 5.) *Constantini donatio*, quam pontifices Romani alias praetendunt (*), ac Bellarminus generaliter duntaxat tangit, jam olim a multis oppugnata & expugnata est. Videantur Nicolaus Cusanus, car-

(*) Fabula de donatione Constantini *magni* Silvestro P. R. ejusque successoribus facta, praetendit, hunnece imperatorem praesuli Romano tribuisse imperium majus eo, quod ipsemet Constantinus tum tem-

cardin. lib. III. de conc. cath. cap. 2. Laur. Valla (*) in peculiari declamatione, Antoninus, archiepiscopus Florentinus part. I. hist. tit. 8. cap. 1. Hieronymus Cathalanus, Alexandri IV. cubicularius, in practica, Renus, episcopus Paduanus, de vitis pontificum, Marsilius Patavinus in defens. pacis, Raphael Volaterranus, Alciatus, lib. VII. parerg. juris cap. 19. Baptista Mantuanus, Baptista Egnatius, Franciscus Petrarcha, Vlricus Huttenus, Aventinus, Vasquius, Balduinus de legibus Constantini lib. I. Molinæus in comm. ad edictum Henrici regis n. 133. Anton. Contius lib. II. subsec. lection. cap. XX. num. 1. Cujacius lib. I. resp. Papin. ad l. Legatus 20. fi. de offic. præs. Schneidewin. in proœm. instit. ad rubr. num. 8. ibid. Wesenbecius in apostill. ad lit. C. Codinus I. de republ. cap. 9. num. 141. Joh. Dauth. de testamentis num. 255. Georgius Merula de vicecomitibus, brutum fulmen Hotomanni, Gilbert. Regius lib. I. ἐναντιοφ. cap. 24. Jacob. de Bellevito in proœm. digest. Everhardus a Middelburg in topicis in loco a verisimil. Longovalla in repetit. l. Imperium ff. de jurisd. pag. 4. Sichardus consf. feud. 6. num. 28. Schonbornerus lib. II. polit. cap. 17. Phil. Camerarius in hor. succisiv. Pruckmannus, Flacius cent. p. mend. Papist. p. 45. Wolfius cent. XVI. memorab. p. 769. &c. Æneas Sylvius, qui postea pontifex & Pius II. dictus, in dialogo, quem adhuc cardinalis scripsit, *stolidos legistas* adpellat, quod tantopere sudent, an donatio Constantini valeat? *cum nunquam fit facta.* Bartolus in proœm. ff. num. 13. & seqq. argumentis, quæ pro ea adferuntur, adcurate respondet; sed postea addit, *sumus in terris ecclesiae, dico eam constitutionem valere.* Jacobus Spigelius in comment. ad-

temporis tenebat, speciatim potestatem in insigniores orbis christiani sedes; præsertim Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam ac Hierosolymitanam, nec non alias christianorum ecclesias: eundem imperatorem donasse pontifici palatium, diadema, superhumerale, chlamydem purpuream, tunicam coccineam, sceptra & reliqua imperii ornamenta, immo ipsam urbem Romam & omnia occidentis loca & urbes.

Fabulam hujus donationis, quæ sæpe tam græco, quam latino sermone in lucem prodiit, tanquam genuinum documentum defendunt Augustinus Stevehus libro *de donatione Constantini*, Jac. Gretservs, celebris Jesuita, *de munificentia principum in sedem apostolicam*, Nicolavs Schatenivs, in *Carolo magno romano-catholico libr. II. cap. VI.* ac complures alii. Sed dissentiunt ab his alii iique doctissimi in ecclesia Romana viri, qui donationem istam Silvestro a Constantino factam, tanquam fabulam jure meritoque explodunt.

Nata est hæc fabula ex alia, ea nimirum, secundum quam imperator lepra adflictus, atque ab apostolis Petro & Paulo admonitus, ut se ad Silvestrvm, pontificem Romanum conferret, si pristinam recuperare vellet valetudinem, hoc observato a Silvestro non tantum baptismum Christique sacra recepisse, sed & a lepra repurgatus esse dicitur. Verum reclamant huic narrationi omnes scriptores veteres, qui de baptismo Constantini a Silvestro peracto altum silent, & consentientibus verbis tradunt, Constantinum magnum usque ad extremum vitæ suæ catechumenum mansisse, & paulo ante mortem Nicomediæ sacro fonte tinctum fuisse. Fidem hujus rei faciunt Evsebivs, Socrates, Sozomenvs, Theodoretvs atque Hieronymvs, Vberius hoc commonstrarunt, atque in confutanda ista fabula studium suum operamque posuerunt Abraham. Scultetvs, I. G. Dorschevs, I. A Schmidivs, Sam. Basnagivs, &, qui instar omnium est, Wilh. Ernest. Tenzelivs *part. I. exercit. p. 209. seqq.* ubi & Emanvel. A Schelstrate, bibliothecæ Vaticanæ præfectum, qui commentum istud de lepra Constantini defendendum in se susceperat, refellit. Equidem causam suam ab isto defendere adnisus est Schelstrate, edita *dissertatione apologet. de disciplina arcani, cap. VII. art. 4. p. 125.* Sed denuo eundem confutavit laudatiss. Tenzelivs *part. II. exercit. select. p. 314. seqq.* Nec defuerunt inter ipsos præsulis Romani cultores viri cordatiores, qui fabulam istam exploserunt, ex quibus Ant. Pagi *tom. I. crit. in annales Baronii p. 398.* Natalem Alexandrvm in *hist. ecclesiast. sec. IV. dissert. XXIII. p. 298.* & Lvdov. Ell. dv Pin in *bibliotheque des auteurs ecclesiast. tom. II p. 24*, nec non Danielem Papebrochivm laudasse sufficiat.

(*) Lavrent. Valla primus fuit, qui donationis hujus falsitatem in peculiari eaque diserta oratione luculenter comprobavit. Plus simplici vice hæc oratio seorsim typis exscripta est, & cum Vlrici Hvtteni præfat. in Orthvini Gratii *fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum*, Londini recusa, nec non Simonis Schardii *syntagmati tractatuum de imperiali jurisdictione* inserta fuit.

ad versus Güntheri circa annum 1507. scribit: *de Constantini donatione apud nullos exstat auctores, praeterquam in libro decretorum.* Postea addit: *O beatas nugas, quae tantum constituerunt imperium!* (*) Veneti a pontifice rogati, quo jure vectigalia in mari Adriatico sibi vindicarent, falsè responderunt, *authentica privilegia exstare in cancellaria Romana, in altera scilicet folii parte, in cujus priore donatio Constantini exstet.*

§. CCCXXI. Nec leves sunt rationes, quibus illi & complures alii auctores donationem istam oppugnant. Gentilletus in apol. pro christ. Gallis cap. 12. fol. 197. undecim argumentis probat, donationem illam nunquam fuisse factam: 1.) refertur haec donatio ad tempus quarti consulatus Constantini & post baptismum ab eo susceptum, quasi eodem tempore quartum consulatum gesserit, & sacro baptismi lavacro ablutus fuerit, cum tamen longe diversa sint tempora. Quartum consulatum anno Christi 318. gessit, baptismum autem viginti & amplius annis postea susceptum. 2.) Tempore susceptae baptismatis Silvester vita functus erat, quia Constantinus mortuus statim post baptismum susceptum anno 340. cum Silvester septimo anno antea, videlicet 334. e vita migrasset. 3.) Tempore quarti consulatus habebat adhuc collegam Licinium, qui erat christianorum hostis, quem armis tandem debellavit, sed id plus decennio post quartum consulatum factum. 4.) Quomodo potuit sibi Constantinus orientalis imperii adipiscendi spem polliceri? 5.) Tempore quarti consulatus nondum re ipsa pacem christianis indulserat. 6.) Eodem tempore bellum civile Romae gerebatur. 6.) Senatus Romanus ex proceribus ethnicis & paganis magna ex parte adhuc constabat. 8.) Divisit filiis imperium, ergo non dedit Silvestro. 9.) Ἄοργος fuisset, si quod liberis jure naturali debetur, episcopo dedisset. 10.) Titulus *universalis episcopi* non nisi post Gregorium demum Romano episcopo adtributus trecentis fere annis post Silvestrum. 11.) Multae clausulae insulsae donationis instrumento sunt infarctae. Nos sequentia fundamenta urgemus. 1.) Donationis illius non meminere Eusebius, qui libros quinque de vita Constantini scripsit, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, nec Damascenus in chronicis, nec Beda, nec Orosius; unde cum Sigonius in hist. de imp. occidentali ad instantiam Sirleti cardinalis edictum Constantinianae donationis in librum tertium retulisset, tamen fundamentum ejus l. IV. subruit, excusatione utens, *se officii sui esse putasse, ut quid Eusebius & multi alii scripsissent, minime reticeret, licet ab ecclesiae Romanae auctoritate dissentirent.* 2.) Capitulum illud in antiquis decretis non haberi, jam olim testatus est Antoninus archiepiscopus d. l. Flacius de se ipso scribit d. l. *Ego ipse, quod coram Deo adfirmo, quatuor melioris fidei exemplaria vidi, ex quibus adhuc duo penes me habeo, sunt autem manuscripta, ac ob vetustatem adhuc glossa carent.* Zangerus in orat. de jure can. refert, *hodierna die adhuc inveniri exemplaria, quae istam donationem non habent.* 3.) Ipsum capitulum refertur inter paleas, nec scholiis a glossatore dignum fuit habitum. 4.) Repugnantia falsitatis testis est. c. Constantinus dist. 96. Romana urbs & tota Italia una cum imperio occidentis donata dicitur Silvestro: sed c. Fundamentum in decretalibus Sixti lib. I. tit. 6. de elect. urbis tantum fit mentio. c. futuram 12. q. 1. Melchiades quasi suo tempore donatio facta esset, eam commemorat, sed c. Constantinus dist. 96. sub Silvestro eam demum factam esse refert,

(*) Praeter auctores, quos magno agmine supra adduxit Gerhardvs, fuerunt & alii, qui sententiae Laurentii Vallae sunt suffragati, quos laudarunt Flacivs in *catalogo testium veritatis*, Robertvs Cocvs, in *censura veterum scriptor.* atque Jo. Albertvs Fabricivs *libr. V. biblioth. graec. cap. III. vol. VI. p. 4.* ubi ipsa illa donatio fictitia exhibetur. Add Jo. Vogtivm in *historia litterar. Constantini magni, p. 44. seqq.*

refert, cum tamen Melchiades ante Silvestrum sub Maximino vixisse in hist. pontificum probetur. Sic Platina, Volaterranus, Sabellicus ennead. VIII. lib. VIII. exarchatum papalem circa annum Christi 800. ex donatione Pipini & Caroli magni initium habuisse dicunt, quomodo igitur a Constantini temporibus illud deduci potest? 5.) Regna, quæ Constantinus in illa donatione Romano pontifici adsignasse dicitur, paulo ante mortem filiis suis distribuit, sic enim habet Sext. Aurelius Victorinus: *Ad tres orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, Constantem & Constantium, filios Constantini.* Socrates lib. I. histor. eccles. cap. ult. Nauclerus. lib. II. generat. 11. Zonaras in vita Constantis in princ. *Constantius orientem & Thraciam sortitus est, Constantinus II. regnavit in Gallia, Germania, Britannia & Hispania, Constans in Italia*, Zosimus histor. diserte indicat, natu maximum inter Constantini filios patri ὁμώνυμον cum natu minimo Constante omnia trans alpes sita etiam ipsam Italiam & Illyricum forte partitum fuisse. 6.) Historiæ testantur, Romam tamdiu sub imperio Romano permansisse, donec circa annum Christi 752. in Francorum potestatem, & inde in pontificum Romanorum manus pervenerit, nec potest negari, imperatores Romanos per plures quam trecentos annos post Constantinum tenuisse gubernacula urbis Romæ & Italiæ per præsides & exarchos. Multi imperatores post Constantinum tulere leges, ad quarum observantiam tum populus, tum ipsi pontifices fuere obstricti. 7.) Ipsum donationis instrumentum, quod exstat in catal. test. verit. p. 244. descriptum, multa continet fabulosa, ac historiæ illorum temporum contraria, ut ostendit doctor Hoë lib. III. comment. in Apoc. c. IX. p. 203.

§. CCCXXII. Si vel maxime ea donatio facta esset, tamen non valeret; *primo* quia ad præscriptionem requiritur omni tempore *bona fides*, etiam in præscriptione immemoriali, juxta jus canonicum. Jam vero pontifex sciebat, (vel scire debebat, quæ in legibus censentur paria l. 5. ubi Dd. si cert. pet. l. qui fundum 7. §. 2. pro emt.) quod imperatori in detrimentum & incommodum imperii non liceat alienare. Hotomannus q. illustr. I. p. 23. *Deinde* deficit *possessionis continuatio*, quia pontificum possessio toties interrupta est, quoties imperator mortuus, qui successori & eligendo præjudicare non potuit. Everg. in top. loc. a plen. potest. num 9. unde papa imperatorem de novo electum jurejurando ad ratificandam Constantini donationem sibi obstringere semper studuit c. Tibi Domino dist. 63. Clem. un. §. ipsaque omnia dej urejur. & cum pontificis tyrannidi sæpius contradictum sit, eo quoque vitio Romanensium præscriptionem laborare constat. *Denique* quæ donatio acceptanti inutilis, ea censetur invalida argum. l. mortuo 49. §. Labeo 2. ff. de legat. 2. l. Multum interest 34. de verb. oblig. §. non solum ib. Sed si talis instit. de legatis. Jam vero donatio illa si fuisset facta, ecclesiæ esset inutilis. Refert enim Malleolus de nobilit. *quod illa ipsa die, qua Constantinus Silvestro dederit palatium Lateranum, urbem Romanam ac Italiæ provincias, visa fuerit in Laterano manus auctoris invisi, qua ad parietem cunctis videntibus simul ac legentibus scriptum fuerit: Hodie venenum ecclesiae infusum est.* Vasquius lib. I. controvers. usu frequent. cap. 6. num. 2. ex Salycero in rubr. C. de verb. signif. refert, *eo ipso tempore de cœlo vocem illam auditam: Hodie venenum est infusum ecclesiae, & addit: Interest ecclesiae plus aequo non ditari, quo enim magis ditescit, eo magis periclitatur. Religio peperit divitias, sed filia devoravit matrem.* Ac diversa esse debet ab episcopali munere dominandi potestas.

CAPVT

CAPVT VII.

DE ADIVNCTIS MINISTERII.

Adjuncta ministerii.

§. CCCXXIII. Diximus hactenus de *fine & effectu ministerii*, restat ut de *adjunctis* ejusdem postmodum disseramus. Ad classem illam adjunctorum referimus: 1.) *ministrorum salarium*; 2.) *eorumdem conjugium*. Cum enim tam varia eademque gravissima sint ministrorum ecclesiæ officia, quæ eis non permittunt victum labore manuum, vel aliis negotiationibus, tibi suisque comparare, ideo, ut commodius officio suo fungi possint, dantur illis stipendia, quibus se suosque honeste alere & relicta mensarum cura verbo unice vacare possint: Act. VI. 3. Eadem tamen cum non sint de essentia ministerii, ut constat exemplo Christi & apostolorum, ideo in classem adjunctorum referuntur. Vicissim cum apostolus requirat in episcopo, ut sit unius uxoris maritus; 1. Tim. III. 1. ideo etiam conjugii ineundi libertas ministris ecclesiæ relinquenda, quod ipsum cum non sit de ministerii essentia, ideo pari ratione adjunctis ejusdem adnumeratur.

SECT. I.

DE STIPENDIIS MINISTRORVM ECCLESIAE.

(*)

1.) *An ministris ecclesiae licitum sit accipere stipendia?*

§. CCCXXIV. Primo omnium hoc loco quæritur: *An ministris ecclesiae licitum sit accipere stipendia?* Affirmatam quæstionis partem ex professo confirmat apostolus 1. Cor. IX. variis argumentis. 1.) Ex *loco parium*: *Num ego solus ac Barnabas non habemus potestatem non operandi?* v. 6. q. d. Quod reliquis apostolis est licitum, idem etiam mihi ac Barnabæ licere non est negandum, propter paritatem rationis. Sed reliquis apostolis licitum est non operari, id est, manuum laboribus victum quærere, sed ab auditoribus eum accipere. Ergo etiam mihi ac Barnabæ illud licet. Quod vero apostolus sibi licitum esse adstruit, reliquis etiam ecclesiæ ministris licitum erit. 2.) *Ex jure gentium*, quod declaratur inductione trium exemplorum v. 7. *Quis unquam stipendiis suis militat? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?*

(*) Præmium, quod ministris ecclesiæ fidelibus promissum, ratione *conferentium* duplex est: *divinum* & *humanum*. *Humanum* subdistinguitur in *honestam sustentationem* & *honorem*, Phil. II. 29. 1. Thess. V. 12. 1. Tim. V. 17. qua adpellatione omne pium officium cum reverentia & subjectione quadam conjunctum denotatur. *Divinum* distingui potest partim ratione ecclesiæ militantis & triumphantis, partim ratione collationis in hac vita. In *militante ecclesia* merces & benedictio omnis generis fideli ministro promissa est, 1. Cor. IX. 17. Eph. VI. 8. non tamen sine conditione crucis, Matth. X. 24. Hebr. XIII. 5. Hæc autem benedictio ratione collationis complectitur gratias sive *beneficia Dei*, tum *positiva*, tum *privativa*. *Positiva* sunt, quæ bonum aliquod per se & immediate adferunt. Talia sunt argumenta donorum habitualium animi, quæ crescunt in habentibus & exercentibus, Matth. XIII. 12. XXV. 29. corporis, Psalm. CXI. 16. quibus accedit propriæ conscientiæ gaudium, 1. Cor. IV. 4. & aliorum recte sentientium testimonium, Gal. IV. 15. *Privativa* sunt, quæ, quia malum avertunt, non nisi consequenter & mediate bonum important. Talis est defensio contra omnis generis hostes promissa Mosi, Exod. III. 12. Jer. I. 8. apostolis omnibus communiter, Matth. X. 31. VIII. 20 & figillatim Paulo Act. XVIII. 10. In *triumphante ecclesia* quale præmium fidelium ministrorum sit futurum, definito & in specie scire non possumus; Esaj. LXIV. 4. 1. Cor. IV. 9. sed in genere & quantum revelavit Dominus in scriptura, quæ id adpellat *coronam justitiae*, 2. Tim. IV. 8. *gloriae*, 1. Petr. V. 4. *vitae*, Apoc. II. 10. vulgo donum accidentale, quod in peculiari & eminenti quadam claritate & splendore ponitur. GERHARDVS.

edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non mandutat? q. d. Quod jure gentium communi licet militibus, vinitoribus ac pastoribus illud ministris ecclesiæ non est denegandum. Sed salaria & laboris fructum accipere jure gentium communi illis licet. Ergo &c. 3.) Ex lege Mosaica: v. 9. *Scriptum est in lege Mosis*, videlicet Deut. XXV. 4. *Non adligabis os bovi trituranti. Num de bobus cura est Deo?* v. 10. *An propter nos utique hoc dicit?* Quemadmodum jumenta Deus prohibet a pabulo arceri, ita quoque ministros ecclesiæ fructu laboris carere noluit. 4.) *Ex similibus*, processu a minore ad majus amplificatis v. 10. *Qui arat, debet in spe arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminamus, num magnum est, si carnalia vestra metamus?* q. d. Si ex semente licet sperare messem, & ex triturandi labore sperare fructus; multo magis ex spiritualium bonorum semente licet ecclesiæ ministris sperare messem bonorum corporalium. 5.) *Ex ordinatione divina*, sacerdotes vet. test. concernente v. 13. *Nescitis, quoniam qui sacris operantur, quae de sacrificiis superfunt, edunt? & qui altari deserviunt, cum altari participant?* v. 14. *Ita & Dominus ordinavit his, qui evangelium adnunciant, de evangelio vivere.* Gal. VI. 6. æquum esse dicit, ut is, qui catechizatur sermone, communicet ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Hisce apostolicis argumentis addendum est expressum Christi effatum: Matth. X. 10. *Dignus est operarius alimento suo*, ubi voce dignitatis admonet justum & æquum esse, ut illis, qui in verbo laborant, 1. Tim. V. 17. persolvantur stipendia, sed voce alimenti admonet de ἀυταρκείᾳ, ne invigilent opibus congerendis, sed habentes *victum & amictum*, διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, illis sint contenti. 1. Tim. VI. 8. (*) Cæterum quod Matth. X. 10. dicitur, *operarium dignum esse alimento suo*; id Luc. X. 7. sic effertur, *operarium dignum esse mercede sua*, ne dimensum aliquod cibarium absque ulla laboris remuneratione alia ministris ecclesiæ convenire quispiam cavillet. (**)

§. CCCXXV.

(*) Rationes alias scriptura suppeditat quatuor: 1.) a genere: *Omnis operarius dignus cibo & mercede.* Ministri verbi sunt operarii. Matth. IX. 38. Ergo. 2.) A pari: *Nemo militum militat citra stipendium, nemo vinitorum excolit vineam citra fructus ex ea participationem, nemo pascit gregem, nisi comedat de lacte illius.* Ergo pari jure fruuntur ministri in sua militia, cultura & pastura spirituali. 3.) A minori: *Bovi trituranti non est obturandum os.* Ergo multo minus deneganda est merces laboranti ministro. 4.) Ex æquo & justo: *Qui spiritualia seminant, eosdem carnalia metere fas & jus est.* Rom. XV. 27. 1. Cor. IX. 11. Ergo. Finis, propter quem stipendia ministris ecclesiæ numeranda, pulcerrime exprimitur 2. Par. XXXI. 4. *Hiskias dixit populo, habitatoribus Jerusalem ad dandum partem sacerdotum & Levitarum, ut confortarentur in lege Domini*, id est, ut eo majori diligentia cultui divino vacare possent, a quo per curam victus abstraherentur. GERHARDVS.

(**) Alii ad affirmativæ sententiæ probationem adducunt: 1.) *Testimonia:* 1.) vet. test. Num. XVIII. 31. Deut. XVIII. 1. quod repetit apostolus 1 Cor. IX. 13. 2.) nov. test. Matth. X. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Luc. X. 7. *Manete in domo &c.* 1. Cor. IX. 7. usque ad 14. ubi ex scriptura & natura hoc jus deducit, Gal. VI. 6. *Qui instituitur*, 1. Tim. V. 17 & 18. *Qui bene praesunt &c.* II.) *Exempla:* 1.) vet. test. Levitæ & sacerdotes vivebant ex proventibus & reditibus lege cerimoniali imperatis, quorum alii fuerunt stati & certi, alii ambulatorii & quodammodo dubii. *Prioris* generis erant a.) decimæ agrorum, vinearum, olivetorum, hortorum: Num. XVIII. 21. b.) primitiæ: Num. V. 9. XVIII. 8. c.) portio certa ex primogenitis gregis, jumentorum offerendorum Domino: Deut. XV. 19. & pecunia pro redemtione primogenitorum ex hominibus: Exod. XXII. 29. d.) pectusculum & armus dexter ex hostiis pacificis; Lev. VII. 31. X. 14. e.) panes propositionis 12. singulis sabbatis adponendi: Lev. XXIV. 8. f.) carnes residuæ ex sacrificiis & panes azymi in canistro consecrationum. Exod. XXIX. 32. Lev. VIII. 31. *Posteriores* generis erant a.) voluntariæ oblationes, Deut. XII. 17. item votiva eorumque redemturæ Lev. XXVII. b.) sacrificia cum pro delicto, tum pro peccato. Lev. VII. 32. Deut. XVIII. 3. XXIII. 12 restitutio rei defraudatæ cum quinta parte pretii Num. V. 8. 2.) nov. test. utpote a.) apostolorum. 1. Cor. IX 4. b.) Pauli 2. Cor. XI. 8. Phil. IV. 10. GERHARDVS.

§. CCCXXV. Apud fratres Waldenſes (*) miniſtri operis manuariis victum ſibi quærunt, ac anabaptiſtæ (**) negantem quæſtionis partem defendunt (***) hiſce potiſſimum uſi fundamentis: I.) Mich. III. 11. reprehenduntur ſacerdotes, *qui in mercede docebant, & prophetae, qui in pecunia divinabant.* Reſp. aliud eſt μισθοφορία, aliud φιλαργυρία. Reprehenduntur, qui ob pecuniam a ditioribus emungendam falſa docebant, qui loquebantur placentia, ac felicem reipublicæ ſtatum pollicebantur, ut ſtipendia liberaliora acciperent, cum potius auditorum ſuorum peccata acriter taxare, & comminatione pœnarum ad pœnitentiam eos hortari debuiſſent; ſed ex eo inferri nequit, illicitum eſſe accipere ſtipendia, quia illis ipſis ſacerdotibus, qui ob avaritiam adcuſantur, Deus liberalem ſuſtentationem in lege ſua conſtituerat. II.) Chriſtus ad apoſtolos dicit Matth. X. 8. *Gratis accepiſtis, gratis date.* v. 9. *Non poſſideatis aurum, neque argentum, neque aes in crumenis veſtris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Reſp. Chriſtus ipſe ibidem addit, *dignum eſſe operarium ſuo alimento & ſua mercede*; ergo non poſſunt hæc verba eo torqueri, quaſi nefas ſit eccleſiarum miniſtris, accipere ſalaria. Ipſe etiam a mulieribus τὰ ὑπάρχοντα accepit, Luc. VIII. 3. ac γλωσσόκομον habuit, cujus cura Judæ Iſchariotæ fuit demandata. Joh. XII. 6. Priora igitur verba, ut ex συνηθείᾳ textus adparet, ſecundum ſubjectam materiam de *miraculoſis ſanationibus* ſunt intelligenda, ne ſcilicet apoſtoli donum miraculorum, vel beneficia, quæ per illud conferuntur, venalia proſtituant, ac ſimoniam exerceant; ſed ex eo inferri nequit, pro laboribus, quos in miniſterio paſtores ſuſtinent, ipſis non eſſe perſolvenda ſtipendia. In poſterioribus verbis mandatum temporale ad primam illam in Judæam ablegationem duntaxat ſpectans proponitur, ut colligitur ex verbis Chriſti: Luc. XXII. 36. *Antea miſi vos ſine pera, nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram.* Item ex hiſtoria Petri Act. XII. 8. ubi angelus illum ſoleas & ſandalia ſubligare jubet. Cum

(*) Qui *Waldenſium* ſectæ, Lugduni ſeculo XII. natæ olim erant addicti, in id cumprimis elaborabant, ut doctorum mores & chriſtianorum vitam ad primam illam atque apoſtolicam ſimplicitatem revocarent. Hinc eccleſiæ antiſtites apoſtolorum paupertatem imitari, victumque ſibi tenuem manuum labore adquirere debere ſtatuebant. Evolvat, qui hæc adcuratius noſſe voluerit, Jo. Legervm, Jac. Vsserivm, Jac. Basnagivm, aliosque ſcriptores, qui hiſtoriam Waldenſium data opera expoſuerunt.

(**) Anabaptiſtis heic ſuffragantur quoque alii ex fanaticorum turba, quos heic recenſere nolumus. Cæterum de ſalariorum, quæ eccleſiæ miniſtris dari debent, neceſſitate egregie ſolideque diſſeruit, objectionesque Anabaptiſtarum confutavit vir illuſtris, Christianvs *Thomaſius*, jureconſultus quondam Halenſis celeberrimus, in diſſertatione elegantiſſima *de officio principis evangelici circa augenda ſalaria & honores miniſtrorum eccleſiae*, quæ Halæ ann. MDCCVII. prodiit. Breve ejusdem compendium nobis exhibet b. canc. Praffivs in *juris eccleſiaſtici libris quinque*, p. 203. ſeqq. Add. Zeltneri *breviarium controverſiarum cum enthuſiaſtis & fanaticis, controv. XXV.* inprimis p. 415. ſeqq. De hodiernis *Mennonitis*, qui a Mennone Simonis nomen ſuum acceperunt, hoc ſingulare notari meretur, quod in cœtibus eorum inſignioribus miniſtri eccleſiæ haud raro ſint *medicinae doctores & practici*, prout variis exemplis comprobari poteſt. Conf. b. Weismannvm in *introduct. ad memorabilia hiſt. ſacr. nov. teſt. tom. II. p.* 614. edit. ſecundæ.

(***) De anabaptiſtis, quod negent licitum eſſe ſtipendia accipere, teſtis eſt Wigandvs de anabapt. p. 8. ex Col. Emdenſi & Danævs in com. 1. Tim. V. pag. 307. Quidam diſtinctione utendum cenſent, & quod alias *per ſe ſemper* licitum eſſe concedunt nobiſcum, id aliquando *per accidens* & in certis caſibus illicitum volunt; nempe ſi eccleſia *vel* primum plantetur, & auditores nondum intelligant dignitatem & neceſſitatem miniſterii, & proinde ad conferendum ſtipendium alendosque miniſtros ſint difficiles, aut etiam putent, mercedem eſſe compenſationem charismatum ſpiritualium, *vel* plantata non ſufficiat ad ſuſtentandum ſuum paſtorem, ad quod ſe teneri agnoſcit & promta foret, niſi egeſtate impediretur: hic petere & requirere ſtipendium, eoque denegato operam eccleſiæ ſuam denegare ſi quis volet, is ſe Dei gloriæ in propagando evangelio & hominum ſalutis minorem, quam ſui rationem habere declarabit, Petrvs Martyr in loc. com. tom. I. claſſ. IV. loc. 2. §. 3. Gerhardvs.

enim apostoli primam illam legationem festinanter obire & absolvere deberent, ideo Christus omnibus illis, quæ iter remorari possent, eis interdixit, atque in his, quæ ad victum pertinent, a solo Deo cordis fiducia ipsos pendere voluit. III.) Paulus dicit Act. XX. 33. *Argentum & aurum aut vestem nullius concupivi*, seque *evangelium ἀδαπάνως apud Corinthios praedicasse* testatur. 1. Cor. IX. 18. Resp. ἐπιθυμία argenti, auri ac vestium illicita & inordinata reprehenditur, sed μισθοφορία necessaria adprobatur. Ipse quoque apostolus se jure suo uti noluisse ibidem evidenter adserit, ergo stipendia accipere juris esse præsupponit, quibus vero de causis eo jure uti noluerit, expositum fuit in tract. de evang. §. 100.

2.) *An ditioribus id licitum sit?*

§. CCCXXVI. Quæritur II.) *An ministris ecclesiae, qui vel ex patrimonio, vel ex haereditate habent, unde vivant, nihilominus liceat accipere stipendia, an vero de suo vivere teneantur?* Prosper lib. II. de vita contemplativa c. 9. & seqq. disputat, *non posse clericum sine gravissimo peccato vivere ex bonis ecclesiasticis, si habeat bona propria, unde sufficienter alatur*, ac probat hac ratione: Bona ecclesiastica non dantur clericis in præmium laboris, sed solum ut sustententur, & necessaria ad vitam habeant. Ergo si necessaria suppetunt, non debent temporalia in præmium laboris accipere. (*) Alii idem probant ex can. XLI. apost. ubi statuitur, *ut episcopus accipiat ex bonis ecclesiae pro sua sustentatione, si tamen indigeat.* Ergo a contrario sensu, si non indiget, accipere non debet. Idem ipsum repetitur in concilio Antioch. c. 25. Sed teſtatur ipse Prosper, suam illam opinionem visam fuisse multis duram, eo quod esset nova. Proinde cum operarius, sive dives, sive pauper, dignus sit mercede sua, Luc. X. 7. cumque jure divino ac naturali ministris ecclesiæ stipendia debeantur; 1. Cor. IX. 11. & seqq. ideo indiscriminatim ac promiscue singulis ministris ecclesia submini stret stipendia, si vel maxime unus itemque alter habeat, unde vivat. (**) Notari insuper hic potest: 1.) in nostris ecclesiis nobilium ac opulentiorum filii raro se conferunt ad theologiæ studium & ecclesiæ ministerium, ut pauciſſimi sint, qui sufficientem ex propriis bonis sustentationem habeant. Ergo propter exempla paucorum non discedendum a regula generali: 2.) Christus facile potuisset immediate sibi suisque apostolis de victu & necessariis ad vitæ sustentationem per miraculum prospicere ex iis, quæ ipsi a piis subministrabantur, Luc. VIII. 3. suo ut doceret exemplo, etiam illis ecclesiæ doctoribus esse dandum, qui de suo habent, unde vivant. 3.) Si ministri, quibus de suo, unde se suosque alant, suppetit, ordinaria stipendia negligant, reliqui in invidiam adducuntur, qui salaria accipiant, sed & successoribus injicitur difficultas impetrandi sustentationem ab auditoribus, consuetudini non solvendi stipendia adsuetis. 4.) Melchisedecus, sacerdos Dei altissimi, regias habebat facultates, quales quidem regum ejus temporis fuerunt, nihilominus

(*) *Clericos illos convenit ecclesiae stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona, qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant & bibunt.* Hieronymus. & habetur cap. 6. caus. 1. q. 2. lb. c. 7. *Pastor ecclesiae iis, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere, nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt,* Gerhardvs.

(**) Modus conferendi ministris salaria triplex observatur. Vel enim *de novo* conferri necesse est ab auditoribus ad salaria ministrorum, vel *ex collatis* olim ad hunc & ad alios usus numeranda sunt stipendia. Vel denique *utroque modo* providetur necessariæ & honestæ ministrorum sustentationi. Omnes hos & singulos modos licitos statuimus, an vero ubique & semper sint pariter utiles, merito dubitatur &c. Tarnovius disp. de Min. Eccl. Modus recte accipiendi colligitur ex Joh. XXI. 15. & seq. 1. Petr. V. 2. Auguſtinus tr. 123. in Joh. Chrysostomus de sacerd. videlicet ut ministerium suscipiatur ex amore Dei gloriæ & salutis hominum promovendæ, non ex studio quærendi, quæ sua sunt. Conf. Lutherus tom. VI germ. jen. f. 39. Gerhardvs.

nus tamen ab Abrahamo decimas accipit, Gen. XIV. 20. ergo non agunt injuste illi ecclesiæ ministri, qui stipendia accipiunt, etiamsi e suis patrimoniis vivere possint. 5.) Qui præmia stipendiorum accipere recusant, facile in suspicionem adduci possunt, quod peculiaris cujusdam sanctimoniæ gloriolam aucupentur, & singularem præ reliquis ὑπεροχὴν sibi vindicent. Si quis tamen majori cum fructu gratis docere possit, ac sufficientem omnino sustentationem habeat, illi consulendum est, ut jure stipendia exigendi non utatur. Ac qui stipendia accipit, licet bonis abundet propriis, ille in conferendis eo liberalius in pauperes eleemosynis pietatem suam probet, caveat etiam, ne rigidius ab indulgentibus stipendia exigat, neve congerendis opibus scandalum cuiquam præbeat. (*)

3.) *An ministris licitum armenta alere?*

§. CCCXXVII. Quæritur III.) *An armenta alere & agriculturam exercere ministris ecclesiae plane sit prohibitum?* Non quidem probamus eorum ecclesiæ ministrorum φιλοχρηματίαν & præposteram victus comparandi rationem, qui majorem alendi pecoris colendorum agrorum, quam studiorum, negotiorum ecclesiasticorum, ac promovendæ auditorum salutis curam suscipiunt, quos rectius pastores armentorum, πολυάρνας, φιλομήλας καὶ πολυβώτας, quam pastores ecclesiæ & ministros Christi dixeris, contra quos merito usurpatur illud Eccles. XXXVIII. 26. *Quomodo sapiens evadat, qui tenet aratrum, qui gloriatur in fuste stimuli, boves agitans & nutritus in operibus eorum, cujus in ore atque sermone taurorum progenies solum versatur?* v. 27. *Is ad sulcos ducendos animum suum adplicat, & ad pabula vaccis paranda vigilantiam praestat;* interim non potest absolute & simpliciter improbari in ecclesiæ ministro, si absque officio & studiorum jactura aliquam rei familiaris curam habeat, quæ cum in alendis armentis & colendis agris apud quasdam parochias sit occupata, ideo non potest præcise repudiari. Sancti patriarchæ & aras Deo exstruxerunt prædicantes in nomine Dei, & aliquam simul rei pecuariæ colendisve agris impenderunt curam. De Spiridone, Cypri episcopo, refert Socrates lib. I. hist. cap. 8. quod *cum episcopatus munere fungeretur, oves etiam paverit, & cum fures quodam tempore nocte concubia clam in ovilia ejus irruissent, ovesque inde furripere molirentur, vi & efficacia precum sancti viri religatis a tergo manibus per noctem ibi adstricti & exorto sole deprehensi fuerint, quos tamen ille non modo precibus suis vicissim solverit, sed ariete insuper donatos dimiserit dicens: Vobis istum dono, ne frustra vigilasse videamini.*

4.) *An exaequanda omnium ministrorum stipendia?*

§. CCCXXVIII. Quæritur IV. *An exaequanda omnium ecclesiae pastorum, eorum praesertim, qui in pagis vivunt, stipendia?* Videri alicui posset commodum & cum ecclesiæ fructu conjunctum, si agri, vineæ, prata &c. ex quorum annuis fructibus ministri ecclesiæ in pluribus locis sustentantur, pretio divendantur, vel eorum cultura ruricolis pro certis reditibus annuis commendetur, atque interim ministris certa pecuniæ summa, & quidem omnibus æqualis numeretur, hac enim ratione ecclesiæ pastoribus nullum ex terræ cultura in studiis & ecclesiasticis officiis obsici posset impedimentum, neque quærerent subinde novas sedes, quas existimant esse opimiores, & proventibus gaudere melioribus. Verum

(*) Illos tandem, qui bona patrimonialia habent, posse simul bona ecclesiastica habere, sive stipendium ex ærario ecclesiastico accipere, adfirmat glossa & Joh. de Turre cremata in c. Clericos 1. q. 2. Consentit eidem Petrus Martyr in loc. comm. class. IV. loc II. §. 2. & seq. & Junius in animadverss. ad Bellarm. L. de cleric. cap. 27. (*) GERHARDVS.

(*) Addi meretur ex recentioribus SALOMO DEYLINGIVS in *institt. prudentiae pastoralis part. II. cap. III. §. I. p. 222. seqq.* ubi & recitantur verba Electoris Saxoniæ *art. general. XXIV. p. 73. Und soll keiner Gemeinde Entschuldigung angenommen werden, da sie fürgeben, als sey der Pfarrer sonst reich genung. Dergestalt sie allezeit sich ausreden, und dem Pfarrer seinen gebührenden Sold vorbehalten möchten.*

rum distinguendum est vitiosum accidens a re ipsa; alere armenta & agros colere per se nullum objicit ministerio impedimentum, si modo debito tractetur; pastores ecclesiæ ob ditiores proventus subinde mutare parochias vitiosum est, sed potest huic vitio aliter occurri, quam per defalcationem & exæquationem salariorum ecclesiasticorum. In const. eccles. elect. Sax. f. 87. prohibetur ministerii candidatis & ecclesiæ ministris, ne suo sibi arbitrio certum eligant ac denominent locum, sed operam suam ecclesiæ offerant, & consistoriis sua gravamina exponant; interim non prohibentur ministri, agros, quos majorum pietas sustentationi ministerii voluit addictos atque addicatos colere, quin potius dotalium servitia, operæ scilicet manuariæ ac serviles a colonis præstandæ ipsis confirmantur. In artic. generalibus c. XXVII. f. 349. *Dieweil an etlichen Orten von den löblichen Vorfahren, alten Herrschaften oder Collatorn zu den Pfarren dotales, das ist, Dienst oder Frohnleute verordnet, auf dass die Pfarrer Leute zu Dienste haben, und ihre Güter desto geruhiger und besser bestellen können, sollen durch jedes Ortes Obrigkeit und Visitatores die Leute vermahnet werden, solche Dienste willig und gerne ihren getreuen Seelsorgern zu leisten.* c. XXX. fol. 315. expresse prohibetur, ne salaria ministrorum diminuantur, vel bona ecclesiastica in ærarium collatorum inferantur. *Nachdem auch etliche Collatores zum Theil die Pfarrgüter an sich ziehen, zum Theil mit den Pfarrern, so bey ihnen um Dienst anhalten, paciscren, und sich mit ihnen vergleichen, was sie in der Pfarrnützung schwinden lassen, und wie lange sie dieselbige besitzen sollen, darbey kein Gedeyhen noch Segen, darzu die Kirchen mehrmals der Ursachen mit untüchtigen Dienern versehen, auch solcher Abzug wider GOtt und die Kayserlichen beschriebene Rechte, sollen die Visitatores besonders darob und daran seyn, damit was einmal zur Pfarr und Gottesdienst ergeben und verordnet, auch darbey bleibe, und solcher Gestalt die Kirchendiener ihren gebührenden Unterhalt haben mögen, und so von jemand, wer der auch seyn möchte, heimlich oder offentlich hierwider gehandelt, sollen beyde Pfarrer und Collatores ernstlich gestraft werden.* Denique cum nec Dei dona, nec labores ministerii nec familiæ numerus inter ecclesiæ ministros sint æqualia, ideo non videtur commodum salaria exæquare, & quæ a piis majoribus determinate ad hanc parochiam legata sunt, ad aliam parochiam, vel etiam alios usus convertere.

§. CCCXXIX. Quæritur V.) *An nefas sit ecclesiarum ministris in privata ἐξομολογήσει a confitentibus muneris loco aliquid accipere?* 5.) *An in privata confessione aliquid accipiendum?*

Valde hoc improbat Jodocus Naum, & alii ex Calvinianis, qui etiam ipsam privatam confessionem & absolutionem hoc argumento ex ecclesia eliminandam censent. Sed abusus separandus est a vero & legitimo usu. Non probanda est simonia pontificia, qua spiritualia beneficia corruptibili auro & argento venduntur, quam jampridem damnavit Petrus Act. VIII. 20. Nec probanda esset illorum φιλαργυρία, qui absolutionem alicui impertire recularent, nisi numerata prius pecunia; removenda quoque ex animis simpliciorum esset perversa illa opinio, si qua tamen inhæreret, quasi peccatorum remissio interventu illius pecuniæ a pastoribus ematur; interim simpliciter & absolute improbari nequit, accipere in audienda privata confessione ab auditoribus, præsertim ditioribus aliquod honorarium. Cum enim quovis tempore licitum sit illi, *qui catechizatur sermone, communicare ei in omnibus bonis, qui se catechizat;* Gal. VI. 6. eccur eo tempore id prohibitum esse censendum? In vet. test. ex sacrificiis quædam ad sacerdotes redibant; nemo tamen illis simoniæ dicam propterea scripsit, vel scribere potuit. Absit tamen omnis mali species, & si metuitur scandalum, moneantur auditores, ut alio potius tempore suam erga ministerium beneficentiam & ἐνεργεσίαν declarent. (*) SECT.

(*) Quæritur VI.) *An decimae ex justitia debeantur ministris ecclesiae; an vero sint dona gratuita, seu purae*

SECTIO II.

DE CONIVGIO MINISTRORVM ECCLESIAE.

Status controversiae de cœlibatu sacerdotum.

§. CCCXXX. Gravis adversaria de hac quæstione cum pontificiis nobis constituta est, illi quippe ad cœlibatus perpetui legem eos, qui in majoribus, quos ita vocant, ordinibus constituti sunt, vel constitui volunt, adstringunt; nos contra ministris ecclesiæ conjugii libertatem permittimus, ac jure divino illis permissam esse statuimus. Antequam vero nostræ sententiæ argumenta proferantur, recte formandus erit quæstionis status. Non hoc quæritur, an omnes, qui in ministerio constituti sunt, vel constitui expetunt, uxorati esse debeant? id enim nequaquam dicimus, sed illis, qui peculiari continentiæ dono instructi sunt, extra conjugium vivere facile concedimus: neve quis objiciat const. eccl. elect. Sax. in nostris ecclesiis receptam, in qua art. gener. XVI. f. 337. requiritur, *ut ecclesiae ministri, si adhuc cœlibes sint, conjugium ineant;* illud namque proponit regulam, a qua peculiariter illi, qui singulari continentiæ dono instructi caste vivere & possunt & volunt, intelliguntur excepti. Hoc ergo in quæstione est: an jure divino cœlibatus sacris ordinibus ecclesiasticis sit adnexus, vel ecclesia cœlibatus jugum, tanquam necessarium ministris, imponere possit ac debeat? Vtrumque negamus, pontificii contra legem cœlibatus sacrificulis imponunt, cujus originem quidam ad jus divinum, quidam ad ecclesiae, hoc est, pontificis Romani constitutionem referunt. Argumenta sententiae nostrae potiora haec sunt.

Pro conjugio ministrorum

I.) *ex scripturae dictis.*

§. CCCXXXI. Primo Spiritus sanctus per apostolum Paulum adcurate describit virtutes, quas Deus in episcopo requirit, nusquam vero cœlibatus legem illis imponit, quin potius requirens, ut I.) *Episcopus sit unius uxoris maritus*, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. ostendit, non esse repudiandum ab officio episcopali eum, qui in conjugio vivit,

1.) *ex 1. Tim. III. 1. Episcopum oportet esse unius uxoris maritum.*

purae eleemosynae? Prius adserit Bellarminus de cleric. c. 25. Zepperus lib. IV. explan. II. Mosaic. c. 10. Posterius olim adseruit Wiclefus, hodie tuentur anabaptistae & antitrinitarii. Nos mediae insistimus viae, sustentationem ministrorum statuimus esse juris divini ac necessitatis; sed modum & quantitatem ex pietate, caritate & commoditate metiendam dicimus. Notat Bellarminus d. l. *decimarum nomen hic sumi ἐν πλάτει pro iis, quae debentur, vel juxta quantitatem lege divina determinatam, qua solvuntur integrae decimae, vel juxta quantitatem consuetudine loci determinatam, qua solvitur minus quam decima, & tamen vocatur decima.* Argumenta Bellarmini haec sunt 1.) ex *jure naturae. Qui pro populo laborant, illis populus alimenta debet. Ministri verbi non minus populo laborant, quam reges & principes.* Resp. non est quæstio de *genere*, an verbi ministris debeantur stipendia, sed de *specie* & *quantitate*. 2.) Ex *jure divino*, tum ex *vet. test.* Lev. XXVIII. 30. Num. XVIII. 21. Mal. III. 10. *ubi Deus jubet Levitis dari decimas. Ergo easdem dari voluit ministris nov. test. quia fundamentum legis est morale, & quia justitia christianorum plus debet abundare, quam pharisaeorum & scribarum: tum ex nov. test.* Matth. XXII. 21. *reddite, quae sunt Dei, Deo.* Matth. X 10. *Dignus operarius.* 1. Cor. IX, 7. *Dominus ordinavit &c.* Resp. 1.) Jus decimarum in vet. test. dandarum non fuit naturae, seu morale, sed cerimoniale, fundatum in distributione terrae Canaan inter duodecim tribus filiorum Israel, quae omnes habebant suam peculiarem portionem sola levitica excepta, cujus portio erat Dominus: Num. XVIII. 20. Deut. XVIII. 2. id quod ipse Bellarminus d. l. agnoscit. Huic populo, quia ad cultum divinum serviebant Levitae, jus naturae quidem dicitat ipsis aliquid dandum, modum vero & quantitatem, de qua sola hic quæstio, definivit illa proportio distributionis terrae Canaan, cui par in nov. test. ostendi nequit 2.) Probatio addita *genus* duntaxat non *speciem*, de qua unice quæritur, confirmat 3.) Matth. V. 20. non agit Christus principaliter de justitia operum. 4.) Inverti potest haec probatio: Si christianorum liberalitas erga ministros abundare debet supra Judaeorum erga Levitas utique non tenentur praecise decimas dare. 3.) Ex *jure ecclesiae, sive decisionibus conciliorum & decretis pontificum.* Resp. decreta illa aut fuerunt particularia certarum regionum & nationum, aut hominum, quorum interest, nempe pontificum, eisque adhaerentium. GERHARDVS.

vit, modo sit *unius* tantum, & non plurium simul uxorum maritus. Argumentum potest esse tale: Si maritus unius uxoris in episcopum eligi potest; consequens erit, conjugium non ita pugnare cum ministerio ecclesiastico, ut in una eademque persona conjungi nequeant. Sed verum prius, ut adparet ex textu apostolico. Cum enim dixisset v. 1. *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, mox subjungit v. 2. *Oportet autem episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris maritum.* Ergo & posterius. Item si virtutes, quas apostolus in episcopo requirit, etiam in illo locum habere possunt, qui est unius uxoris maritus; consequens est, maritum & episcopum esse nequaquam invicem pugnare. Sed illud. Ergo & hoc. Excipit Bellarminus. 1.) *Falsissimum esse, quod inter dotes ac virtutes absoluti episcopi ponatur conjugium, cum quotquot sanctissimi episcopi fuerunt, omnes continentes fuerint, cumque idem apostolus* 1. Cor. VII. *hortetur ad continentiam, dicens bonum esse innuptis ac viduis, ut sic permaneant.* Resp. conclusio argumenti nostri sic habet, conjugium non ita pugnare cum ministerio ecclesiastico, ut in una eademque persona conjungi nequeant: item, esse maritum & episcopum nequaquam invicem pugnare, id quod ex hoc loco apostolico evidenter probatum dedimus. Clemens Alexand. lib. III. strom. *Vnius uxoris virum utique admittit, sive sit presbyter, sive diaconus, sive laicus, utentem matrimonio citra reprehensionem.* Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. *Non hoc veluti sanciens dicit apostolus, quasi non licent absque uxore episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Judaeis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio jungi, & duas simul κατὰ τοῦτον habere uxores.* in Tit. I. homil. II. *Cujus rei gratia hujusmodi homines in medium adducit? Obstruere prorsus intendit haereticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens eam rem culpa carere, imo ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum episcopatus solium evehi.* Quod Bellarminus satis confidenter pronunciat, *quotquot sanctissimi episcopi fuerint, eos omnes fuisse continentes*, id est, extra conjugium vixisse, de eo ex sequentibus fieri poterit judicium. Nos in sacerdotibus atque aliis dono continentiae instructis nequaquam improbamus coelibatum, sed pugnamus contra coelibatus jugum omnibus sacerdotibus indiscrete impositum. 2.) *Chrysostomum & alios patres docere, quod Paulus non tulerit legem, ut episcopi habeant uxores, sed solum ut non habeant, vel non habuerint plures, quam unam.* Resp. quorundam recentiorum sententia est, Paulum hoc loco tradere generalem regulam, quod episcopi debeant in honesto conjugio vivere, a qua tamen regula excipiantur, qui peculiari continentiae dono instructi extra conjugium vivere & volunt & possunt, sicut generalis regula est: *Non est bonum hominem esse solum*, Gen. II. 18. cujus exceptio proponitur 1. Cor. VII. 8. *bonum est innuptis ac viduis, si sic permanserint;* nimirum, qui donum hoc proprium a Deo habent, illis extra conjugium vivere bonum est propter *praesentem necessitatem* v. 6. Haec interpretatio nec absurda est, nec analogiae fidei repugnans, unde ex parte probatur a Chemnitio part. II. loc. cap. de castitate pag. 537. *Apostolus* (inquit) *describens idoneum & expetitum episcopum, dicit*: sit unius uxoris vir, *non quod illos excludat, qui se castrarunt propter regnum coelorum, sed quia donum coelibatus paucis datum est, & singulae ecclesiae opus habent ministris, talem descripsit sanctimoniam episcopi, non quae consistat in singularibus donis, quae paucorum sunt, ut miraculorum, linguarum, vaticiniorum, coelibatus &c. sed quam Deus piis doctoribus omnibus largiturum se promisit.* Praeferimus tamen alteram, quae est Chrysostomi & aliorum ex veteribus, quam adprobat Lutherus in propositionibus de digamia, qua verba apostoli accipiuntur *negative*, non *positive*, ita ut non teneatur episcopus habere unam, sed teneatur non habere plures foeminas una cum uxore legitima, qua ratione τὸ *oportet* non pertinet ad verbum *uxoris*, sed ad verbum *unius*, nec infert simplicem & absolutam conjugii necessitatem, quasi non possit esse episcopus,

scopus, qui non sit maritus, sed conjugii libertatem ad ejusdem tamen leges restrictam, ne scilicet episcopus, si in conjugio vivere velit, sit πολυγαμος. Veritatem hujus interpretationis videtur agnoscere ipse Bellarminus, quando scribit, *requiri ab apostolo, ut episcopi non habeant, vel habuerint plures uxores, quam unam;* sed latet in verbis ὑπηλόν τι duplici ratione, *primo* quod τὸ *non habere plures uxores*, eo modo intelligit, quasi etiam successive non liceat episcopo plures uxores ducere, cum apostolus excludat solum eos, qui κατὰ ταυτὸν uno eodemque tempore simul plures uxores habent: *deinde*, quod verbis quidem concedit, apostolum tulisse legem, ut episcopus non habeat plures uxores, quam unam, sed revera hoc intelligit non de tempore eo, quo est episcopus, ita enim promte inferri posset, prohibet habere plures uxores, quam unam, ergo concedit habere unam; sed de tempore ante ordinationem, unde etiam addit, *vel habuerint*, quæ verba juxta sonum externum sunt disjunctiva, sed ex mente Bellarmini sunt exegetica, hoc enim vult Bellarminus, quod apostolus legem tulerit, ne quis in episcopum eligatur, qui habuerit plures successive uxores, quam unam, in quam classem etiam refert eum, qui duxit viduam, vel ab alio repudiatam, ut postea adparebit. Vrgemus autem contra Bellarminum verba textus apostolici: Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. non dicit, δεῖ ἐπίσκοπον γεγονέναι, sicut quidam jam olim expuncto vocabulo εἶναι substituerunt præteritum illud γεγονέναι, ut probarent, ad episcopatum admitti eum, qui aliquando habuerit uxorem, non autem qui nunc habeat, teste Eusebio lib. I. demonstr. evangel. cap. 9. quorum sententiam cupide amplectitur Bellarminus, sed notanter dicit, δεῖ ἐπίσκοπον εἶναι γυναικὸς ἄνδρα. Ac quilibet cogitet, quam absurdum foret, si de reliquis illis episcopi requisitis, ad quæ verbum εἶναι æqualiter extenditur, dicatur, *oportet episcopum fuisse irreprehensibilem, sobrium, prudentem &c.* Quid? quod apostolus eodem loco, cum episcopi virtutes ac requisita describisset, describit etiam *quales debeant esse eorum uxores*? Ergo loquitur de illis, qui non habuerunt olim uxores, sed qui jam habent. Viderunt hanc difficultatem pontificii, ideo triplici ratione illi occurrere voluerunt. *Primo* papa Calixtus tom. I. concil. epist. II. *per uxorem* intelligit, *ecclesiam, ut episcopo prohibitum intelligatur, ne plures, quam unam, regat ecclesias*, sed apostolus notanter loquitur de tali uxore, ex qua liberos susceperit episcopus, quos ipsos quales esse oporteat, ibidem addit, unde Salmeron in comment. hoc loco scribit, *sensum hunc esse quidem mysticum, sed minime solidum, nec ad mentem apostoli. Secundo* quidam respondent, hoc διάταγμα *apostoli esse temporarium, ac valuisse in primitiva duntaxat ecclesia, cum propter paucitatem eorum, qui ad episcopatum idonei, etiam conjugati erant eligendi, nostrorum vero temporum rationem esse diversam.* Atqui si in primis ecclesiæ temporibus, quæ ab Egesippo apud Eusebium lib. IV. histor. eccl. cap. 21. *virginitati* ejusdem conferuntur, honestum conjugium non pugnavit cum ministerio, quo minus in una eademque persona sociari potuerint, utique etiamnum non pugnabunt inter se invicem. *Denique* Bellarminus respondet, *Paulum, quando dicit, mulieres similiter pudicas, vel loqui de mulieribus generatim, vel de diaconissis, quae viduae erant, vel si loquatur de uxoribus episcoporum & diaconorum, loqui de uxoribus, quas acceperant ante ordinationem, non quas postea accepturi essent.* Atqui priores duæ explicationes cum serie textus non congruunt, ac secum quodammodo pugnant. Si enim de mulieribus in genere apostolus agit; non potest dici, quod de diaconissis viduis tantum agat. In posteriore acceptamus, quod conceditur, loqui apostolum de uxoribus episcoporum & diaconorum, quas ante ordinationem acceperant, & ex eo inferimus: Si licuit in primitiva ecclesia, in episcopos & diaconos eligere eos, qui uxores ceperant, utique adhuc hodie licebit conjugatos in ministerium adscisere. Oppositio illa Bellarminiana, inter uxores, quas ante ordinationem acceperunt episcopi, & quas postea accipiunt, est illegitima. Si enim episcopo

salvo episcopali officio licet esse maritum, perinde est, quo tempore maritus esse incipiat, quemadmodum, si licet christiano gerere magistratum, perinde est, sive ante susceptum magistratum fuerit christianus, sive christianus esse incipiat in ipso magistratu, ac si licet episcopo simul administrare regimen politicum, perinde est, sive ante episcopatum susceptum illud gesserit, sive post episcopatum susceptum gerere incipiat.

§. CCCXXXII. H.) Hebr. XIII. 4. *Honorabile* dicitur *matrimonium in omnibus & torus immaculatus, scortatores autem & adulteros judicabit Dominus*, ex quo loco tale ducimus argumentum: Quidquid in omnibus honorabile, illud non est certo hominum generi ad id idoneo, idemque legitime expetenti prohibendum. Conjugium in omnibus est honorabile. Ergo non est certo hominum generi ad id idoneo, idemque legitime expetenti prohibendum. Vlterius: Quod coram Deo est immaculatum, ab eo non possunt nec debent sacerdotes tanquam ab immundo prohiberi. Sed torus conjugalis coram Deo est immaculatus. Ergo sacerdotes nec debent nec possunt ab eo tanquam immundo prohiberi, quod pontifices Siricium & Innocentium fecisse, adparebit inferius. Denique qui periculo scortationis sunt subjecti, ac deprehendunt, se non instructos esse dono continentiæ, nec caste extra conjugium vivere posse, illis matrimonium, utpote remedium divinitus institutum, concedendum est, ut colligitur ex oppositione textus, & ex 1. Cor. VII. 2. Sed plurimi sacerdotes periculo scortationis sunt subjecti, ac deprehendunt, se non instructos esse dono continentiæ, nec caste extra conjugium vivere posse. Ergo illis matrimonium, utpote remedium divinitus constitutum, concedendum est. Excipit Bellarminus. 1.) *Si conjugia omnium sunt honorabilia, etiam conjugia consanguineorum in primo & secundo gradu erunt honorabilia, & conjugia adolescentium injussu parentum contracta.* Resp. ibi vero est disparratio, propter intercedentem divinam prohibitionem, quæ ex Lev. XVIII. & ex quarto decalogi præcepto est manifesta, ac proinde talium conjugia ostendit esse illegitima; sed in proposita quæstione illud ἀθέμιτον ostendi nequit, proinde argumentum nostrum plenum & integrum sic habet: Quod certo hominum generi ad illud idoneo & legitime illud expetenti conjugium non sit prohibendum. Ostendat vero Bellarminus in conjugio sacerdotum divinam prohibitionem, quod facere nunquam poterit. 2.) *Tribus modis illud ἐν πᾶσι exponi posse*, primo *ut in omnibus idem sit, quod omni ex parte, id est, conjugium honorabile est in omnibus, quae conjugii sunt, sive sacramentum, sive fidem, sive prolem consideres, ita Oecumenius in hunc locum*: secundo *ut in omnibus significet apud omnes, id est, nemo debet conjugium reprehendere, etiamsi virginitatem profiteatur, ita videtur accepisse Fulgentius libr. de fide ad Petrum cap. 3.* denique *in omnibus, id est, in omnibus legitime conjunctis, quicunque illi sint, sive senes, sive juvenes, sive nobiles, sive obscuri, ita Theophylactus hoc loco.* Resp. priores duæ interpretationes veræ quidem sunt, sed tamen non plenæ, nec satisfaciunt textui apostolico, ex quo manifeste adparet, τὸ ἐν πᾶσι referri non solum ad rem, sed etiam ad personas. Opponit enim apostolus eos, qui castas nuptias sectantur, & scortatores, in quos eo gravius Deum animadversurum testatur, quia adversus carnis concupiscentiam remedium illis instituit, sanctum scilicet conjugium, quod in omnibus honorabile, cujuscunque sint conditionis. Proferimus interpretationis hujus testem Paphnutium martyrem, qui in synodo Nicæna hoc dictum protulit adversus eos, qui clericis conjugatis necessitatem ab uxorum consuetudine abstinendi imponere voluerunt, teste Socrate libr. I. histor. eccles. cap. 8. & Sozomeno libr. I. histor. cap. 22. Nicephoro libr. VIII. cap. 19. Gelasio Cyziceno in actis syn. Nicephorus cap. 33. *nolite, dicebat, grave jugum cervicibus illorum imponere, qui sacris sunt initiati. Honorabile enim conjugium in omnibus ac to-*

2.) *Ex Hebr. XIII. 4. Honorabile matrimonium in omnibus.*

tus

rus immaculatus. Hanc Paphnutii sententiam tota synodus adprobavit, & continentiam ab uxore in arbitrio cujusque reliquit. Sic & patres sextæ synodi universalis in Trullo illud ipsum dictum ad personas ecclesiasticas adplicarunt, hisce verbis can. XIII. prolatis: *Si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum adsumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo a Deo constitutas & sua praesentia benedictas nuptias injuria adficere cogamur, evangelica voce exclamante:* Quæ Deus conjunxit, homo non separet, & *apostolo docente*: Honorabile matrimonium in omnibus. Hieronymus ad Oceanum epist. LIII. in causa Carterii episcopi conjugati: *Ille in uxore optavit liberos, tu in meretrice sobolem perdidisti, illi scribitur:* Honorabiles nuptiæ & cubile immaculatum: *tibi legitur:* Scortatores & adulteros judicabit Deus. Chrysostomus hom. XXXIII. in epist. Hebr. ἴδωμεν ὡς τίμιος ὁ γάμος πᾶσι, ubi ἐν πᾶσι explicat per πᾶσι. Haymo in hunc locum: *Immaculatus lectus, immaculati & illi inde surgentes, id est, maculam peccati non inde trahentes.* Cajetanus hoc loco: *In omnibus & non in aliquibus sic, in aliquibus non.* Acceptamus ergo ultimam expositionem: Honorabile conjugium in omnibus legitime conjunctis, quicunque illi sint, ac concludimus; ergo etiam in sacerdotibus, illos enim lege aliqua divina a conjugio prohiberi nondum est evictum. Neque obtendi potest prohibitio pontificia, cum non ea, quam pontifex, sed quam Deus adprobat, conjunctio sit legitima. Cogitet autem Bellarminus, quomodo cum verissimis illis pronunciatis, quod conjugium in omnibus suis partibus sit honorabile, ac quod nemo debeat conjugium reprehendere, conciliare velit non solum Innocentii & Siricii constitutiones, in quibus ad conjugium sacerdotum adcommodantur illa verba apostoli: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt;* sed etiam sua ipsius verba cap. præced. temere prolata: *In actu conjugii negari non potest, quin admixta sit quædam impuritas & pollutio, non quae peccatum sit, quae ex peccato tamen nata. Sanctorum etiam matrimonium sine pollutione quadam & turpitudine non exerceri docet rebellio membrorum. Actus conjugii hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora, & animam ipsam quodammodo carnalem facit, unde etiam conjugium orationem impedit.*

§. CCCXXXIII. III.) 1. Cor. IX. 5. *Numquid non ego & Barnabas habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui apostoli, & fratres Domini & Cephas?* (*) ex quo loco sic concludimus: Quod Paulo apostolo licitum fuit, illud ministris ecclesiæ non est lege quadam interdictum, vel interdicendum. Sed Paulo licitum fuit sororem mulierem circumducere, id est, matrimonium contrahere. Ergo. Item: In quocunque vitæ statu vixerunt apostoli, in eo bona conscientia vivere possunt ecclesiæ ministri. Sed apostoli vixerunt in conjugio. Ergo. Excipit Bellarminus 1.) *non esse certum, quinam ex apostolis uxores habuerint, & qui non habuerint, cum varient hac de re veterum sententiae; illud vero certum esse, eos ex apostolis, qui uxorem habuerunt, postquam vocati a Christo fuerunt, officio conjugali renunciasse, ut colligitur ex eo, quod Matth. XIX. dicunt:* Ecce omnia reliquimus; *ubi Christus subjungit:* Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem. *Resp.* sufficit nobis aliquos apostolos fuisse conjugatos, (**) quod ex hoc loco apostolico & Matth. VIII. 14. Marc. I. 30. Luc.

3.) *Ex 1. Cor. IX. 5. Numquid non habemus potestatem circumducendi mulierem?*

(*) Huncce locum peculiari dissertatione dilucidavit b. cancell. Pfaffivs, quæ Tubingæ MDCCLI. prodiit, sub titulo: de *circumductione sororum mulierum apostolica.*

(**) De apostolis, quinam cælibes, quinam mariti fuerint, copiose egit Espencæus *de continentia libr. I. cap. VIII. oper. fol. 681.* Add. Jo. Andr. Schmidivs *de apostolis uxoratis.*

IV. 38, manifestum. Act. XXI. 9. Ignatius in epist. ad Philadelph. (*) *Excepto Johanne omnes apostolos, ut & Paulum conjugatos fuisse* adserit. Clemens Alexandr. libr. III. strom. pag. 201. *aliquos apostolos in conjugio vixisse* testatur. *An reprobant etiam apostolos* (inquit)? *Petrus enim & Philippus filios procrearunt, Philippus etiam filias viris nuptum tradidit, Paulus uxorem suam vocat σύζυγον, de qua inquit: Habemus potestatem circumducendi.* Eusebius libr. histor. eccles. cap. 27. *Clemens propter eos, qui nuptias reprobabant, eos ex apostolis, qui in conjugiis fuisse probabantur, recenset, dicens: An & apostolos reprobant &c.* Ambrosius in 2. Cor. XI. *Omnes apostoli, exceptis Johanne & Paulo, uxores habuerunt.* Quamvis igitur exacte sciri nequeat, quinam præter Petrum ex apostolis fuerint conjugati, tamen argumento nostro, quod præsupponit, aliquos apostolos fuisse conjugatos, nihil decedit. Desertio illa conjugum, quam Bellarminus apostolis tribuit, pugnaret cum primæva lege conjugii: *Relinquet homo patrem ac matrem, & adhaerebit uxori suae, quos ergo Deus conjunxit, homo non separet;* pugnaret cum regula apostolica: 1. Cor. VII. 10. *Vxor a viro non discedat.* v 11. *Vir uxorem non dimittat.* Nec uspiam τὸ *relinquere uxorem* pro resignatione officii conjugalis usurpatum esse, monstrari potest. Quomodo apostoli reliquerint omnia, colligitur ex eo, quod Matthæus relictis omnibus Christum secutus, tamen postea eum ad convivium in suas ædes vocat, Matth. IX. 10. & quod Petrus ac reliqui apostoli post Christi resurrectionem utuntur suis retibus, & piscationi operam dant. Joh. XXI. 3. Sic ergo omnia reliquerunt, ut tamen bona sua non penitus abjecerint, nec eorum proprietate & possessione se omnino abdicarint, sed ut animam averterent ab omnibus negotiis, facultatibus & possessionibus, quæ in vocatione ipsis impedimento esse poterant; tandem vero cum peculiari mandato post Christi adscensionem in omnem terram illis exeundum erat, omnia in commune contulerunt. Quod uxores apostolorum adtinet, illæ non fuerunt in numero eorum, quæ relinquuntur causa nominis Christi, quia scili-

(*) Hoc Ignatii testimonium ex ejusdem *epistola ad Philadelphenos* §. IV. desumtum, quod hoc adducit Gerhardvs, varia ratione sollicitant critici. Sunt qui contendunt, omnes, quæ sub viri hujus apostolici nomine circumferuntur, epistolas spurias esse atque Ignatio Antiocheno suppositas. Ita post Salmasivm, Albertinvm, Blondellvm aliosque Jo. Dallaevs statuit, in rec. libr. *de scriptis Ignatii*, cui ex recentioribus b. Hevmannvs, ex Romanensium vero coetu celeb. abbas de LongvervE sunt suffragati. Non desunt tamen ex altera parte viri gravissimi, qui illas saltim Ignatii epistolas, quas Isaacvs Vossivs e codice Medicæo edidit, genuinas esse arbitrantur, veluti ex Anglis Vsserivs, Pearsonivs, Bvllvs, Grotivs alii, & ex ecclesiæ Romanæ adsseclis maxime Petavivs, Tillemontivs, Natalis Alexander, Nicol. le Novrry aliique quam plurimi. Duplex proinde hodie habetur epistolarum Ignatii editio, una brevior ab Is. Vossio edita, quam, ut modo vidimus, plerique eruditorum pro genuina agnoscunt; altera vero luculentior, quæ interpolata ac vitiata creditur. Jam vero locus iste Ignatii, ad quem provocat Gerhardvs, exstat quidem in epistola *ad Philadelphenos*, sed non vera ac genuina, quam exhibet Vossivs, verum interpolata illa ac prolixiore, ubi vero variant codices hodie adhuc exstantes, maxime latini. Sunt enim ex iis, qui Pavli nomen exhibent; sunt vero & alii, in quibus illud vel plane non exstat, vel abrasum est. Vid. Vsserivm *de epistolis Ignatii cap. XVII.* & Io. Andr Schmidivm in dissertatione supra adlegata *de apostolis uxoratis*, in *Paulo*, §. *VI. p. 93. seqq.* qui & *loc. cit. p. 81. seqq.* in eorum descendit sententiam, qui Paulum apostolum non uxoratum, sed cœlibem potius per totam vitam fuisse, multis argumentis comprobare adnititur. Provocat inprimis ad locum *1. Cor. VII. 7.* ubi ipsemet gentium apostolus de dono continentiæ, quod semper servaverit, sequentem in modum scribit Θέλω πάντας ἀνθρώπους εἶναι ὡς καὶ ἐμαυτόν: *vellem omnes homines esse sicut & ego*: & in commate statim sequente: λέγω τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις, καλὸν αὐτοῖς ἐστιν ἐὰν μείνωσιν ὡς κἀγώ: *dico innuptis & viduis, bonum ipsis est, si permanserint sicut & ego.* Nec tamen defuerunt alii, qui Paulum uxoratum statuerunt, veluti cardinalis Caietanvs, Ambrosivs Catharinvs, Erasmvs Roterodamensis, Faber Stapulensis, aliique ecclesiæ Romanæ doctores, quibus ex nostris theologis, b. LvtherVs, Brentivs, Flacivs, Oedervs, alii, ex reformatis Zwinglivs, Bvllingervs, Mvscvlvs, Hospinianvs, alii, ex Anglis Vsserivs, Jamesivs & Gradivs addi merentur.

scilicet ab eo avocant, proinde etiam non fuerunt ab ipsis separatæ, sed itineris comites, ut ex hoc ipso loco apostolico colligitur, ac de Petro referunt historiæ, quod uxori ad supplicium raptæ præsto fuerit, ipsique adclamarit: *O memento Domini!* Clemens libr. VII. stromat. p. 340. Eusebius libr. III. histor. cap. 27. Nicephorus libr. II. histor. cap. 44. & ex illis Baronius in annal. tom. I. adnotat. 69. num. 30. Sicut piæ matriarchæ dominos suos in exsilium sunt secutæ: Gen. XI. 31. XII. 5. XX. 2. XXVI. 7. XXXI. 17. ita idem ab apostolorum uxoribus factum fuisse verisimile est. Quod verbis Petri: *Ecce nos relinquimus omnia Christi*, apud Matthæum XIX. 29. subjungit, *omnis, qui reliquerit uxorem;* ex eo non potest colligi, apostolos ab uxoribus se plane separasse, sed transit Christus ab hypothesi ad thesin, & consolationem illis proponit, qui per violentam tyrannorum persecutionem non a bonis solum, sed etiam ab uxore & liberis separantur, a quibus voluntario ausu se alias non deberent separare. Jansenius in comment. conc. evangel. cap. 100. *Quamvis Petrus locutus fuerit de dimissione omnium propter desiderium perfectioris vitae; Dominus tamen suam doctrinam extendit non tantum ad eos, qui ad instar apostolorum sua, vel suos relinquunt propter perfectionem adsequendam, sed etiam ad eos, qui relinquunt propter conservandam vitam spiritualem & gratiam Christi, quam conservare non possent, nisi suorum derelictione &c. Quemadmodum enim dixit Dominus:* qui perdiderit animam suam, inveniet eam; *non hoc dixit, ut nos ipsos interimamus, sed ut ipsi etiam animae nostrae fidem, quae in illum est, & amorem praeponamus: ita & nunc dicens:* qui reliquerit uxorem, *non hoc dixit, ut nuptias penitus dividat, sed ut ipsi quoque conjugi praeponamus & ipsum, & evangelium, & regnum Dei.* Hæc Jansenius. Sed quidquid sit de apostolorum uxoribus, urgemus hoc, quod Paulus expresse adserit, *se habere potestatem circumducendi uxorem*; ergo cœlibatus non est necessario quodam vinculo ministerio ecclesiastico conjunctus. 2.) Igitur excipit Bellarminus, *apostolum non loqui de uxoribus, sed de piis fœminis, quae sequebantur apostolos, & eis ministrabant, sicut etiam Dominum sequebantur*, Luc. VIII. quod confirmat ex testimonio quorumdam veterum, & ex proprietate linguæ græcæ, dici enim sine articulo ἀδελφὴν γυναῖκα, non τὴν ἀδελφὴν, ut certa quædam mulier intelligatur. *Resp.* Clemens Alexandr. & ex eo Eusebius libr. III. histor. eccles. cap. 27. de uxoribus hunc locum accipiunt, quos sequitur Leo IX. contra epistolam Nicetæ c. Omnino dist. 31. Bellarminus regerit, *Clementem statuere, quod conjugale officium inter apostolos & ipsorum uxores cessaverit*; sed Clemens diserte illud non adserit, verba sic habent: p. 192. edit. comment. οὐχ ὡς γαμετὰς, ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς περιῆγον τὰς γυναῖκας συνδιακόνους ἑπομένας πρὸς τὰς οἰκείους γυναῖκας, δ' ὧν καὶ τὴν γυναικωνίτιν ἀδιαβλήτως παρεισεδύετο ἡ τῶ κυρίω διδασκαλία, dicit eas magis in propagando evangelio sororum, quam in privato usu uxorum officium impleviſse, utpote per quas etiam in gynæcea citra calumniam doctrina Domini insinuabatur. Sed demus ex hypothesi, apostolos postea ab usu conjugali abstinuisse, id quod nos in medio relinquimus; tamen ex peculiari illo continentiæ conjugalis in apostolis exemplo, (si vel maxime evictum esset) tam non posset generalis regula inferri, quod omnibus ecclesiæ ministris a conjugii usu penitus abstinendum sit, quam ex Josephi & Mariæ exemplo Apostolus eas non solum *sorores*, sed etiam *uxores* vocat, revera igitur uxores erant, ac maritalem potestatem in eas habebant. Probatur autem hæc interpretatio nostra *primum* ex *phrasi*; in singulari vocat γυναῖκα, non plures mulieres, quarum sumtibus potuisset sustentari; adpellat ἀδελφὴν, (sicut etiam Tob. VIII. 9. Tobias suam conjugem vocat,) quia loquitur de *conjuge fideli*; ac quamvis non addat articulum τὴν, sufficit tamen, quod in singulari loquatur, nec opus fuisset ἐξηγήσεως causa addere γυναῖκα, si de quavis in Christo sorore loqueretur, ac in genere quamvis *fœminam christianam* voluisset intelle-

tellectam, nisi quis absurde statuere velit, etiam viros posse esse sorores. Vrgemus etiam verbum περιάγειν, quod indicat jus mariti, quem uxor tenetur sequi, itemque individuam illam vitæ viæque societatem ex conjugii jure dependentem. *Secundo* ex *scopo* Apostoli. Demonstrare conatur apostolus, se habuisse potestatem gravandi ecclesiam Corinthiacam sumtibus pro sui ac familiæ sustentatione necessariis ab ea recipiendis, qua tamen potestate apud Corinthios se non fuisse usum adserit. Atqui non gravata, sed potius sublevata fuisset ecclesia Corinthiaca, si hujusmodi mulieres apostolus secum circumduxisset: proinde etiam exemplum mulierum, quæ Christum sequebantur, & suppeditabant ipsi τὰ βιωτικὰ, est ab hoc loco alienum, illis enim ecclesia minime onerabatur, sed potius sublevabatur. *Tertio* ex *re ipsa*. Quam enim quæso habuisset speciem, si Petrus propriam suam conjugem relinquere, & interim opulentiores aliquas mulieres per varios populos in longinquis peregriuationibus secum circumducere voluisset? Regerit Bellarminus 1.) *sic vocari sorores mulieres*, sicut Act. I. 16. dicuntur *viri fratres*; sed hanc explicationem non permittunt scopus textus, & circumstantiæ reliquæ, nec mutatus verborum ordo, non enim dixit apostolus *mulierem sororem*, sed *sororem mulierem*. Idiotismus linguæ permittit, ut dicatur, *viri fratres*, nequaquam vero, ut inverso ordine de fœminis dicatur, *sorores mulieres*. 2.) *Potestatem, de qua apostolus loquitur, non fuisse in mulieres, sed in actionem eas circumducendi, si sequi vellent, vel si in mulieres erat potestas, dicam, apostolos habuisse auctoritatem in eas mulieres, non virorum in uxores, sed doctorum in discipulas.* Resp. si in actionem circumducendi illam sororem mulierem potestatem habuit apostolus, utique etiam in ipsam personam respectu illius actionis, quia sine jure in personam non potest habere locum jus in personæ actionem. Præterea si in actionem circumducendi eam potestatem habuerunt apostoli, utique etiam erant apostolorum uxores, quia extra conjugii vinculum nullus vir in fœminam habet illam circumducendi potestatem. Quod de auctoritate apostolorum in sorores mulieres tanquam doctorum in discipulas additur, a textu est alienum; agitur enim de potestate cum reliquis apostolis uxoratis communi, ac diserta fit mentio Petri, quem constat & uxorem habuisse, & eandem in prædicatione evangelii secum circumduxisse. Repetimus igitur nostram ἔνστασιν, parum honorifice fuisset apostolis conjugatis, ac propagationi evangelii aliquid labis adspersisset, si proprias uxores deseruissent, & fœminas alias tanquam discipulas secum circumduxissent. 3.) *Illas mulieres vel fuisse pauperes, & non ministrasse pecuniam, sed obsequium tantum, accipientes pecunias a populis, quibus apostoli prædicabant, vel fuisse divites, & aluisse apostolos; sed non semper fuisse cum apostolis, ideoque apostolos aliquando fuisse nutritos a mulieribus, aliquando a populis.* Resp. fingere hoc est, & pingere, non disputare. Quam habuisset facti speciem, si apostoli desertis uxoribus propriis alias & quidem pauperes ad obsequia sibi præstanda adscivissent? De divitibus autem cogitare, scopus & circumstantiæ textus non permittunt, circumductio enim divitum mulierum ecclesias non onerasset, sed potius sublevasset. Cæterum cum de hoc loco apostolico pulcre disserat Dudithius in demonstr. pro conjugio clericorum p. 56. verba ejus huc referemus: *Quid aliud* (inquit) *per sororem mulierem intelligi potest? An alia quaevis fœmina? cur ergo addidit vocem mulierem? Nugatio enim esset, & ad excludendum virum satis erat sororem nominasse. Graecus contextus habet ἀδελφὴν γυναῖκα. Primum illud idem valere satis adparet, quod si πιστὴν dixisset, id est, fidelem seu christianam, ita enim fratres & sorores apostoli & tota illa antiquitas vocare solebat eos, qui eumdem Deum Patrem colerent, inque ejus filium Jesum Christum crederent, quare novum videri non debet neque inusitatum, quod uxorem sororis quoque vocabulo cohonestarit. Jam illud alterum omnino uxorem significare, certum est, γυνὴ enim eam vim habet, ut & mulierem simpliciter & uxorem*

uxorem plerumque denotet, quod ne apud Latinos quidem auctores infrequens est, ut mulieris nomine uxor significetur &c. Supra cap. 7. cum de uxoribus apostolus loquitur, non alio, quam hoc quoque loco, nimirum γυναικὸς vocabulo utitur & 1. Tim. III. episcopum vult esse μιᾶς γυναικὸς ἀνδρα, & proxime superiore capite, cum inquit: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. *ἡ δὲ γυνὴ inquit, eam autem mulierem quis neget Adami uxorem fuisse? Ita ad Tit. I. cum presbyteros ordinari praecepit*, si quis sine crimine est, unius uxoris vir, *inquit, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ. Interpres eo loco, ut supra quoque 1. Cor VII. & alibi acutius vidit; nam quemadmodum & hic facto opus fuerat, ibi γυναικὸς uxoris vertit. Adde, quod nisi illae uxores fuissent, suspicio oriri potuit, scorta ab apostolis circumduci, quod summo studio illos caviſſe verisimile est, ne per ipsorum latus evangelii, quod docebant, auctoritas convitiis & criminationibus vulneraretur. Decebat autem apostolorum domum & familiam atque universam societatem non crimine solum, verum etiam omni criminis suspicione vacare &c.* Quæ de loco Phil. IV. 3. *Rogo te, germane compar*, Bellarminus disputat, facilem habet explicationem, concedimus enim non posse ex illo loco firmiter concludi, apostolum Paulum in conjugio vixisse.

II.) *Ex rationum momentis.*

1.) *Ex conjugii libertate.*

§. CCCXXXIV. Scripturæ dictis perspicuis addimus hasce rationes: I.) Quod Deus omni hominum generi reliquit liberum, illud non est ecclesiæ ministris prohibendum. Sed conjugium Deus omni hominum generi reliquit liberum: 1. Cor. VII. 25. *De virginibus praeceptum Domini non habeo.* v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccat.* v. 36. *Si quis indecorum existimat super virgine sua, si sit ὑπέρακμος, & ita oportet fieri, quod vult, faciat, non peccat*; nubant scilicet tales virgines. Ergo conjugium non est ecclesiæ ministris prohibendum; huc pertinet, quod 1. Tim. IV. 3. *prohibitio matrimonii inter doctrinas daemoniorum* refertur. Excipit Bellarminus: 1.) *ecclesiam* (Romanam) *non prohibere matrimonium, aut cogere ullum ad caelibatum absolute suscipiendum, sed solum requirere eam conditionem in iis, qui initiari volunt sacris mysteriis, quam conditionem, si quis nolit accipere, potest non accipere, sed non initiabitur, quemadmodum non censetur ecclesia prohibere judicia forensia, nec officium tortoris, etiamsi nolit talia ab ecclesiasticis fieri.* Resp. ecclesia Romana non habet potestatem prohibendi conjugium illis, quibus ex Dei ordinatione illud est liberum, quia ecclesiæ potestas non debet esse major, quam apostolica. Sed apostolus non arrogavit sibi potestatem iniiciendi *laqueum* conscientiis per legem cœlibatus 1. Cor. VII. 25. Nec per illam prohibitionem donum continentiæ datur illis, quibus conjugio interdicitur, sed illud totum ex Dei arbitrio dependet; jam vero qui continentiæ dono instructi non sunt, illis conjugium non solum est liberum, sed etiam necessarium, ex quo colligitur, legem cœlibatus vere θεομαχεῖν, dum illud, quod Deus ut liberum omnibus, ut necessarium illis, qui uruntur, proposuit, certo hominum generi ab ustionibus haudquaquam libero penitus interdicit. Magna igitur diversitas est in adlatis exemplis. Judicia forensia tractare, officium tortoris administrare pendet ex voluntate humana, sed extra conjugium caste vivere non ex arbitrio humano, verum ex peculiari solius Dei dono dependet. Refero huc locum ex libro Justi Jonæ, quem Lutherus magnopere commendat, in quo defendit conjugium sacerdotum adversus Fabrum: *Ex Gen. I.* (inquit) *constat, hominem non solum masculum creatum, sed & fœminam. Praeterea cum creasset Deus masculum & fœminam, benedixit eis inquiens:* Crescite & multiplicamini. *Ex illo igitur clarum est, masculum & fœminam sic creatos, ut conjungantur, crescant & multiplicentur. Atque haec verba Dei tam potentia & efficacia sunt, ut nulla creatura neque in terra, neque in cœlo, aliam hanc naturam facere possit, proinde cum hae duae naturae sic a Deo creatae sint ac factae, ut conjungantur, si sis masculus, nihilo magis in tua potestate situm est, ut careas muliere, quam illud est, ut non sis, quod creatus*

tus es, nempe masculus. E diverso, si sis mulier, nihilo magis in tua potestate situm est, ut careas viro, quam hoc est, ut non sis mulier. Illum ergo genialem impetum & naturae insculptum aafectum, quo mulier concupiscit masculum, & masculus fœminam, non est nostrarum virium sumere, aut ponere, sed sic a Deo creati, sic facti, sic conditi sumus. Haud aliter ergo atque ignis non potest non clarere, aqua non potest non madere, quod utrumque sic sit creatum: sic mulier non potest non concupiscere masculum, contra masculus non potest non adfici erga fœminam. Nam hoc verbum: Crescite & multiplicamini; *non est lex, nec praeceptum, sed vivum & efficax Dei verbum, imo opus Dei, quod non desinit in natura agere & operari. Hoc opus Dei impedire, aut remorari, nihilo magis in nobis situm est, quam hoc est, ut nosmet ipsos alios homines, aut angelos faciamus. Perinde igitur, atque ex meis viribus non est, sed mera creatio & natura, quod sum masculus, & hujus vel illius sexus membra habeam: sic non ex me est, sed plane innatum & insculptum quiddam est haec propagatio, seu propensio & ardor ad propagandum. Et haud aliter, atque sic creata natura est, ut non possit carere cibo, aut potu, aut aliis necessariis rebus, ita & creata est, ut non possit non aestuare & desiderio & ardore se propagandi.* (*) *Non praecepit unquam Deus ulli, ut esset masculus, aut fœmina, sed sic creavit, sic finxit & condidit, ut essent ex natura masculus & fœmina: sic & non praecepit, ut crescerent & multiplicarentur, sed hoc naturae & gemino huic sexui insevit & indidit, ut inter se mutuo exardescat, & nativa vi atque impetu feratur ad crescendum & propagandum; hunc impetum igitur, has flammas sic ipsi naturae insitas ac sexui connatas non est, ut humanis aut ullius creaturae viribus coercere, aut reprimere coneris, nisi Deus aliquem peculiari vocatione ac dono sublimiore eximat.* Haec ille. Res igitur eo redit, quia pontifex per suam prohibitionem personas ecclesiasticas non eximit, nec eximere potest ex numero hominum, in quibus verbum Dei: *Crescite & multiplicamini*, est efficax, nec peculiari illo continentiae dono eos instruit, ideo prohibitio conjugii divinae ordinationi repugnat. Nec refert, quod cum conditione prohibitio feratur, dum enim pontifex neminem sacris initiari in majoribus ordinibus permittit, nisi voto coelibatus sese prius obstringat, eo ipso matrimonium certo alicui hominum generi penitus interdicit. 2.) *Apostolus loquitur de iis, qui absolute nuptias damnarunt, quales fuere olim Tatianus, Marcion & Manichaeus, pontificii id non faciunt.* Resp. fatemur haec apostoli verba recte a veteribus opposita fuisse Tatiano, Encratitis & Manichaeis, sed ex eo colligi nequit, non posse eadem opponi pontificiis conjugium in personis ecclesiasticis damnantibus, loquitur enim apostolus generaliter de omnibus prohibentibus matrimonium sive absolute, sive cum conditione, ac si textus apostolici seriem & verborum emphasin intueamur, adparet omnino, etiam notari pontificiam conjugii prohibitionem. Primo enim apostolus in capite praecedente de *uxoribus & liberis episcoporum* disseruerat; quare cum hoc loco praedicit, fore qui nuptias prohibeant, utique etiam episcoporum nuptias includit. Deinde seductores illos dicit venturos *temporibus posterioribus*, at Tatianus, Marcion & Manes secundo ac tertio post Christum natum seculo vixere. Praeterea apostolus non dicit, illos seductores damnaturos nuptias, sed *prohibituros*, quae vox notat auctoritatem νομοθετικὴν, qualem sibi in ecclesia solus pontifex arrogat, ac prohibitionis

(*) Gregorius de Valentia tom. IV. oper. theol. in Thom. p. 2236. negat *consensum parentum in nuptiis filiorum esse de necessitate, propterea quia pertinet ad facultatem generandi naturalem, quae solius filii sit, non patris, eaque propter filium posse sine consensu patris valide de ea disponere, idque probat ex Tom. II. 2 q. 104. art. 5. & tandem addit, quod pater non vi possit filium privare vita, aut prohibere, quo minus utatur aliqua facultate naturali, ut exempli gratia, ne unquam rideat, aut ne comedat.* Pererius lib. VIII. de comm. rerum nat. princ. cap 56. p. 480 *Adpetitus generandi cuilibet homini est naturaliter insitus & penitus infixus, acerrimus & incitatissimus est, quique post labefactatam primi hominis scelere integritatem naturae multo vehementior & efrenatior exstitit.* Gerhardus.

nis illius causam fore dicit *hypocrisin*, hoc est, specimen majoris sanctitatis, hoc certe animadvertitur in lege illa cœlibatus, ad quam Siricius pontifex adcommodat illud Dei præceptum: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum.* Addit apostolus, conscientiam talium seductorum fore velut *cauterio notatam*, id est, in conscientia eos fore convictos de incommodis ex hac prohibitione ortis; nec tamen ab eodem promulgando & urgendo desituros, id quod in pontificios maxime quadrat, cum Æneas Sylvius, postea pontifex Pius II. dixerit: *Sacerdotibus olim magna ratione ademtum esse matrimonium, sed majori ipsis esse restituendum.* Adhæc ibidem dicitur, quos iidem seductores *prohibituri sint cibos*, quos *Deus creavit ad accipiendum cum gratiarum actione*; illud itidem non simpliciter, sed κατὰ τι, respectu certorum temporum ac certorum ciborum accipi potest: eadem est ratio prohibitionis conjugii, ut nihil dicamus de eo, quod ex ipsa præmonitione apostoli tam solicita & adcurata manifeste adpareat, magnam per spiritus illos seductores ecclesiæ cladem inferendam, sed Encratitæ cum Manichæis paucos habuerunt sectatores, si conferantur cum iis, qui vinculis papalis prohibitionis obstricti tenentur. Denique nec ipsi Manichæi, quos pontificii hoc dicto perstringi agnoscunt, absolute omnibus, sed tantum *electis* suis prohibuerunt nuptias, teste Augustino libr. II. de moribus Manich. cap. 18. & in epist. LXXIV. ad Deuterium. Ac quis audiret eum, qui absolute omnibus christianis in ecclesia conjugium prohiberet? 3.) Regerit Bellarminus: *Manichaeos simpliciter interdixisse nuptias, licet enim auditoribus suis eas permitterent, tamen id fecisse, quia non poterant aliud obtinere. Pontificios vero non nisi cum conditione prohibere matrimonium, ac non solum tolerare christianos conjugatos, sed etiam laudare; deinde Manichaeos auditoribus suis permisisse nuptias tantum ad explendam libidinem, non autem ad procreationem liberorum, quod est nuptias detestari, pontificios vero propter hunc finem eas potissimum laudare, ad quem a Deo sunt institutae.* Resp. manet interim tertium illud comparationis, quod utrique in certo quodam hominum genere ad perfectiorem sanctitatem adspirante nuptias prohibeant. Ac si vere & ex animo pontificii laudarent nuptias, tunc in ecclesiasticis personis eas saltem tolerarent, si vel maxime in illis laudare nollent. Pertinet omnino ad laudem conjugii, quod sanctitati personæ nihil deroget, hanc laudem pontificii illi derogant, dum ob majoris sanctitatis studium certo hominum generi nuptiis interdicunt. 4.) *Apostolum dicere non in diebus ultimis, ἐσχάτοις, sed posterioribus, ὑστέροις, qua temporis notatione totam hanc ultimam aetatem intelligat a Christi ministerio usque ad extremum judicium, non autem certam ejus particulam postremam.* Resp bene est; ergo apostolus etiam intelligit omnes, qui conjugium prohibent, sive primis, sive ultimis post Christum natum seculis vixerint, sive uni tantum ecclesiæ ordini, sive pluribus ordinibus conjugium prohibeant, ac per consequens etiam pontifices prohibitionem illam in ecclesiam introducentes perstringit. Perpetuæ enim veritatis sunt illa pronunciata veterum, Hesychii in Gen. *Maledictione digni sunt, qui nubere prohibent.* Ambrosii lib. I. de virg. *Nuptias suadeo, & eos damno, qui nuptias dissuaserunt.* Hieronymi in 1. Tim. IV. *Omnis, qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis, quia incontinentes sublato nuptiarum remedio fornicationis facit inire discrimen.* Theodoreti in 1. Tim. IV. *Apostolus non vituperat cœlibatum, aut continentiam sed eos, qui lege lata ea sequi compellunt.*

§. CCCXXXV. II.) Jus divinum & naturale non potest tolli lege humana. Conjugium est de *jure divino* Gen. I. 28. ac *jure naturae*, ut patet ex adpetitu propagationis omnibus insito. Ergo non potest tolli lege humana. Vt nemo potest obligari, vel a se, vel ab alio, ad non comedendum, quia hoc esset contra naturalem inclinationem conservandi individuum: sic nemo potest obligari vel a se, vel ab alio, ad non ducendam

2.) *Ex juris divini & naturalis aequitate.*

uxorem, quia id esset contra naturalem inclinationem conservandi speciem. Excipit Bellarminus: 1.) *Verbum Domini*: Crescite & multiplicamini; *non sonare praeceptum, sed naturae institutionem exprimere, cum etiam brutis hoc sit dictum.* Resp. Bellarminus ipse paulo post agnoscit, *praeceptum naturale* de conjugio ineundo in illis verbis proponi, cur igitur praeceptum & naturae institutionem hic opponit? Si natura Dei voluntate ita instituta est, ut per conjugium propagandum sit genus humanum, utique quos Deus & natura ad conjugium vocant, illi ab eo non sunt arcendi. Deus ante lapsum in paradiso conjugium instituit, idem per legitimam maris ac foeminae conjunctionem genus humanum, & in eo ecclesiam Christi conservari ac propagari voluit, post lapsum idem confirmavit & mandavit, Gen. VIII. 17. IX. 1. haec institutio & ordinatio Dei omnes obligat, qui non sunt peculiari dono excepti. Brutorum & hominum hac in parte est dispar ratio, illorum enim respectu internum duntaxat naturae instinctum verba illa exprimunt, sed horum ratione sanctam Dei ordinationem & praeceptum naturale continent. 2.) *Praeceptum illud de conjugio esse adfirmativum, ideo non obligare, nisi in casu necessitatis, id est, quando periculum immineret, ne genus humanum periret.* Resp. Pererius tom. I. in Gen. lib. IV. p. 657. negat datum *esse praeceptum de conjugio* contra expressum textum apostolicum 1. Cor. VII. 2. propter *fornicationem habeat unusquisque uxorem suam*, & Becanus in lib. de judic. controv. p. 75. Gen. I. 28. negat proponi *praeceptum de matrimonio contrahendo*, sed duntaxat *benedictionem pro matrimonio contracto.* Sed Bellarminus hac in parte a Pererio & Becano discedit, ac secutus Lombardum lib. IV. dist. 26. & Thomam II. 2. q. 152. art. 2. concedit *esse praeceptum*, sed addit *non obligare omni tempore, cum sit adfirmativum.* Verum ne sic quidem vim argumenti nostri effugere potest. Tempus enim, quo praeceptum de conjugio ineundo obligat, non solum illud est, quando periculum imminet, ne genus humanum intereat, sed etiam quando ustiones sentiuntur, & sic periculum imminet, ne in scortationem homo prolabatur. 1. Cor. VII. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam, & quaelibet virum suum.* v. 9. *Dico innuptis ac viduis, si non se continent, nubant, melius enim est nubere, quam uri*; in quae verba Chrysostomus sic commentatur, homil. XIX. *Magna est tyrannis ἐπιθυμίας, si igitur sustineas βίαν καὶ πύρωσιν, ἀπαλλάνητι πόνου καὶ ἱδρώτων, μή ποτε καὶ περιτραπῇς.* Qui ergo sentiunt, se non esse peculiari continentiae dono instructos, statuant se vocari ad matrimonium, remedium scilicet divinitus monstratum & comprobatum, quo pertinet illud Epiphanii libr. I. adverf. haeres. tom. II. haeresi LXI. contra apostolicos in Graeco fol. 222. in Lat. col. 426. *Melius est judicium, quam condemnatio. Qui enim, ut ne apud homines infamiam sibi conflent, occulte scortantes vel solitudinis, vel continentiae pactum ineunt, non hominibus, sed Deo pollicentur, qui novit occulta, & redarguit omnem carnem in adventu suo, prout quisque peccavit. Melius est itaque unum peccatum habere & non plura. Melius est lapsum a cursu palam sibi uxorem sumere secundum legem, & a virginitate multo tempore poenitentiam agere, & sic rursus ad ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum & obligatione opus habentem & non quotidie occultis jaculis sauciari ab improbitate, quae a diabolo ipsi infertur. Sic novit ecclesia praedicare.* 3.) *Sicut non tenemur comedere, nisi quando periculum est, ne pereat individuum; ita non tenemur ducere uxorem, nisi quando periculum esset, ne species humana interiret.* Resp. finis conjugii non est unus ille, generis humani propagatio, sed etiam alter, videlicet scortationis evitatio; ergo si vel maxime respectu prioris finis nulla adest conjugii ineundi necessitas, tamen respectu posterioris adesse potest. Quemadmodum igitur edendum est, non solum quando periculum est, ne individuum intereat, sed etiam quando opera vocationis non potest absque sustentatione cibi commode obire; ita quoque con-

conjugium incundum, non solum quando periculum est, ne species intereat, sed etiam quando ob flammas ustrices impediuntur preces, quando periculum est ruinæ, ac tranquillitas conscientiæ turbatur, tunc enim manifestum est, donum illud continentiæ non haberi. Neque enim ad puritatem cœlibatus sufficit solum corpus habere impollutum, quando enim cor æstuat & ardet libidine, ut voluntas succumbat, & delectetur impuris cogitationibus, tunc non amplius locum habet definitio virginitatis, quæ est, quod sit *sanctitas corporis & spiritus* 1. Cor. VII. 34. 4.) *Tunc fuit praeceptum singulis hominibus, ut conjugium inirent, quando terra erat vacua, ut in exordio mundi & mox a diluvio, nunc autem cum terra plena sit, cælum potius replendum est, quod fit melius continendo quam nubendo.* Resp. petitum hoc ex Tertulliano & Hieronymo, qui cum contumelia conjugii quandoque laudant cœlibatum, ut suo loco demonstrabitur. *Bonum propagationis* etiam multiplicato genere humano non desinit esse finis conjugii, ad quem accedit *evitatio scortationis*, quem finem expresse addit apostolus 1. Cor. VII. 2. durante igitur finis alterutrius necessitate, durat etiam conjugii necessitas, durante ratione legis durat lex ipsa. Christus doctrinam de conjugio revocans ad divinam institutionem Matth. XIX. 4. docet de jure divino & conjugii bono nihil esse in nov. test. detractum. Ipse sua præsentia & divino miraculo nuptias cohonestavit, Joh. II. 2. conjugatos in collegium apostolicum adscivit, Matth. VIII. 14. 1. Cor. IX. 5. sextum decalogi præceptum, quod fundamentum est vitæ conjugalis, a variis corruptelis vindicatum diligenter exposuit, Matth. V. 27. liberos, matrimonii fructus, blande amplexatus est, Matth. XIX. 13. seque sponsum nostrum vocando, Matth. IX. 15. Luc. V. 34. in conjugio speculum divini erga ecclesiam amoris propositum esse docuit. Os. II. 19. Eph. V. 25. Absit igitur, ut nov. test. tempore dignitati, utilitati ac necessitati conjugii quidquam detractum esse suspicemur. Et quid? an non in pio conjugio cœlestis paradisi plantulæ educantur ac formantur? an virginitas absolute meretur vitam æternam, ut continendo melius quam nubendo cœlum repleatur? 5.) *Si jure divino homines tenentur ad matrimonium, peccarunt Christus, Johannes, Maria, qui extra conjugium vixerunt.* Resp. nos non imponimus legem conjugii sine discrimine omnibus, sed illis, qui sentiunt ustiones, ac pugnamus, *legem cælibatus* non esse imponendam continentibus, multo minus illis, qui agnoscunt se extra conjugium non posse caste vivere. Cuilibet dicimus esse donum suum a Deo datum; 1. Cor. VII. 7. ideo quemlibet expendere debere suas vires, & respicere suam vocationem. Pulcre Dudithius in demonstr. pro conjugio clericorum. p. 54. *Jure naturae in humana vita matrimonium receptum, cum autem jure naturae communiter omnes homines uti possint, quid est, cur ejus usura certo hominum generi interdicatur?* Postea addit: *Neque tamen ii sumus, qui necessario omnibus utendum hoc jure naturali censeamus, sed qui contendamus, neminem ab eo arcendum. Est enim naturae jus duplex: unum, quo utendum sit omnibus: alterum, a quo nemo prohibendus, cujus generis est matrimonium.*

3.) *Ex continentiae raritate.*

§. CCCXXXVI. III.) Quicunque non sunt continentiæ dono præditi, illis apostolus præcipit, ut conjugium ineant 1. Cor. VII. 2. & 9. Jam vero multi ex ordine sacerdotum non sunt præditi dono continentiæ. Ergo illis præceptum est, ut conjugium ineant, & per consequens conjugium non est ordini sacerdotali penitus auferendum. Excipit Bellarminus: 1.) *Apostolum loqui de conjugatis, qui, cum in paganismo uxores duxissent, post conversionem ad fidem dubitabant, an deberent uxoribus uti, illis respondet, ut unusquisque uxorem suam retineat, & conjugale debitum invicem reddant. Tertullianus lib. de monag. Hieronymus lib. I. adv. Jovin.* Resp. si vel maxime concederemus v. 2. de conjugatis apostolum loqui, tamen v. 9. expresse loquitur de *non nuptis ac viduis*, de quibus disertis verbis adserit, quod *bonum quidem sit,*

eas *sic permanere*, interim *si non contineant*, debere nubere, cum *melius sit nubere, quam uri.* Sed nulla necessitate cogimur, limitationem illam v. 2. admittere; apostolus enim in toto illo capite generaliter disputat de conjugio ac cœlibatu, v. 1. indefinite pronunciat: *Bonum est homini mulierem non tangere*, id est, non ducere uxorem, sed postea v. 3. addit correctionem: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaeque suum virum habeat*, ubi τὸ ἐχέτω de ipso conjugii contractu loquitur. Non erat a Corinthiis proposita quæstio, an mariti deberent uxoribus cohabitare? sed an cœlibes personas eo rerum statu matrimonii vinculis illigari conveniens sit? ubi apostolus respondet, esse quidem καλὸν, commodum & utile, propter *praesentem necessitatem*, mulierem non *tangere*, id est, non habere, ut exponitur v. 2. sed non omnes ad cœlibatum esse aptos, ideo propter ἀταξίαν καὶ ἀκρασίαν, quæ ex lapsu primorum parentum in natura hominum invaluit, & propter periculum fornicationis conjugium esse ineundum omnibus illis, qui sentiunt se dono illo continentiæ non esse instructos, quippe cum in hac naturæ fragilitate conjugium non solum sit medium propagandi genus humanum, sed etiam remedium adversus vagas libidines, *ante lapsum fuit officium, sed post lapsum fuit remedium.* Lyranus in comm. *Apostolus instruit his verbis Corinthios de matrimonio contrahendo. Aliqui zelum habentes, sed non secundum scientiam, in detestationem fornicationis, etiam matrimonium contemnebant, & aliqui faciebant hoc ex hypocrisi, ut magis eis tanquam sanctioribus crederetur, hoc autem videbatur durum Corinthiis fidelibus, ideo super hoc scripserunt apostolo, ad quod hic respondens ostendit primo, quid sit perfectionis? secundo, quid necessitatis? Bonum est homini, hoc est, perfectum, mulierem non tangere, sed simpliciter continere. Licet autem majoris perfectionis sit concupiscentiam superare totaliter per continentiam, tamen haec perfectio non potest in omnibus esse, sed in paucioribus propter pronitatem ad sequendam concupiscentiam, unde dicit salvator*: Non omnes capiunt verbum hoc. 2.) *Non esse praeceptum apostoli, sed consilium, vel promissionem potius, ut sit sensus juxta Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosii & aliorum in hunc locum expositionem: Bonum est mulierem non tangere, & vel uxorem non ducere, vel post eam ductam ex consensu ab officio conjugali abstinere; tamen si timetis fornicationem, bene facitis uxori adhaerendo, quia melius est carere perfectione virginitatis, quam incidere in flagitia fornicationum.* Resp. recte facit Bellarminus, quod priorem responsionem deserit concedens, de matrimonio contrahendo verba apostoli accipi posse, cum periculo fornicationum non soli conjugati ab usu conjugii abstinentes, sed etiam soluti, ac cœlibes dono continentiæ destituti, sint obnoxii. Negamus vero in verbis apostoli esse duntaxat *permissionem*; illis enim, qui continere non possunt, præcipitur, ut remedio divinitus instituto utantur, præcipitur enim illis, ne fornicentur; proinde illis, qui continere non possunt, nec consulendus, nec præcipiendus est cœlibatus. Valde probamus illud Bellarmini, quod *melius sit carere perfectione virginitatis, quam incidere in flagitia fornicationum*, ergo illis, qui se continere non possunt, sed periculo fornicationis obnoxii sunt, non est imponenda lex de virginitate, sed permittendum conjugium. 3.) *Haec omnia dici iis, qui votum continentiae non habent. Qui enim voverunt continentiam, illis non dicitur*: Unusquisque uxorem suam habeat, & virgo, si nupserit, non peccat: *sed dicitur*; redde altissimo vota tua, *quam exceptionem ponunt veteres.* Resp. votum illud perpetuæ continentiæ, præsertim a juvenibus personis indiscrete emissum dicimus esse temerarium, cum nemo certus esse possit, quod perpetuo illud donum sit habiturus, propterea non debet conjugium abjurare, ac libertate divinitus concessa lese privare. Sunt enim quædam dona omnibus piis communia & necessaria, ut fides, spes, caritas &c. de illis exstant promissiones, *dona Dei* sunt ἀμεταμέλητα. Rom. XI. 29. *Qui incepit opus bonum, idem etiam perficiet.* Phil. I. 6. Sed sunt dona alia extra-

extraordinaria, quæ non sunt omnibus piis necessaria, de illis non est talis certitudo, cumque ad classem posteriorem pertineat donum continentiæ, ideo ex hoc fundamento disputat apostolus: *nemini injiciendum esse laqueum, praeceptum Domini sese non habere, junioribus viduis esse nubendum*, ac 1. Tim. V. 12. ostendit exemplo juniorum viduarum, multis esse occasionem tristissimæ ruinæ, quod sine diligentiore examine, cum donum continentiæ non haberent, genus vitæ cœlibis arripuerunt, ideoque in collegium viduarum, quibus in hoc statu manendum, non vult adlegari nisi sexagenarias, in ea enim provectiore ætate usus exstinguitur, ut continere possint. De hoc cœlibatus voto uberius in tract. de conjugio agetur.

§. CCCXXXVII. Continentiæ donum est singulare & non omnibus commune. Matth. XIX. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc, quibus datum est.* 1. Cor. VII. 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Ergo non debuit indifferenter omnibus clericis cœlibatus imponi. Excipit Bellarminus: 1.) *Sicut non omnium est donum continentiae, ita nec omnes debent esse sacerdotes, sed solum ii, qui videntur hoc donum habere.* Resp. falsum est, quod illi solum eligendi sint in sacerdotes, qui dono continentiæ præditi sunt, docet enim apostolus, eligi etiam posse eum, qui est *unius uxoris maritus.* Præterea multi videntur & sibi, & aliis, se hoc donum habere, sed postea, quando ordines susceperunt, contrarium experiuntur; ergo non debent se ad perpetuum cœlibatum voto quodam obstringere, & remedium divinitus monstratum temere repudiare. 2.) *Illi habent donum continentiae, qui volunt & cupiunt continere, quibus autem Deus dedit velle, dabit etiam perficere, si ipsi velint.* Resp. fidem & preces oportet niti certo verbo promissionis; jam vero Deus nusquam in genere omnibus donum continentiæ promisit. Ergo etiam non potest esse fiducia in precibus pro impetrando illo dono ad Deum fusis. Negari certe nequit, multos uri etiam invitos & contra suam voluntatem; ergo illorum respectu non sunt perpetuo connexa τὸ *velle & perficere.* Quemadmodum Deus illas preces exaudit, quæ secundum voluntatem ipsius concipiuntur: 1. Joh. V. 14. ita illud velle a Deo proficisci judicandum, quod est conforme divinæ voluntati, jam vero divina voluntas hæc est, ut illi, qui uruntur, remedio conjugii divinitus monstrato utantur. 1. Cor. VII. 9. Christus diserte inquit, *Non omnes capiunt verbum hoc*; Matth. XIX. 11. ergo in hominis voto ac voluntate non est, ut perpetuo sit continens extra conjugium. Si propria voluntate, labore ac precum adsiduitate obtineri posset continentia, & sic omnibus esset possibilis, qui ad eam adspirant, quare Christus dicit, *non omnes esse hujus dicti capaces?* Aut igitur monstrent precum suarum pro continentiæ perpetuæ dono effusarum mandatum ac promissionem in verbo, aut si his destituuntur, agnoscant esse temeritatem & tentationem Dei, quod spreto medio ordinario audeant petere extraordinarium, ac Deo præscribere modum, quibus ornari velint donis extraordinariis. Huc pertinet illud Dionysii, Corinthiorum episcopi, qui in epistola ad Gnosios circa annum Christi 170. referente Eusebio lib. IV. hist. eccles. cap. 23. Pinytum, ecclesiæ illius episcopum, admonuit, *ne grave onus castitatis fratribus* (comministris) *ex necessitate imponeret, sed multorum imbecillitatem accurate consideraret.* Itemque illud Ignatii Dionysio antiquioris in gnomologio græco lib. I. cap. 14. *Cœlibatus jugum nemini imposueris, est enim res periculosa, & custoditu, cum obtinetur, difficilis, quando ex necessitate servatur.* 3.) *Etiam conjugati saepe coguntur vel propter absentiam, vel propter aegritudinem longissimam conjugis abstinere se ab uxore, & tamen non licet eis aliam uxorem ducere, quantumvis urantur aestu libidinis.* Resp. est ratio dispar, ibi enim alter conjugum certo statuere potest, se divinitus vocari ad continentiam, cum juxta ipsius Dei ordinationem conjugium sit individua vitæ societas, ergo

preces

preces in tali casu nituntur divina voluntate. Alia vero est ratio eorum, qui non ex necessitate a Deo immissa, nec ex conditione suæ vocationis divinitus imposita, sed ex libera voluntate, vel ex pontificis præscripto, a conjugio abstinent. Quod si vel maxime ustiones quasdam tales conjuges adhuc sentiant, tamen fide earum condonationem petere possunt, cum sciant nullum aliud sibi propositum esse medium, quam preces, temperantiam & periculorum evitationem; sed hac fide cœlibes, qui uruntur, non possunt Deum invocare, cum negligant medium conjugii divinitus ordinatum. 4.) *Nemo est, qui continere non possit, si velit, ut docent patres, sed oportet media necessaria non negligere, quae tria sunt, oratio, jejunium & periculorum evitatio.* Resp. manifesta sunt verba Christi: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est;* & Pauli: *Alius donum suum habet sic, alius vero sic*, quibus conformes sunt quorumdam patrum sententiæ, ut suo loco videbimus. Orationem, jejunium, & periculorum evitationem non in virginali, sed etiam conjugali castitate requiri dicimus; absit igitur, ut hæc media plane improbemus, sed negamus, media illa ad continentiam virginalem perpetuo & in omnibus sufficere, sed requiri insuper peculiare continentiæ donum divinitus & extraordinarie datum, id quod testantur exempla *Benedicti* in spinis, *Francisci* in frigidissimis nivibus se volutantium, *Hieronymi* inedia fere consumti, & tamen chorearum Romanarum fixe recordantis. Quando ergo aliquis amator & admirator cœibatus sentit calorem concupiscentiæ, quando titillationibus venereis tentatur, oratione, temperantia, jejunio, laboribus & omni diligentia debet repugnare, turpes motus reprimere, impuras cogitationes præcidere, occasiones vitare &c. quando vero incendia libidinis illa diligentia non possunt exstingui, vel reprimi, sed accidit illud poetæ:

— — Est mollis flamma medullas,
Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

Item:

Quoque magis premitur, tanto magis æstuat ignis;

breviter; quando est periculum ruinæ, vel tranquillitas conscientiæ, & invocatio turbatur, tunc scire potest, se donum illud peculiare non habere, ideo utatur remedio contra ustiones divinitus monstrato. Apostolus enim illis, qui uruntur, non præscribit exercitia precum, jejuniorum, laborum, sed vult eos nubere, ac 1. Tim. V. 11. adnotat, experientiam sui temporis illam persuasionem refutasse, quod quilibet, modo velit, precetur & adnitatur, continere possit, ideo non dicit, *volo juniores viduas* aduiti, conari, precari, sed volo eas *nubere*, addita ratione, *ne occasio detur adversario.* Nec rectius intelligi potest hoc argumentum, quam ex ipsa praxi, quæ de fructu temerariorum illorum votorum & coacti cœlibatus luce clarius testatur.

4.) *Ex legis de cœlibatus incommoditate.*

§. CCCXXXVIII. IV.) Quod parit prodigiosas libidines, mundum concubinis & ecclesiam scandalis replet, merito detestandum. Coactus ille clericorum cœlibatus tales fructus profert. Ergo. *Adsumtum* multis confirmari potest. c. Quidam. dist. 81. *Quidam clerici legitimum non habentes conjugium extranearum mulierum, vel ancillarum suarum, quae interdicta sunt, consortia adpetunt.* Polydorus Virgilius lib. V. de rerum inventoribus cap. 4. *Illud tamen dixerim, tantum abfuisse, ut ista coacta castitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis imprefferit, adtulerit, quam sacerdotum libidinis labes, proinde forsitan tam e reipublicae christianae, quam ex ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii sacerdotibus restitueretur, quod illi sine infamia sancte potius colerent, quam se spurcissime ejusmodi naturae vitio turpificarent.* Anno 1523. proceres imperii in comitiis Norimber-

rimbergensibus coram legato pontificio de clericorum libidinibus graviter fuere conquesti. Sleidanus lib. IV. histor. refert, Campegium cardinalem ad legatos Argentinenses dixisse, scire se, episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant. Legatus Bavaricus in oratione ad patres Tridentinos anno 1561. habita sic loquitur: *Clerus noster gulae libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei hominumque omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quam minima aliqua in re emendatum animadverti, ut caetera cleri vitia, quae cum populo habet communia, taceantur, at certe libido illa nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potissimum infamis habetur, a plebe irritatoque populo alienissima esse judicatur.* Idem testatur Claudius, episcopus Espensæus, domesticus testis in comment. tit. I. *Turpissimum est*, (inquit) *quod officiales permittunt clericos cum concubinis meretricibus & pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt; accepto ab iis certo quotannis censu, atque adeo alibi a continentibus; nam habeant, ajunt, si velint.* Comprobat hoc ipsum sua fide Cornelius Agrippa lib. de vanit. scient. cap. 64. *Sic ergo illos supputantes aliquando audivi: Habet ille duo beneficia, & tres meretrices solvat, & centum a sacerdotibus pro concubinatu quotannis extorquent, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa eorum concubinaria actio, sive lenocinium, cum dicunt, habet aut non habet aureum, solvat & habeat, si velit.* Testatur experientia ob oculos omnium posita, id quod Arnobius lib. VIII. de puritate cœlibatus sacerdotum gentilium scripsit, in plerosque pontificios sacrificulos quadrare: *Impunitatem* (inquit) *fecit non castitas tutior, sed impudicitia felicior. Vbi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras & delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adultera meditantur? frequentius denique in aedituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Barlette, olim in Galliis prædicator, in sermone fol. 262. col. 2. *O quot luxuriae! O quot sodomiae! O quot fornicationes! clamant latrinae, latibula, ubi sunt pueri suffocati? Vtinam haberemus aures apertas, & audiremus voces puerorum in latrinis suffocatorum & in fluminibus! Ad omnes diabolos talis modus faciendi. Taceo de adulteriis, stupris & incestibus, peccatis etiam contra naturam: O naturae destructores, o bestiis deteriores!* (*)Quod ergo Bernhard. serm. LXVI. sup. Cant. in genere dicit: *Tolle de ecclesia honorabile connubium & torum immaculatum, nonne reples eam con-*

(*) Johannes, cardinalis, cum pontificia auctoritate a. 1135. in synodo Londinensi conjugium sacerdotum Angliæ prorsus damnaret, mirabili judicio Dei sequenti nocte cum scorto in lecto deprehensus captus fuit, referente Balæo. Anshelmus, archiepiscopus Cantuariensis, primus fere, cum id frustra aliquoties tentatum fuisset a Britwaldo, Odone, Dunstano, conjugiis interdixit Anglorum sacerdotibus, *quod*, ait Henricus Huntingd, *quibusdam mundissimum visum, quibusdam periculosissimum, nedum mundicias viribus majores adpeterent, in immundities horribiles ad christiani nominis summum dedecus incideren.* Horum præsagium proximus statim annus confirmavit, qui nova decreta Anshelmo expressit ad compescendas sodomiticas libidines, quæ in locum legitimi conjugii successerant, ut refert Balæus cent. III. qui idem cent. VIII. & IX. multa monstra libidinum ab Henrico VIII. in persossis monasteriis inventa & detecta enarrat. Experientia dusti quidam rustici nolebant parochum admittere, nisi concubinam haberet, ut refert Barbatus in c. at si clerici de judic. quod a cœlibe timerent uxoribus suis; *nullum enim unquam clericum de frigiditate conquerentem se audivisse*, narrat Joh. Andr. ad specul. t. de sponsalibus §. 1. Cum quædam concilia, referente Aventino, clericis concessissent matrum & sororum cohabitationes, ut de quibus nulla esse posset suspicio, postea compertum fuit, cœlibatum sacerdotum tam castum esse, ut nec matres nec sorores inire dubitaverint, ut testatur specul. in tit. de test. §. proponitur. De interdicto Hildebrandi sic memorat Aventinus: *Grata illa lex erat quibusdam clericis, quibus pro una uxore jam sexcentas licebat inire mulierculas.* De multitudine concubinarum testatur Næviz. lib. I. filv. nupt. num. 128. Joh. Faber instit. de jure person. §. penult. inquiens; *Si verum est, quod filii episcoporum usque ad subdiaconum sunt servi ecclesiae, Deus bone, quot essent hodie servi?* GERHARDVS.

concubinariis, incestuosis, seminisluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum; idem in specie de ordine ecclesiastico dicimus: Tolle ex eo conjugii ineundi libertatem, & replebis illum concubinariis, &c. Excipit Bellarminus: 1.) *Non cælibatum, sed abusum cælibatus talia parere, fructus enim cælibatus sunt cogitare, quae Dei sunt, sanctum esse corpore & spiritu, sine intermissione Domino adsistere. Jam vero propter abusum non sunt res bonae tollendae, alias etiam cælum & terra abolenda essent.* Resp. distinguendum inter cœlibatum liberum eorum, qui dono continentiæ sunt instructi, & cœlibatum coactum eorum, qui uruntur; illum probamus, hunc detestamur propter fructus, quos producit. Tertullianus lib. de vel. virg. non procul a fine p. 499. *Non confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditae. Quantum autem plures non etiam de pluribus seeleribus suspectas habebis? dicam, licet nolim. Difficile mulier semel fit, quae timet fieri, quaeque jam facta potest virginem mentiri sub Deo; quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot jam infantes & perfici & perduci ad partum integros duxerit debellatos aliquandiu matribus. Facilime semper concipiunt hujusmodi virgines & felicissime pariunt & quidem similimos patribus. Haec admittit flagitia coacta & invita virginitas &c.* Nequaquam igitur cœlibatum in personis idoneis improbamus, sed legem cœlibatus impositam indifferenter omnibus clericis, etiam illis, qui usliones sentiunt. 2.) *Non sunt tot concubinarii & impuri inter clericos, plurimi enim sunt, qui quotidie celebrant, & de quibus nulla mala suspicio auditur.* Resp. dies extremus coacti illius cœlibatus fructus manifestabit. Testantur de illis querelæ publicæ ipsorum pontificiorum, quarum quasdam exposuimus superius, quibus plures paulo post addemus.

Epistola Vdalrici. §. CCCXXXIX. Ac quid multis? Exstat in orthodoxographis p. 481. epistola Vdalrici, episcopi Augustani, ad Nicolaum papam, in qua narrat: *Gregorium magnum suo quodam decreto sacerdotibus aliquando uxores ademisse, cum vero paulo post jussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantium suffocatorum reperisse, quam caedem infantium cum intelligeret Gregorius ex occultis fornicationibus, vel adulteriis sacerdotum natam esse, continuo revocavit decretum, & peccatum suum dignis poenitentiae fructibus purgavit, laudans apostolicum illud:* Melius est nubere, quam uri; *& de suo addens: Melius est nubere, quam mortis occasionem praebere* Excipit Bellarminus: 1.) *Auctoritate illius epistolae nos magis premi, cum Romanus pontifex in ea dicatur caput omnium, quique debeat cogere presbyteros & monachos, ne uxorem ducant, & si duxerint, debere separari.* Resp. non statim adprobare cogimur errores personæ, si acceptemus veritatem facti, quam narrat. Vdalricus ille reprehendit pontificem ob decreta de clericorum continentia a discretione aliena, ergo non existimavit pontificem esse ἀνυπεύθυνον, ab errandi periculo immunem, nec judicavit, absolute & simpliciter sine examine decretis ejus obtemperandum. *Non parum* (inquit) *a sancta discretione deviasti, cum clericos, quos ad continentiam conjugii monere debebas, ad hanc imperiosa quadam violentia cogi volebas. Numquid enim merito communi omnium sapientium judicio haec est violentia, cum contra evangelicam institutionem ac Spiritus sancti dictationem ad privata aliquis decreta cogitur exsequenda?* Et postea: *Non quanta possumus gravitate, istam licet gravissimam negligentiam tuam corripimus & judicamus.* Ergo ignotum fuit Vdalrico illud ἀξίωμα pontificis, quod nullus mortalium ipsum judicare debeat. 2.) *Epistolam illam videri confictam, cum Vdalricus creatus sit episcopus anno 924. ut Hermannus Contractus & abbas Vrspergensis docent, vel anno 803. ut in chronico Augustanae ecclesiae scriptum. Nicolaus autem Papa I. obierit anno 967. ut Onuphrius annotavit ergo episcopus Vdalricus non potuit scribere ad papam*

papam Nicolaum I. Nec duos posse statui Vdalricos, episcopos Augustanos, cum hujus adsertionis nullum exstet in historiis vestigium. Falsum esse, quod auctor epistolae illius adserit, Gregorium ademisse sacerdotibus uxores, magis falsum, quod decretum hujusmodi rescinderit, falsissimum, quod in piscina Gregorii sex millia capitum sint inventa, cum in operibus Gregorii & aliorum historiis nulla fiat istius rei mentio &c. Resp. Hedio parte III. hist. eccles. lib. VIII. cap. 12. duos Vdalricos in catalogo episcoporum Augustanorum ponit. Compilatio etiam chronologica anno 978. expresse testatur, quod duo fuerint Vdalrici ejusdem nominis & paris sanctitatis episcopi Augustani, fieri igitur potest, ut de episcopo Vdalrico loquantur Hermannus Contractus & abbas Vrspergensis. Vixisse autem temporibus Nicolai papæ quemdam Vlricum, Augustanum episcopum, conflat ex Jacobo de Voragine in historia Lombardica c. 202. *Vdalricus* (inquit) *ex nobili Alemanorum genere ortus in monasterio S. Galli enutritur, ubi dum habitum vellet accipere, ab inclusa prohibetur dicente sibi, quod futurus esset episcopus in Augusta.* Item: *Post multa miracula anno Domini nongentesimo, aetatis suae octogesimo tertio, ordinationis quinquagesimo, migravit ad Dominum.* Quare cum Vdalricus iste anno 850. jam tum fuerit episcopus, Nicolai pontificis tum creationem, tum supremum diem videre potuit, ac porro 33. annis superstes fuit. Onuphrius itidem in fastis pontificum anno 858. immediate sub Nicolai pontificatu, Vdalrici Augustani episcopi mentionem facit. (*) Nec potest falsitatis argui adsertio de Gregorii decreto, nisi Bellarminus se ipsum mendacii arguere velit, superius enim cap. 19. inter pontifices, qui sacerdotum conjugia prohibuerunt, numerat Gregorium lib. I. epist. 42. & lib. III. epist. 34. idem statuentem. Nec decretum illud Gregorii ad solam Siciliam pertinuit, sed peculiariter ad Siculos directum fuit, quia ibi minus observabatur: interim Romæ & alibi non fuisse legem cœlibatus sacerdotibus impositam, ex eo colligi minime potest. Neve ulterius Bellarminus cavilletur, epistolam hanc esse confictam, notandum, quod Bertholdus, Constantiensis presbyter, in adpendice Hermanni Contracti de synodo Romana Gregorio VII. pontifice habita anno Christi 1070. sic scribat: *In hac synodo papa presbyteros deinceps in fornicationem lapsos absque spe recuperationis deposuit. Et scriptum, quod dicitur S. Vdalrici ad papam Nicolaum de nuptiis presbyterorum & capitulum Paphnutii de eadem re, imo omnia sacris canonibus adversa damnavit.* Consequens igitur fuerit jam tum Bertholdi ætate, qui sub Henrico IV. Gregorii contemporaneo, floruit, epistolam illam fuisse confictam. Sed quidquid sit de auctore, vel tempore hujus epistolæ, respondeat Bellarminus fundamentis in ea adductis: *Dominus* (inquit) *in veteri lege sacerdoti conjugium constituit, quod illi postmodum interdixisse non legitur, sed in evangelio loquitur*; sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, sed non omnes hoc verbum capiunt, qui potest capere, capiat. *Quapropter apostolus ait*: de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do; *quod etiam juxta praedictum Domini non omnes hoc consilium capere posse consideras, sed multos ejusdem consilii adsentatores, hominibus non Deo pro falsa specie continentiae placere volentes graviora vides committere; patrum scilicet uxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi hujus adsperfione ad pestilentiam usque convalescente, nimium status labefactetur ecclesiae totius*, propter fornicationem, *dixit*, unusquisque suam uxorem habeat, *quod specialiter ad laicos pertinere iidem mentiuntur hypocritae, qui licet in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis revera uxoribus non dubitant abuti, & quod flendo cernimus, omnes in supradictis saeviunt sceleribus. Hi nimirum non*

(*) Epistola illa Hulderici ante mota de hac re certamina publici juris facta est ex bibliotheca Holandiæ. Hedio lib. VIII. hist. eccl. cap. 12. & ipse Æneas Sylvius in sua Germania ejus mentionem facit. GERHARDVS.

non recte scripturam intellexerunt, cujus mammillam quia durius pressere, sanguinem pro lacte biberunt; postea excipit Vdalricus eos, qui continentiam professi sunt, quos post votum matrimonio junctos jubet ab ordine deponi, quod ex seculi illius moribus ei adhæsit, deinde addit: *Verum ut hujus voti nescios omnino scias non esse cogendos, audi apostolum dicentem ad Timotheum*: Oportet episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum, *quam ne quis sententiam ad solam ecclesiam verteret, subjunxit*: Qui autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Similiter, *inquit*, diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. Paulo post prohibitionem conjugii vocat *periculosum haeresis decretum*. Sub finem concludit: *Quid veritati magis contrarium potest inveniri, quam hoc, cum ipsa veritas de continentia loquens, non unius hominis, sed omnium plane excepto numero professorum continentiae dicat*: Qui potest capere, capiat, *quod isti unde nescitur, instigati dicant: Qui non potest capere, feriatur anathemate. Quid vero per homines fieri potest stolidius? quid divinae maledictioni obligatius, quam cum aliqui, vel episcopi videlicet, vel archidiaconi ita praecipites sint in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum, proh pudor, turpissimos amplexus sciant abhorrere, quod casta clericorum conjugia sibi dicant fatere, ab eis non verae justitiae compassione clericos ut conservos cogant, vel moneant continere; sed ut servos jubeant ac cogant abstinere. Ad cujus imperii, ne dicam consilii, tam fatuam, tamque turpem addunt suggestionem, ut dicant: Honestius est pluribus occulte implicari, quam aperte in hominum vultu & conscientia cum una ligari, quod profecto non dicerent, si ex illo & in illo esset, qui dicit*: Væ vobis pharisæis, qui omnia facitis propter homines. *Et per psalmistam*: Quoniam hominibus placent, confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos. *Hi sunt homines, qui prius deberent nobis persuadere, ut in conspectu ejus, cui omnia nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominum mundi esse &c. Hic est autem, si diligenter inspiciatur, totius eorum manipulus zizaniae, totius conventus insaniae, ut dum clerici licita unius mulieris consortia, pharisaico devicti, quod absit, furore relinquere coguntur, fornicatores & adulteri & aliarum pravitatum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur.* Hæc omnia Vdalricus, ad quæ fundamenta solide respondeat Bellarminus, cui ne videatur ἄτοπον, in uno Gregorii vivario tot crania infantum esse inventa, addimus, patrum memoria simile quid accidisse, quando in comitatu Mansfeldensi in oppido *Gerbstædt* in piscina prope monasterium inventa fuere trecentorum submersorum infantum crania. (*)

§. CCCXL. VI.) In quocunque statu vixerunt ac Deo placuerunt *patriarchae, prophetae ac sacerdotes vet. test.* ille nihil derogat sanctitati ministerii ecclesiastici. Sed in statu conjugali vixerunt ac Deo placuerunt patriarchæ, prophetæ ac sacerdotes vet. test. Ergo status conjugalis nihil derogat sanctitati ministerii ecclesiastici. *Adsumtum* constat, quia Adam, Seth, Enos, Enoch, qui cum Deo ambulavit, Noa vir justus & perfectus, Sem, Abraham, pater credentium, Isaac, Jacob, Joseph, Aaron & cuncti sacerdotes vet. test. multi etiam ex prophetis, Moses, Samuel, Ezechiel, &c. in conjugio vixerunt. Chrysostomus hom. XXI. in Gen. de Enocho sic scribit:

6.) Ab exemplorum paritate.

(*) Lutherus in comment. Gen. IV. p. 54. *Epistolae Vdalrici ac inventorum sex mille capitum infantilium in vivario Romano meminit*, & addit: *Simile exemplum nostra aetate accidit. Cum moniales in Austriae vico* Closter Neumburg *propter turpem vitam cogerentur mutare locum, & monasterium Franciscanis habitandum concessum esset, atque illi pro sua commoditate quaedam aedificia mutarent, inventae sunt in fundamentis novis duodecim ollae, quarum singulae cadaver infantis habebant. Hujusmodi infinita alias passim acciderunt. Romae quoque propter copiam puerorum expositorum erecta sunt monasteria, quorum pontifex pater dicitur, & antecedunt eum proximi in processionibus publicis. Taceo infinita alia, quae animus dicere reformidat.* GERHARDVS.

bit: *Audiant mariti & uxores, & discant justi virtutem, nec putent nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat. Nam idcirco divina scriptura semel atque iterum id significavit, dicens, genuit Mathusala & tunc placuit. Et idem ingeminat ac repetit dicens: Et placuit, postquam genuit, ut ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse conjugium.* De Noacho in eadem homil. subjungitur: *Vide iterum alium justum cum uxore & filiis, qui bona operando placuit Deo & displicentem omnibus virtutis viam elegit, & neque nuptiis neque filiorum educatione prohibitus est.* Index expurgat. Belgicus p. 27. intonat: *Prophetas omnes uxores habuisse, ex indice Chrysostomi deleatur.* Idem habet index expurgat. Hispan. p. 169. sed cur in indice expungunt, cum textus exstet disertus apud Chrysostomum homil. LVI. in Matth. *Prophetae omnes & domos & uxores habeant, sicut Esaias & Ezechiel & eximius ille Moses, & nihil hinc virtuti eorum fuit impedimento.* Idem in serm. de evang. *Nuptiae factae sunt* tom. V. oper. *Vis cognoscere quod nihil nocet habere uxorem ac liberos? Moses nonne uxorem habuit & liberos? Helias nonne virgo erat? nonne Moses manna e cælo adduxit? nonne Helias ignem de cælo deduxit? nonne Moses coturnices advolare fecit? nonne Helias verbo cælum clausit? nonne Mosi Deus locutus est? nonne & cum Elia conversatus est? an nocuit huic virginitas? an impedimento illi fuerunt uxor & liberi?* Excipiunt, *prophetas non jussos sacrificare, ideo matrimonium illis relictum fuisse liberum.* Resp. non soli prophetæ, sed etiam sacerdotes in conjugio vixerunt, quinimo Deus expressam ordinationem proposuit, quod sacerdos virginem debeat ducere, Levit. XXI. 14. cujus rei Philo lib. de monarchia varias adfert rationes, sed peregrinas, procul dubio respectus fuit habitus ad Christum unicum nov. test. sacerdotem, cujus sponsa ecclesia fidei virginitate debet esse conspicua. 2. Cor. XI. 2. Præterea nec nov. test. ministri habent peculiare aliquod exteraum sacrificium, ob cujus administrationem a conjugio abstinere debeant. Denique officium prophetarum fuit vere divinum & sanctum, illud ergo si non fuit vel contaminatum vel impeditum per matrimonium, utique nec nov. test. ministris fraudi esse debet, si conjugium inire velint. Neve excipiant, *aliam esse rationem ministrorum in vet. aliam in nov. test.* jubemus, ut producant expressam prohibitionem, qua nov. test. ministris conjugium sit ademtum, addimus etiam argumentum.

§. CCCXLI. VII.) Quemcunque vitæ statum Christus in nov. test. sua præsentia & munere amplissimo honoravit, ab eo nemo sub specie majoris sanctitatis est arcendus. Sed Christus statum conjugalem in nov. test. sua præsentia & munere amplissimo, adeoque primo suo miraculo honoravit Joh. II. 1. & seq. Ergo nemo ab eo sub specie majoris sanctitatis est arcendus. Excipiunt, *Christum ad nuptias illas venisse, ut Johannem evangelistam sponsum a sponsa abduceret*, quod probant ex Abdia Babylonio lib. V. fol. 69. ubi Dominus ad Johannem dixisse commemoratur: *Nisi meus esses, permitterem tibi uxorem ducere.* Resp. figmentum illud Abdiæ pugnat cum Dei verbo, quasi non possit esse Christi, qui uxorem ducit, ac quasi liceat sponsum a sponsa abstrahere, cum tamen Deus præceperit virum ab uxore non separari 1. Cor. VII. 10. Idem etiam figmentum evangelistæ injuriam facit, ac fidem ejus in dubium vocat, non enim hac ratione nuptiis auctoritatem conciliasset, si Christus eas in ipso damnasset. Nec vetustiores patres hujus separationis mentionem faciunt, sed potius dignitatem conjugii ex historia colligunt. Augustinus tract. VIII. in Joh. *Utique ad cujus nuptias, ut eas honoraret, venerat, is ideo ducebat uxorem, ut filios procrearet.* Serm. XLI. de temp. *Interfuit nuptiis, ut concordiae jura firmaret. Interfuit nuptiis, & comessationes non renuit nuptiarum, ut psalmos & tympana ad Dei Patris gloriam provocandam concitaret.* Cyrillus lib. II. in Joh. XXII. *Honeste celebratis*

7.) *a conjugii dignitate.*

nuptiis tam mater, quam ipse invitatus adest, ut quantum ad carnem nativitatis nostrae principium sanctificaret. Quia enim in doloribus parere filios ad mulierem propter peccatum dictum fuit, quomodo aliter haec depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur, quam salvatoris praesentia? Chrysostomus in serm. de evang. *Nuptiae factae sunt. Vocatus est Jesus ad nuptias. Venit, vel non venit? certum quod venit. Quod si venit, quomodo ergo nuptiae malae? non potes excusare. Ego autem non dico, quod tantum venerit, sed etiam quod dona secum adtulerit. Aquam in vinum mutavit. Ne excuses te propter nuptias. Dominus tuus nuptiis interfuit, & tu nuptias arguis, & dicis, nuptias esse obstaculum ad pietatem, nullum enim ad pietatem est obstaculum.* Ex quibus constat, quantum fidei Abdiæ illi fictitio sit tribuendum. Editus est ille liber ante annos non ita multos a Wolffg. Lazio, & proponit fabulas de interfecto a leone eo, qui Thomam percusserat, de cane, qui ejusdem viri manum ad mensam adtulit, de Maximilla Egetis conjuge &c. quas Augustinus de fide contra Manich. c. 38. a Manichæis confictas adserit, ac lib. contra Adimant. cap. 17. lib. I. contra adv. legis & prophet. cap. 20. nunquam ab ecclesia receptas esse dicit, unde Molanus lib. I. de fide hæret. serv. cap. 6. scriptorem illum vocat *spurium & mendacem.* Vide Ivell. in duplic. adv. Harding. art. 1. sect. 5.

2.) Ex hypothesi pontificia de sacramenti utilitate.

§. CCCXLII. VIII.) Matrimonium ex hypothesi pontificiorum est sacramentum. Jam vero qui ad sacramentum aliquod recipiendum idoneus est, atque id suscipere desiderat, non est ab eo arcendus. Ergo nec sacerdotes a matrimonio sunt arcendi. Item: Sacramenta sibi invicem non repugnant. Matrimonium & ordo ex hypothesi pontificiorum sunt sacramenta. Ergo sibi invicem non repugnant, sed in uno eodemque subjecto convenire possunt: *In omni sacramento proprie sic dicto confertur gratia,* scribit Bellarminus lib. I. de sacr. in genere c. 9. cur ergo gratia hujus sacramenti seipsos privant? Si datur in conjugio sanctificatio, cur actum conjugalem dicunt tam immundum, ut sacerdotum ministeria contaminet?

9.) Ex legis de cœlibatu origine.

§. CCCXLIII. IX.) Quodcunque a gentilium superstitione originem trahit, & ex ethnicismo in ecclesiam introductum est, merito debet repudiari. Lex cœlibatus sacerdotum a gentilium superstitione originem trahit, & ex ethnicismo in ecclesiam introducta est. Ergo. *Adsumtum* probatur. Hieronymus lib. I. contra Jovin. circa fin. refert, *Hierophantas Athenienſium cicutae sorbitione castrari, & postquam in pontificatum fuerint electi, viros esse desinere.* Lib. II. contra Jovin. ex Chæremone stoico de sacerdotibus Ægypti commemorat, *quod nunquam mulieribus se miscuerint.* Alexander ab Alex. lib. IV. gen. dier. c. 17. de sacerdotibus Cybeles literis prodidit, *quod terrae Samiae testa castrare se fuerint soliti.* A gentibus ad Essæos in judaismi declinatione eadem lex promanavit, constat enim ex Josepho lib. XV. antiq. cap. 13. & Eusebio de præpar. evang. lib. VIII. c. 4. ὑπεροψίαν γάμου, *nuptiarum contemtum* apud illos viguisse. Ab Essæis ad Montanistas, Encratitas, Marcionitas & Manichæos descendit, ac tandem in ipsa ecclesia erroris hujus semina relicta sunt, cœlibatus jugo ecclesiæ impositio, unde Siricius epist. IV. in prohibitione conjugii provocat ad gentilium adsensum: *Tollatur* (inquit) *hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas adcusare.* Atque hactenus secundam argumentorum classem contra prohibitionem conjugii sacerdotum produximus, quam Menzerum secuti huic syllogismo includimus. Quicunque vitæ status 1.) a Deo ipso universo hominum generi institutus & commendatus est, 2.) & exornatus multis modis & benedictus, 3.) & certis legibus divinis & humanis munitus, 4.) ad quem ipsa natura homines format, 5.) in quo pie & sancte vixerunt multi viri Dei, patriarchæ, prophetæ, evangelistæ & apostoli, 6.) quem

6.) quem etiam in nov. teſt. ſingulariter adprobavit & confirmavit multis rationibus ipſe Chriſtus ſalvator noſter, 7.) itemque ſancti apoſtoli, 8.) in quo nihil eſt, quod per ſe repugnet fidei chriſtianæ, ſanctæ orationi, divinis in eccleſia officiis vel pietati, ſed potius eſt pulcerrima ſchola quarumvis vere chriſtianarum virtutum, 9.) & ſine quo genus humanum, ex quo eccleſia Chriſti in his terris colligitur, honeſte & legitime propagari & conſervari non poteſt, 10.) qui præſtat ingentia bona tum reipublicæ, tum ſingulis hominibus, 11.) adeoque etiam plenus eſt variorum argumentorum divini erga eccleſiam amoris & conjunctionis, 12.) Deoque ſumme diſplicet, quidquid huic ordini adverſatur; ab eo vitæ ſtatu nemo hominum, quem idoneum ad illum Deus fecit, arceri ſive repelli debet. Conjugium eſt talis vitæ ſtatus. Ergo a conjugio chriſtiano nemo hominum, quem idoneum ad illud Deus fecit, arceri ſive repelli debet.

III.) *Ex canonibus conciliorum.*

§. CCCXLIV. *Tertiam* argumentorum claſſem ducimus ex canonibus conciliorum: I.) Canon ſextus apoſtolorum a Clemente Romano editus ſic habet: *Epiſcopus, aut presbyter uxorem propriam nequaquam religionis obtentu abiiciat, ſi vero reiecerit, excommunicetur, ſed ſi perſeveraverit, deiiciatur.* Can. XL. apoſtolorum epiſcopis de privatis ſuis rebus per teſtamentum diſponendi poteſtatem facit, *propterea quod aliquando evenit, ut uxorem habeant, aut filios, aut propinquos, aut ſervos.* Huc pertinet etiam illud ejusdem Clementis Romani, quem Petri diſcipulum ac ſucceſſorem eſſe volunt, lib. II. conſt. apoſt. c. 2. *Epiſcopus eligatur, ſi uxorem honeſtam habeat, vel habuerit, ſi filios religioſe educatos, & in diſciplina Domini inſtitutos produxerit.* Lib. VI. cap. 17. *Epiſcopum & presbyterum ac diaconum dicimus unius uxoris virum debere conſtitui, ſive vivant eorum uxores, ſive deceſſerint.* Excipit Bellarminus lib. I. de cler. cap. 21. *intelligendum hoc de curs quoad victum & veſtitum, non autem quoad torum.* Atqui apoſtolus oſtendit legitimam conjugem etiam contemni, ſi ὀφειλομένη ἔυνοια denegetur. 1. Cor. VII. 3. *Vxori vir debitam benevolentiam reddat, ſimiliter & uxor viro.* v. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* v. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi ac jejunio.* Inde in concilio Gangr. c. 14. ſtatuitur: *Si qua mulier derelicto viro diſcedere voluerit, ſoluto vinculo conjugali, nuptias contemnendo, anathema ſit;* ac ſexta ſynodus canonem apoſtolicum diſerte de cohabitatione cum uxore accipit, ut infra adparebit. II.) Nicæna ſynodus voluit introducere hanc legem, ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi cum conjugibus, quas ante conſecrationem duxerant, non commiſcerentur, ſurgens autem Paphnutius contradixit, *honorabiles confeſſus nuptias & caſtitatem dicens eſſe cum propria conjuge concubitum.* Suaſit itaque concilio, ne talem poneret legem, gravem eſſe adſerens cauſam, quæ aut ipſis aut eorum conjugibus occaſio fornicationis exiſteret, & hoc quidem Paphnutius, licet nuptiarum inexpertus eſſet, expoſuit, ſynodusque laudavit ejus ſententiam, & nihil hac in parte ſancivit, ſed hoc in uniuscujusque voluntate, non neceſſitate permiſit. Socrates lib. I. hiſt. eccl. c. 8. Sozomenus lib. I. c. 22. Excipit Bellarminus, *hoc teſtimonium aliquid habere momenti pro ſententia Graecorum, ſed nullum penitus pro errore Lutheranorum, cum uterque auctor in eodem loco teſtetur, Paphnutium adjeciſſe, bonum ſibi videri, ut ſecundum antiquos canones prohibeatur clericis, ne poſt ordinationem ullo modo uxores ducant, ſed ſolum permittantur illis uti, quas ante ordinationem acceperunt, quod totum eſt contra Lutheranos, qui poſt ſacerdotium uxores ducunt.* Reſp. imo vero ſi uxoribus ante ordinationem ductis cohabitare non prohibendum eſſe Paphnutius ſuaſit, propterea quod matrimonium ſit honorabile in omnibus & torus impollutus; ex eo colligitur, ſacerdotibus non eſſe conjugium interdicendum, ita colligit ipſe Bellarminus cap. præced. 18. §. 4. *Si licuit jure divino facer-*

sacerdotibus habere uxores, quas ante ordinationem duxerant, & eis uti more maritorum; cur quaeso non liceat etiam post ordinationem ducere? Aliter igitur excipit Bellarminus, *ac totum illud Socratis & Sozomeni testimonium vel falsum, vel male ab illis narratum esse evincere conatur:* primo *quia Sozomeni historia reprobatur a Gregorio* lib. VI. epist. 31. *& Socrates alibi mentitur*; deinde *relatio illa de Paphnutio pugnat cum Epiphanio* haeres. LIX. *& Hieronymo* lib. contra Vigilantium, *qui per canones ecclesiasticos sacerdotibus & diaconis interdictum esse referunt uti uxoribus*; tertio *non cohaeret illa narratio cum can. III. conc. Niceni, ubi prohibetur episcopis, presbyteris & diaconis, ne ullam domi mulierem habeant, praeter matrem, sororem & amitam, denique nec Rufinus, nec alius ex veteribus hujus rei meminere.* Resp. si vel maxime in aliis Socrates & Sozomenus quaedam falsa proferunt, tamen haec de Paphnutio relatio non potest esse fidei suspectae, cum non solum Cassiodorus in tripart. lib. II. cap. 14. Gelasius Cyzicenus in recensione canonum Nicaen. concil. cap. 33. p. 170. ex bibliotheca Vaticana in lucem productus, Nicephorus lib. VIII. hist. eccles. cap. 19. Suidas in vita Paphnutii illius mentionem faciant, sed etiam in ipsum jus canonicum sit relata, c. Nicaena synodus dist. 31. & apud Vvonem Carnutensem lib. III. cap. 88. Bellarminus ipse Sozomenum testem non repudiat lib. III. de poenit. cap. 9. §. *Sexto habemus* &c. cur igitur hoc loco fidem illius elevat? Ac si Socrates ac Sozomenus *Novati partibus addicti fuere*, quod Bellarminus de ipsis adserit, iniquiores fuissent sacerdotum matrimonio, ac proinde testimonium ex ipsorum ore profectum majus habet pondus. Canones illos ecclesiasticos quod adtinet, quorum Epiphanius & Hieronymus meminerunt, illos non fuisse apud omnes ecclesias, praesertim orientales usu receptos, & temporum illorum historia & ipsi illi auctores, Epiphanius scilicet haeres. 59. & Hieronymus lib. I. contr. Jovin. testantur. Nec pugnat cum historia Paphnutii canon Nicaenus, in quo prohibetur clericis, *ne domi ullam habeant mulierem, praeter matrem, sororem, amitam*; hic enim intelligendus de iis, qui extra conjugium viventes συνείσακτον, ut loquitur Gelasius p. 159. sive focariam extraneam habere voluerunt. Quando enim canon disserte addit, *personas, quae suspicionem effugiant*, satis perspicue ostendit, patres concubinatum, non matrimonium illis verbis prohibere voluisse. Testatur id Balsamon in illum canonem sic commentatus, ἐπείσακτος ἢ συνείσακτος *omnis mulier est cum aliquo externo cohabitans, etiamsi ab omni suspicione aliena sit.* Chrysostomus sermonem scripsit, πρὸς τὺς ἔχοντας συνεισάκτους, quas vocat κόρας ἀπειρογάμους. III.) Concilium Gangrense can. IV. sic decernit: *Si quis discernit presbyterum conjugatum tanquam occasionem nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abstinet, anathema sit.* Excipit Bellarminus, *anathema dici illis, qui putant matrimonium ex se esse malum, & propterea existimant, non licere sacra facere ei, qui uxorem habuit, licet ab ea se contineat.* Resp. canon disertis verbis loquitur de presbytero, non qui olim uxorem habuit, *sed qui adhuc conjugatus est*, ita enim recitat illum canonem Gratianus c. *Si quis* &c. dist. 28. ac Graeca habent πρεσβυτέρῳ γεγαμηκότος, quod participium quam habeat significationem, clarissime patet ex 1. Cor. VII. 10. τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω, οὐκ ἐγὼ, ἀλλὰ ὁ κύριος, ubi latina versio: *iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio.* In conciliorum voluminibus duplex exstat hujus synodi editio. In prima canon inscribitur: *De oblatione presbyteri conjugati*; canon ipse habet: *qui uxorem habuit.* In secunda canon inscribitur: *De presbyteris, qui habuere conjugia*; canon vero habet: *Si quis discernat presbyterum conjugatum*, ex quo adparet, eos, qui canonum titulos digesserunt, τὸν γεγαμηκότα, indiscriminatim reddidisse *conjugatum*, & *qui uxorem habuit.* Ac patriarcha Antiochenus Balsamon in commentariis omnem ambiguitatem tollit, sic enim loquitur, interprete Herveto: *Praesens canon eos anathematizat, qui non indistincte communicant sacris sacerdotum, qui habent uxores.* Vnde

etiam

etiam Gratianus non utitur illa Bellarmini exceptione, sed respondet, *illud, quod in canone apostolorum, & in concilio Gangrensi legitur, ex causa & ex tempore considerandum esse. Causam dicit fuisse haeresin Manichaeorum, qui conjugium detestabantur: tempus, quia nondum erat institutum, ut sacerdotes continentiam servarent.* Agnoscit igitur non de presbytero, qui olim uxorem habuit, sed eam dimisit, verum de eo, qui adhuc uxorem habet, Gangrense concilium loqui; testantur etiam reliqui canones illius concilii, non conferri cœlibes & eos, qui olim in conjugio vixerunt, sed cœlibes & eos, qui in conjugio adhuc vivunt: Can. X. *Si quis propter Deum virginitatem professus in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.* Adde quod Eustathius, contra quem Gangrense illud concilium institutum, docuerit, *si laicus quisquam in matrimonio legitimo conjugem habens presbyter lectus esset, ejus benedictionem & communionem perinde atque piaculum esse devitandum*, referente Nicephoro lib. IX. histor. cap. 45. Ergo etiam canon illi oppositus non de eo, qui uxorem habuit, sed qui adhuc uxorem habet, intelligendus est. IV.) c. *Quoniam* &c. dist. 31. recitatur canon XIII. sextæ synodi œcumenicæ in Trullo imperatoris palatio Constantinopoli habitæ, in quo sic statuitur: *Quoniam in Romani ordine canonis cognovimus esse traditum, eos qui ordinati sunt, diaconi vel presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes canonem apostolicae diligentiae & constitutiones sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes aut privantes eos familiaritate ad invicem tempore opportuno. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione aut diaconali aut sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem adscendere gradum pro uxoris suae cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis suae profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant a legalis uxoris familiaritate. Si quis igitur praesumserit contra apostolicos canones, aliquos presbyterorum & diaconorum privare a contactu & a communione legalis uxoris suae, deponatur. Similiter & presbyter aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur, si vero in hoc permanserit, deponatur.* Balsamon illum canonem plenius & sincerius recenset: *Quoniam Romanae ecclesiae pro canone traditum esse cognovimus, ἐν ταξει κανόνος, ut diaconi vel presbyteri, qui digni, qui ordinentur, existimandi sunt, profiteantur, ὡς ἐκέτι ταῖς αὐτῶν συναπτονται γαμεταῖς, quod non amplius contingent uxores suas. Nos antiquum canonem τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας, apostolicae perfectionis ordinisque servantes, hominum, qui sunt in sacris, conjugia, deinceps ex hoc temporis momento firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus συνάφειαν, conjunctionem dissolventes, vel eos τῆς πρὸς ἀλλήλας ὁμιλίας mutua tempore conveniente consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum adsumi nequaquam prohibeatur, γαμετῆ συνοικῶν νομίμῳ, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum, τῆς νομίμου ὁμιλίας, ne ex eo a Deo constitutas & sua praesentia benedictas nuptias injuria adficere cogamur evangelica voce exclamante:* Quæ Deus conjunxit, homo ne separet. *Et apostolo docente:* Honorabiles nuptias & torum immaculatum. Et, alligatus es uxori, ne quære solutionem. *Scimus autem, sicut & qui Carthagine convenerunt, & ministrorum gravitatis honestatisque curam gerentes dixerunt, ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & diaconi & presbyteri κατὰ τὰς ἰδίας ὅρους, propriis terminis, (id est, in ministerii sui vice) a consortibus abstineant, ut & quod per apostolos traditum est, & ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter servemus, tempus in omni rescientes, & maxime in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qui divino altari adsident, in sanctorum tractandorum tempore esse omni-*

no continentes, ut possint id, quod a Deo simpliciter petunt, obtinere. Si quis ergo praeter apostolicos canones incitatus sit, aliquem eorum, qui sunt in sacris, presbyterorum inquimus vel diaconorum vel hypodiaconorum τῆς πρὸς τὴν νόμιμον γυναῖκα συναφείας καὶ κοινωνίας, *conjunctione cum legitima uxore & consuetudine privare, deponatur. Similiter & si quis presbyter vel diaconus suam uxorem pietatis praetextu ejecerit, segregetur. Et si perseveraverit, deponatur.* In hoc canone observandum 1.) esse eum in synodo œcumenica anno circiter 681. editum praesentibus pontificis Romani legatis: *Vt papa* (inquit Balsamon græcus) *ex nostris etiam regionibus legatos haberet, excogitatum est propter viae longitudinem.* 2.) Antiquum canonem τῆς ἀπεσχολικῆς ἀκριβείας opponi recentioribus Romanæ ecclesiæ canonibus. 3.) Permitti sacerdotibus conjugatis mutuam tempore convenienti ὁμιλίαν. 4.) Rationem peti ex scriptura sacra, ne ex eo a Deo constitutas & sua praesentia benedictas nuptias injuria adficere cogantur. Item, *quia evangelica vox clamat:* Quæ Deus conjunxit, homo non separet. *Et:* Honorabiles nuptiæ & torus immaculatus. 5.) Occurri adversariorum objectioni, sacerdotibus adsidue orandum; ergo perpetuo a conjugali consuetudine abstinendum. 6.) Canonem apostolicum opponi illis, qui presbyteros a conjugio arcent, qui proinde non potest tantum de cura victus uxoribus denegata intelligi. Excipit Bellarminus, *canones illos non a sexta synodo, sed ab episcopis, qui Constantinopoli in palatio Imperatoris Justiniani II. quod Trullum dicebatur, convenerant, esse editos, & a Sergio pontifice improbatos*, unde vocat *eam profanam synodum* cap. 19. proximo. *Resp.* Gratianus sextæ synodo illos tribuit, nec auctoritatem illorum elevat, sed addit, *hoc est intelligendum ex loco. Orientalis enim ecclesia*, inquit, *cui sexta synodus regulam vivendi praescripsit, votum castitatis in ministris altaris non suscepit.* Glossator opponit alium canonem sextæ synodi qui exstat c. *Si quis eorum* &c. dist. 32. sed hic non est Constantinopolitanæ, verum Romanæ cujusdam synodi canon, vel certe non de orientalis sed occidentalis ecclesiæ consuetudine loquitur, ut colligitur ex c. *Cum de quorumdam* &c. dist. 84. & ejusdem glossa. Neve Bellarminus auctoritatem illorum canonum elevare pergat, opponimus illi act. IV. synodi Nicænæ secundæ, ubi Tharasius, patriarcha Constantinopolitanus, illos canones adprobat, & c. *Sextam* &c. dist. 16. ubi Hadrianus papa ad Tharasium patriarcham scribit: *Sextam synodum sanctam cum omnibus canonibus suis recipio. Sed dubitatur de ea*, (addit Gratianus) *an canones conscripserit? quod ex quarta actione sextae synodi facile solvitur. Ait enim episcopus Petrus episcopo Nicomediae: Habeo librum continentem canones sanctae synodi sextae. Patriarcha dixit: Quidam scandalizantur per ignorantiam pro canonibus istis, dicentes: Numquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo, quoniam synodus sancta sexta sub Constantino congregata est contra eos, qui dicebant unam operationem & unam voluntatem esse in Christo, in qua sancti patres illos utpote haereticos anathematizarunt, & orthodoxam fidem explanaverunt. Soluta est haec synodus Constantini decimo tertio anno; post quatuor vero aut quinque annos iidem patres* (nota contra Bellarminum, qui lib. II. de pontif. Rom. c. 18. aliquot græcos episcopos duntaxat convenisse dicit) *congregati sunt sub Justiniano, filio Constantini, & praedictos canones promulgaverunt, de quibus nullus dubitet, qui enim sub Constantino imperatore in synodo fuerunt, iidem ipsi episcopi sub Justiniano istis canonibus subscripserunt. Oportebat enim, ut synodus universalis canones ecclesiasticos promulgaret.* Ac testatur ibidem Gratianus, *canones ducentos ac duos ab illis episcopis fuisse editos*, sed illi, quia Romano pontifici non placuerunt, aboliti ac rejecti sunt, aliquos tamen Gratianus decreto suo inseruit. Nec reliqui tantum episcopi, sed etiam Legati Romani (videlicet Basilius Gortynæ & quidam alius Ravennæ episcopus *Romanae ecclesiae vicem gerentes*, ut Balsamon loquitur) canonibus istis subscripserant, ideo

ideo imperator illos Romam misit, & a Sergio confirmationem postulavit. Sed ille eos adprobare prorsus recusavit, quod Romanæ ecclesiæ adversarentur, ea re imperator offensus Johannem, Portuensem episcopum, Roma Constantinopolin abduci curavit, ac misit Zachariam protospatharum, hoc est, militiæ principem, ut Sergium etiam captum deportaret, verum pontifex Ravennatis exarchi præsidio defensus est, Zacharia interim de vita periclitante. Pontificale in vita Sergii, Blondus decadis primæ lib. X. Sabellicus enneadis VIII. lib. VI. Paulus diaconus lib. VI. cap. 4. de gestis Longobardorum &c. V.) Canon III. concilii V. Carthaginensis statuit, *ut episcopi, presbyteri ac diaconi abstineant ab uxoribus in propriis terminis, hoc est, in ordine vicis suae*, ut exponunt Trullani patres canone jam citato. Ergo conjugium non fuit ipsis simpliciter prohibitum. Excipit Bellarminus, *verba latina esse non in propriis terminis, sed secundum priorum statuta, hoc est, secundum legem conditam in conciliis prioribus Carthaginensibus, in quibus omnis usus uxoris sacris hominibus prohibetur.* Resp. Balsamon illud græcum: κατὰ τὰς ἰδίας ὥρας can. 28. interpretatur κατὰ τὰς ἐφημερίας, *tempore vicis suae*, atque ita accipiendum esse, ecclesiæ græcæ consuetudo ostendit. Ac græca illa editio Balsamonis minime recens, sed diu in ecclesia recepta, quin & magis authentica quam latina, quippe a sexta synodo universali auctoritatem habens, in cujus can. XIII. dicitur, *quod juxta praescripta tempora presbyteri a conjugibus continentes esse debeant.* can. LXXIV. ipsius Carthag. concilii, canoni III. lucem addit, qui sic habet: *Placuit, ut presbyteri, episcopi & diaconi propriis terminis etiam a suis abstineant uxoribus*, ἀπὸ τῶν οἰκείων γαμετῶν, *quod nisi fecerint, ecclesiastico ordine moveantur;* ubi Balsamon adnotat: *Nota, quod tempore praesentis synodi habebant episcopi suas uxores sine praejudicio.* VI.) c. *Aliter* &c. dist. 31. sic statuit Stephanus papa: *Aliter se orientalium traditio habet ecclesiarum, aliter hujus sanctae Romanae ecclesiae. Nam earum sacerdotes, diaconi aut subdiaconi matrimonio copulantur. Istius autem ecclesiae vel occidentalium nullus sacerdotum a subdiacono usque ad episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Glossator verbum: *copulantur* exponit *copulato utuntur*, sed oppositio illam interpretationem repudiat: *Orientalis ecclesiae sacerdotes copulantur, sed occidentales non habent licentiam conjugium sortiendi*, nimirum propter prohibitionem Siricii, nam ut idem glossator c. *cum in praeterito* &c. dist. 84. testatur, *quidam dicunt ante Siricium etiam in Romana ecclesia sacerdotes olim contrahere potuisse.* Bellarminus eandem expositionem repetit addens, *nunquam fuisse licitum, nec nunc haberi licitum in Graecia, ut in sacris existentes ducant uxores*; sed opponimus illi c. *Diaconi* &c. dist. 28. ex concilio Ancyritano can. X. *Diaconi quicunque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes, se velle habere uxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias pervenerint, maneant in ministerio, propterea quod his episcopus licentiam dederit*; ac testatur Erasmus in apolog. contra Paris. *se vidisse Venetiis apud Graecos sacerdotem post susceptum ordinem uxorem ducere.* Quod vero Bellarminus hunc canonem plane repudiat, cum de auctore non constet, frivolum est, receptus enim est & comprobatus a pontifice, ac refertur ab Ivone Carnutensi lib. III. de contin. ordinand. Quod si omnes illi canones rejiciendi essent, quorum auctores ignorantur, de multis non solum canonibus ecclesiasticis, sed etiam libris biblicis ecclesia Romana periclitabitur. VII.) c. *Cum igitur* &c. dist. 35. q. 1. *Ecclesiae post apostolica instituta quaedam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.* Excipit Bellarminus, *sensum hunc esse, quod ecclesia imposuerit clericis continentiam praecepto servandam, quae alioquin solum fuerit consilium perfectionis.* Resp. illud capitulum Gratiani recte opponitur illis pontificiis, qui jure divino cœlibatum sacris ordinibus adnexum esse censent, an vero ecclesia, id est, pontifex Romanus potestatem habuerit non solum consulendi, sed etiam præcipiendi cœliba-

batum sacerdotibus, alterius est quæstionis; Paulus, tantus apostolus, etiam illis, qui dono continentiæ instructi sunt, noluit legem cœlibatus imponere, quanto minus indistincte omnibus sacerdotibus, quorum plurimi dono illo destituuntur, jugum illud imponi debuit? VIII.) Huc referimus etiam sequentia capitula: c. *His igitur* &c. dist. 23. ex Isidoro lib. II. de eccles. offic. cap. 2. *Clerici castimoniam non violati corporis perpetuo observare studeant, aut certe unius matrimonii vinculo fœderentur.* Innocentius in epist. ad episc. Maced. c. *Deinde* &c. dist. 26. *Vxorem ducere crimen est, aut non est crimen. Si crimen est, ergo praefata venia dixerim, erit auctor in culpa, qui ut crimina committerentur, in paradiso praecepit, cum ipse eos benedixit. Si vero non est crimen, quia quod Deus instituit, nefas sit crimen adpellare, & Salomon addidit*: Etenim a Deo præparatur viro uxor, *quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod auctore Deo legitur consummatum*? Vrbanus ad archiep. Turonens. c. Cenomanensem &c. dist. 56. *Legitima conjugia sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant, & in orientali ecclesia usque hodie eis licere probantur*; in quæ verba Gregorius XIII. sic adnotat: *Hic ostendit aperte Gratianus, se in ea fuisse opinione, aliquando in Latina ecclesia olim presbyteris etiam licuisse uti conjugio, quod in ecclesia Graecorum & olim & nunc permissum est.* c. *Sors* &c. dist. 26. q. 2. *Antequam evangelium clarisceret, multa permittebantur, quae tempore perfectioris disciplinae penitus sunt eliminata. Copula namque sacerdotalis nec legali, nec evangelica vel apostolica auctoritate prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* c. *Cum olim* &c. in decretal. Gregorii. tit. de cleric. conjug. *Orientalis ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto.*

4.) *Ex probatis exemplis.*

§. CCCXLV. IV.) argumentorum classem petimus ex probatis ministrorum conjugatorum in primitiva ecclesia exemplis. De patriarchis, prophetis, sacerdotibus vet. test. & apostolis dictum est superius. De Luca evangelista sic scribit Platina in clero: *Vixit annos 83. uxorem habuit.* (Onuphrius in postremis editionibus addidit negativam, *uxorem non habuit* contra fidem veterum librorum). Clemens Romanus, Petri discipulus, in epistola ad Corinthios referente Clemente Alexand. lib. IV. stromat. p. 580. de se sic scribit: *Vxores nostras ad id, quod bonum est, corrigamus, amabiles mores castitatis ostendant.* Hermes, quem salutat Paulus Rom. XVI. 14. ac qui judicatur auctor libri, cujus titulus *pastor* (qui liber ab Athanasio de incarn. verbi p. 37. Hieronymo in catal. cap. 20. vocatur *valde utilis*, ab Eusebio lib. III. hist. cap. 3. & Nicephoro lib. II. cap. 46. *valde necessarius*) uxorem & liberos habuit, ut adparet ex vision. 1. & 2. Polycrates, Ephesinæ ecclesiæ episcopus, in epistola ad Victorem, Romanum pontificem, apud Eusebium lib. V. hist. eccles. cap. 22. & Nicephorum lib. IV. hist. cap. 37. refert septem suorum συγγενῶν cognatorum seu majorum (Ruffinus Hieronymo contemporaneus vertit *parentum*) episcopos fuisse, seque jam esse octavum. Nicolaum diaconum uxorem habuisse, ex Eusebio intelligi potest. Tertullianus, Carthaginensis presbyter, librum ad uxorem scripsit. Irenæus lib. I. adv. hæres. cap. 9. p. 46. mentionem facit uxoris cujusdam diaconi in Asia, quæ a Marco Valentiniano *tum mente, tum corpore fuerit corrupta*? Agapetus I. qui Romanæ ecclesiæ præfuit sub imperatore Justiniano, patrem habuit Gordianum, sacerdotem Romanum, teste Platina & Volaterrano. Quinimo c. *Ofius* &c. dist. 56. ex epistola Damasi ad Hieronymum aliquot pontifices Romani ex episcopis, presbyteris, diaconis &c. nati enumerantur: *Ofius papa fuit filius Stephani subdiaconi. Bonifacius papa fuit filius Jucundi presbyteri. Felix papa filius Felicis presbyteri, Agapetus papa filius Gordiani presbyteri. Theodorus papa filius Theodori episcopi. Sylverius papa filius Sylverii, episcopi Romae. Deus dedit papa filius Jucundi presbyteri, Felix tertius natione Romanus ex Patre*

patre Felice presbytero fuit. Gelasius natione Afer ex patre episcopo Valerio natus est, complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati, apostolicae sedi praefuerunt. Postea additur c. *Cenomanensem* &c. dist. eod. *Cum ex sacerdotibus nati in summos pontifices leguntur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis conjugiis nati, quae sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VI. hist. cap. 36. edit. graec. de se ipso: *Vix tandem post dies quatuor Deo mihi, ut inde demigrarem praecipiente, & se mirandum in modum quasi autem itineris praebente, ipse, liberi & alii multi fratres, simul egressi sumus.* De Hilario Pictav. episcopo sic canit Baptista Mantuanus lib. I. fastor.

Integritas vitae, legum prudentia, cultus
Coelituum, tutela inopum diadema, pedumque
Pictaviense tibi, dum nil mortalia curas,
Dum vivis tibi, sorte tua contentus, ab omni
Ambitione procul populo adplaudente tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta thoro, non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, taedas.
Sola erat in pretio, quae nunc incognita virtus,
Sordet & adrito vivit cum plebe cucullo.
Propterea leges, quae sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent, prudentia patrum
Non satis advertit, dicunt, quid ferre recusset.
Quid valeat natura pati cervibus ajunt,
Hoc insuave jugum nostris imponere Christus
Noluit, istud onus, quod adhuc quam plurima monstra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius esse volunt, qua lex divina sinebat
Isse via, veterumque sequi vestigia patrum,
Quorum vita fuit melior cum conjuge, quam nunc
Nostra sit exclusis thalamis & conjugis usu.

Haec Mantuanus de Hilario, quem fuisse maritum, etiam ex ejus epistola ad Apram filiam constare potest. Chaeremonem, Nili Aegyptiacae episcopum sanctissimum, quo tempore christianos impii gravissime persequebantur, aetate prope exacta ad montem Arabiae una cum uxore sua fugisse narrat Eusebius lib. VI. hist. cap. 40. edit. graec. ex epist. Dionys. Alex. ad Fabium episcop. Antioch. Gregorius Nazianz. orat. XIX. p. 290. de matre sua Nonna, patri pastori Nazianzeno conjugata scribit, quod *marito non solum adjutrix, sed etiam ἀρχηγὸς, dux & antesignana fuerit, vita & sermone ad optima quaeque per se ipsam ducens, ac caeteris quidem in rebus, ut matrimonii leges ferebant, viro suo parere optimum esse judicans, fidei autem & pietatis magistram quoque se praebere haudquaquam erubescens,* inde Bapt. Mantuanus de Nazianzeno sic canit:

Praesule patre satus, nam tunc id jura sinebant.
Pastorale pedum gessit post funera patris.

De Gregorio Nysseno, Basilii magni fratre, sic scribit Nicephorus lib. XI. cap. 19. in princ. *Habuit Basilius fratres, quorum unus Gregorius fuit ecclesiae Nyssenae lux & ornamentum, vir secundum fratrem doctrina, moribus & vitae sanctitate spectatus. Et quamvis is conjugem habuerit, rebus tamen aliis fratri minime cessit.* Parens Basilii magni itidem fuit episcopus, teste Nazianzeno in ipsius vita. De Synesio, Cyrenensi episcopo, refert Nicephorus libr. XIV. cap. 55. quod cum Theophilus Alexandrinus illi suaderet, ut ad ministerium ordinaretur, atque interim vereretur, ne exemplo quorumdam uxorem relinquere cogeretur, hisce protestatus fuerit verbis: *Mihi & Deus ipse & leges, ipsaque sacra Theophili manus uxorem dederunt. Quapropter omnibus praedico testatumque volo, me illam prorsus deserturum non esse, neque cum illa veluti machum clandestinam consuetudinem habiturum, alterum enim minime pium, alterum minime legitimum est, quin potius volo & opto plures & probos mihi nasci liberos &c.* inde concessum Synesio, ut in sacerdotali dignitate uxorem retineret l. Omnis. C. de episc. & clericis §. 4. privilegia clericis tributa etiam *ad conjuges & liberos eorum* a Constantino imperatore extenduntur, ex quo constat, tempore Constantini conjugia sacerdotum in usu fuisse. Athanasius ad Diacontium (qui quod

monachus est, episcopatum Alexandrinum deprecabatur) sic scribit p. 518. *Ne talia objiciant tui consiliarii. Novimus enim & episcopos jejunantes & monachos comedentes &c. Multi quoque ex episcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti sunt, quemadmodum vicissim episcopos filiorum patres & monachos generis potestatem non quaesiviſſe animadvertas.* Ergo Athanasii tempore episcopis matrimonium adhuc fuit liberum (*) Apollinarii Laodiceni parens episcopi munus gessit teste Hieronymo in catal. script. c. 114. tom. I. fol. 135. Idem epist. VIII. tom. I. f. 29. meminit cujusdam sacerdotis Romani uxorati epist. 83. ad Occam. *Carterius, Hispaniae episcopus, homo & aetate vetus & sacerdotio, unam, antequam baptizaretur, alteram post lavacrum priore mortua duxit uxorem, & arbitraris eum contra apostoli feciſſe sententiam, qui in catalogo virtutum unius uxoris virum praecepit ordinandum? Miror autem, te unum protraxiſſe in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu, ad episcopos venio, quos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur.* Lib. I. adv. Jovin. *Quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & apostolus episcopum describat unius uxoris maritum habentem filios cum omni castitate.* Pelagius pontifex Rom. c. *De Syracusanae* &c. dist. 28. *Conjugatum in episcopum ordinari* ratione circumstantiarum habita permisit. Sidonius Apollinaris, Arvernus episcopus, qui post Siricium cœlibatus legislatorem vixit, maritus fuit, ut constat ex lib. V. epist. XVI. ac Gregorius Turon. lib. II. cap. 21. Idem Sidonius lib. VII. epist. 9. narrat se orationem habuisse, qua persuasit, *ut Biturigum archiepiscopus & metropolitanus crearetur honestus quidam maritus Benedictus Simplicius, qui & sanguine sacerdotali prognatus erat, & uxorem cum liberis & pudica familia recte regebat, quod & universo populo placuerit.* De Spiridione, Cypri episcopo, sic scribunt Socrates lib. I. hist. cap. 8. Tripartita lib. I. cap. 10. Sozomenus lib. I. hist. cap. 11. Nicephorus lib. VIII. hist. cap. 42. *Rusticus cum esset, conjugemque in matrimonio & liberos ex ea susceptos haberet, non propterea in rebus divinis deterior aliquo fuit.* De Francilione, Turonensi episcopo, sic scribit Gregorius Turon. lib. X. cap. 31. *Erat civis Pictavus ex senatoribus ordinatus episcopus habens conjugem Claram nomine, sed filios non habens.* Nicephorus lib. XII. cap. 34. circa medium: *In Thessalia licebat clerico cuivis, priusquam in ordinem eum cooptaretur, legitime uxorem ducere, at si postea, ut consuetudine receptum est,* (nota ergo non lege aliqua apostolica, nec canone ecclesiastico constitutum) *uxorem cognovisset, ordine eo movebatur, cum in oriente omnes, atque etiam episcopi, si vellent, pro arbitrio suo non aliqua legis necessitate coacti uxorum congressum declinarent, multi etiam ipso episcopali munere fungentes, in episcopalibus aedibus liberos multos ex conjugibus, quas sibi legitimo matrimonio antea conjunxissent, suscitarent, nunc autem ne insomnis quidem episcopus cum uxore sua concumbens impudicus habetur.* Eadem habet tripartita libr. IX. hist. cap. 38. Socrates lib. V. hist. eccles. cap. 21. Hispani sacerdotes tempore Siricii non tantum habuerunt uxores, ex iisque liberos procrearunt, sed etiam conjugium suum in vet. & nov. test. a Deo permissum esse defenderunt, quos propterea Siricius vocat *praeceptores libidinum & sectatores vitiorum.* Nicetas, cognomento pectoratus, abbas natione Græcus, sed fede Latinus circa annum 1050. legi cœlibatus sese graviter opposuit. Quis est ille (inquit) qui tradidit prohibere & abscindere nuptias sacerdotum? quis ex doctoribus ecclesiæ hanc vobis tradidit pravitatem? &c. Huic Nicetæ opposuit se

(*) Gaudentius Brixianus in serm. de dedicatione templi scribit, *se peregrinatum in Jerusalem & in itinere, cum transiret per Caesaream Cappadociae accepisse dono a duobus, sanctis mulieribus, neptibus magni Basilii, reliquias 40. martyrum.* At unde Basilio fuere neptes, si extra conjugium vixit. GERHARDVS.

se Leo IX. c. *omnino* &c. dist. 31. & Humbertus cardinalis Sylvæ candidæ episcopus, Aventinus in historia Bojorum circa annum 1070. scribit: *Sacerdotes illo tempore uxores publice sicut caeteri christiani habebant, filios procreabant, sicut in instrumentis donationum, quae illi templis, mystis, monachis fecere, ubi hae nominatim cum conjugibus testes citantur, & honesto vocabulo presbyterissae nuncupantur, invenio.* Balæus & Polydorus Virgilius testantur, conjugia sacerdotum in Britannia usque ad annum 1100. retenta fuisse. Circa annum enim 975. in synodo Wintonienst sacerdotes Anglicani ex verbo Dei & exemplis primitivæ ecclesiæ demonstrarunt, licitum esse sacerdotibus conjugium. De Celso, Armachano archiepiscopo & totius Hyberniæ primate circa annum 1120. refert Balæus, quod more in Hybernia recepto in ipso archiepiscopatu uxorem & liberos habuerit. In concilio Londinensi anno 1129. Henricus, Angliæ rex, permisit sacerdotibus conjuges suas retinere, frustra contradicentibus archiepiscopis, episcopis & abbatibus in concilio congregatis, qui potius fornicationes quam conjugalem cohabitationem tolerabant. Matth. Parisius lib. III. chron. In Germania itidem legi cœlibatus diu restiterunt sacerdotes, cum enim circa annum 1074. Gregorius VII. Hildebrandus prius dictus, legem promulgaret, ut presbyteri uxores suas legitimas, quas habebant, aut dimitterent, aut sacerdotio se abdicarent, clerici magno conatu sese illi opposuerunt, qua de re Lamb. Schaffnaburgensis in anno 1074. sic scribit: *Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane haereticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait:* non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat; *& apostoli:* qui se non continet, nubat, melius enim est nubere quam uri, *violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, & dum consuetum naturae cursum negaret, fornicationi & immunditiae freua laxaret, quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam conjugium deserere, & tum visurum eum, cui homines forderent, unde gubernandis per ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset.* Cumque præsul Moguntinus in synodo Moguntina postulatum Romani pontificis de deferendo, vel conjugio vel sacerdotio repeteret, sacerdotes unanimi voce ex verbo Dei protulerunt illustria dicta confirmantia sacerdotum conjugia, deinde exempla ecclesiæ Christi, tertio rationes plurimas & consuetudinem veterem ac diuturnam. Cum anno sequente 1075. alia synodus Moguntiæ cogeretur, in qua denuo præsul pontifici Romano morem gerens conjugio sacerdotibus interdicere vellet, clerici manibus totiusque corporis commotione adeo in eum debacchati sunt, ut ægre synodo excederet vivus. Sigebertus etiam cum in hist. anni 1074. de illo Gregorii interdicto mentionem facit, hæc addit: *Vxoratos sacerdotes a divino officio removit, & laicis missam eorum audire interdixit, novo exemplo, & ut multis visum est, inconsiderato praejudicio contra sanctorum patrum sententiam*, ibidemque multa incommoda recenset ex decreto illo orta, Aventinus lib. V. p. 465. de concilio contra Hildebrandum illum Brixiæ habito scribit: *Adsunt legati aliorum pontificum Galliae, Italiae, Germaniae communi omnium consensu Hildebrandi secta pietati christianae repugnans explosa, exsibilata est.* In Poloniæ regno sacerdotes usque ad annum Christi 1219. uxores habuisse, ex annalibus, in quibus archiepiscoporum & episcoporum Polonorum vitæ descriptæ sunt, demonstrari posse adserit Dudithius, imperatoris Maximiliani in Poloniam legatus in demonstr. pro cœlib. clericorum p. 60. Justus Jonas in def. adv. Joh. Fab. pro conjug. sacerd. Tiguri anno 1523. *Ante paucos annos adhuc sacerdotibus in Germania conjugium liberum fuit, id quod literae quaedam & vetusta tum Colonienses, tum etiam Constantienses ecclesiae monumenta testantur.* Vide Marc. Anton. de Dominis lib. II. de rep. eccles. cap. 10. Bellarminus his exemplis obvertit lib. I. de cleric. c. 19. *quod vel debeant intelligi de uxoribus, quas antea duxerant, vel de clericis minorum*

norum ordinum, vel esse exempla eorum, qui reprehenduntur, vel esse expressa & manifesta mendacia. Sed vanitas harum exceptionum ex illis, quæ modo dicta sunt, sponte elucet. (*)

5.) *Ex adversariorum testimoniis.*

§. CCCXLVI. V.) argumentorum classem complent ipsorum adversariorum testimonia. Gratianus in c. *de Syracusanae &c.* dist. 28. *Ecce hac auctoritate* (Pelagii) *electus in episcopatum non prohibetur habere uxorem & liberos. Eligi autem ad episcopatum non debet nisi aut sacerdos aut diaconus, subdiaconus vero non nisi necessitate cogente. Sive ergo presbyter, sive diaconus, sive subdiaconus fuerit, adparet, quod in praefatis ordinibus constituti licite matrimonio uti possint.* Thomas in summa, quæ incipit: *commiserationes* c. 165. *Si Acoluthus in secreta confessione ad discretum sacerdotem veniat, & se nullo modo posse continere dicat, non multum peccat sacerdos dando ei consilium, ut cum aliqua occulte matrimonium contrahat, & occulte episcopi sui oculos fallat. Si vero postea sacros ordines a praelatis cogatur accedere, credimus minus esse periculum uxore uti, quam cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.* Durandus, episcopus Mimatensis, auctor speculi juris, vulgo speculator dictus, in libro de modo celebrandi concilii, quem jussu Clementis V. Viennæ concilium habituri conscripsit tit. 46. *Videtur utile, ut in concilio matrimonium sacerdotibus concedatur, cum plane frustra & incassum hactenus sint ad castitatem coacti, cumque Graeci sacerdotes jus matrimonii habeant, idque etiam apostolorum tempore in usu fuerit.* (**) Innocentius IV. tit. de conversatione conjugum c. *placet* &c. *Matrimonium de jure divino non prohibet susceptionem sacrorum ordinum, sed tantum ex constitutione ecclesiae, & sic naturaliter matrimonium non resistit promotioni ad sacros ordines; imo etiam post consecrationem sacerdos posset contrahere matrimonium, nisi ecclesiae statuto prohibitum esset.* Panormitanus, cujus magna in Basileensi concilio, fuit auctoritas, in c. *Licet de elect.* &c. fatetur, *ex scripturis probari non posse, quod caelibatus sacerdotibus sit necessarius.* Idem in c. *cum olim de cleric. conjug. &c. Numquid hodie ab ecclesia possit statui, ut clericus matrimonium contrahat, quaeritur? Credo: quod sic,* (inquit) *& hoc indubitatum est apud me respectu eorum, qui non sunt obligati ex voto vel tacito vel expresso, & probo hac ratione: Continentia enim non est in clericis secularibus de substantia ordinis, sicut dixit Innocentius, nec est de jure divino, quia alias Graeci peccarent, nec excusaret eos consuetudo, quia illa non valet contra legem divinam. Et non solum credo potestatem inesse ecclesiae hoc condendi, sed credo pro bono ac salute animarum, quod esset salubre statutum, ut valentes continere, & magis mereri, relinqueretur voluntati eorum, non valentes autem continere possent contrahere, quia experientia docente contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiae, cum hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas &c. Unde deberet ecclesia facere sicut bonus medicus, ut si medicina experientia docente potius officit, quam prosit, eam tollat.* Sub tempus illud concilii Basileensis anno circiter 1430. quosdam reformationis articulos imperator Sigismundus instituit, (qui postea Argentinæ excusi sunt anno 1520.) in quibus inter cætera etiam hoc habetur: *Plus mali quam boni ex Calixti decreto in ecclesia secutum est, melius & animae tutius est, ut juxta ritum ecclesiae orientalis Clericis licentia concedatur*

(*) Moscovitæ denique nulli nec sacro nec profano conjugio interdicunt, ut constat ex opere de variis rerum Moscovit. auctoribus p. 152. GERHARDVS.

(**) Præpositus in c. Rursus, qui clerici vel voventes &c. aperte fatetur, *cælibatum in sacro ordine non esse voti nec taciti nec expressi, nec ex jure divino, sed tantum ex confirmatione ecclesiae, ideoque etiam ab ecclesia permutari posse.* Franc. Zabarella eodem in loco dicit, *praeceptum de cælibatu materiam dare plures animas illaqueandi, & ideo ecclesiam, sicut induxit votum continentiae, sic etiam vicissim revocare posse.* GERHARDVS.

datur honesta matrimonia contrahendi. Æneas Sylvius lib. II. de concil. Basil. refert, quod cum in concilio Basileensi deliberaretur de eligendo Amadæo, Sabaudiæ duce, in pontificem Romanum, & obstare illi videretur, quod uxorem habuisset, quidam patrum in hæc verba prorupit: *Id autem quod de uxore dicitur, nihilipendo, cum non solum qui uxorem habuit, sed uxorem adhuc habens queat adsumi. Cur enim disputant doctores, an uxoratus electus in papam uxori solvere debitum teneatur, nisi quoniam etiam conjugatus recipi possit, fueruntque ut scitis, etiam in matrimonio pontifices, nec Petrus apostolorum princeps uxore caruit. Quid ista modo objicimus? fortasse non est pejus sacerdotes quam plures uxorari, quoniam multi salvarentur in sacerdotio conjugato, qui in sterili presbyteratu damnantur.* Idem Sylvius cum jam pontifex esset, & Pius II. nominaretur, reliquit hoc dictum: *Sacerdotibus magna ratione ademtum conjugium, majori autem restituendum*, ut Platina in Pio II. p. 295. & Sabellicus lib. VI. enneade X. p. 502. referunt. Paulus II. pontifex Romanus, ut ex Stanislao Orichovio Balæus refert, cum quædam poëmata Romæ legisset in se ac filiam scripta, illacrimasse dicitur, & ob acerbitatem legis cœlibatus cum amicis expostulasse, quod is, qui non solum ecclesiæ, verum etiam continentiæ antistes esse deberet, filiam in ore atque oculis civitatis cum summo probro versari videret, quæ etsi erat eximia pulcritudine, scortationem tamen ab se ortam dolebat existimari, cum legem Dei sciret esse, qua huic in matrimonio nasci licebat, nisi idem cœlibatus obstitisset, itaque consilium ipsum cœpisse de restituendo sacerdotum matrimonio ferunt, quod ille tamen morte præventus exsequi non potuit. Cusanus epist. II. ad Bohemos de commun. *Consequenter in nov. test. visum est post aliquot tempora*, (nota: ergo non statim ab apostolorum temporibus, sed post aliquot demum secula) *irrationale fore, quod in sacris ordinibus existentes contraherent, quod si facerent, separandos esse, qui tamen ante tanquam a Deo conjuncti separari non potuissent.* Polydorus Virgilius lib. V. de rer. invent. cap. 4. *Forsitan tam e reipublicae christianae quam ex ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii sacerdotibus restitueretur.* (Sed illud ex Polydoro Virgilio eradi jubet index expurgat. Belgic. p. 203.) Stephanus Aufrerius canonista in tit. de presbyteris conjugatis: *Tempore* (inquit) *primitivae ecclesiae licebat presbyteris & sic constitutis uxorem ducere.* c. *Quoniam &c.* & c. *Aliter &c.* dist. 31. *Dummodo die celebrationis abstinerent a conjugibus, postea in occidentali ecclesia venit prohibitio, ut constituti in sacris ordinibus deberent abstinere.* c. *aliter &c.* dist. eadem: Concludit itaque, *quod praeceptum illud det materiam illaqueandi plures animas propter fragilitatem nostram, ideo credit, quod sicut ecclesia induxit hoc praeceptum continentiae, quod quoque revocabit.* Thomas de Vio Cajetanus, cardinalis, ordinis Dominicanorum prior & inquisitor generalis tom. I. opusc. tract. 27. „Nec „ratione, nec auctoritate probatur, quod ab„solute loquendo sacerdos peccet contrahendo „matrimonium: nec ordo in quantum ordo, „nec ordo in quantum sacer est, est impediti„vus matrimonii. Et postea concludit: Sa„cerdotium non dirimere contractum matri„monii, sive ante post seclusis omnibus legi„bus stando tantum in his, quæ a Christo & „apostolis habemus. (*) Erasmus in Matth. XIX. „Scortari licet, uxorem ducere non licet, si „profitentur concubinam, sunt catholici sacer„dotes; sin uxorem dici malint, in ignem „conjiciuntur. In 1. Cor. VII. p. 321. Ætate „Pauli cum inter innumeros ethnicos perpauci „essent christiani fortasse commodius erat ab„stinere a matrimonio, nunc mutatis rebus „haud scio an magis expediat, sanctum con„nubium & immaculatum thorum sancte pu„reque colere, etiam sacerdotes, si qui non „continent, quando horum tam ingens ubi„que copia.„ Ibidem ut & in adnot. Philip. IV. p. 439. statuit, „Paulum apostolum ha„buisse conjugem, σύζυγον. Quidam hoc „referunt ad uxorem Pauli, nam Græca pos„sunt & fœminino genere accipi, sunt autem „magni

*) Citat ex Cajetano Gregorius de Valentia tom. IV. disp. IX. q. 5. punct. 5. Gerhardus.

„magni auctores apud Græcos, qui putant, „Paulum habuisse uxorem, & consentaneum „est, mulieres commendari mulieribus. in „1 Tim. III. p. 469. Si quis perpendat horum „temporum statum, quotam portionem homi„num monachorum greges occupent, quotam „sacerdotum & clericorum collegia: deinde „perpendat, quam pauci e tanto numero vere „fervent vitæ castimoniam, in quæ libidinum „genera quam innumeri devergant, quanto „cum probro complures palam incesti sint & „impudici, fortassis judicabit magis expedire, „ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat pu„blici matrimonii, quod absque mala fama pu„re sancteque colant potius, quam infeliciter „ac turpiter libidinentur, sed etiam atque etiam „vereor, ne census ecclesiastici castrent ho„die clericos verius quam pietas, dum metui„mus, ne; quod tenemus, intercipiatur aut „certe nihil accedat.„ In declamat. de laudibus matrimonii, *utile esse* statuit, *si sacerdotibus jus matrimonii concedatur.* Similia exstant in lib. de conscribendis epistolis edito Parisiis anno 1527. Claudius Espencæus lib. I. de continent. cap. 13. „Romanos pontifices, „Siricium inprimis & Innocentium, quibuscum „Jovinianum exsecror. Et postea: Proinde „non intelligo, idque dictum summa cum re„verentia ut cetera volo, quo sensu conjugii „præsertim ante ordines sacros contracti usum „cleri sui sanctimonia indignum & carnis esse „immunditiem, in qua Deo placeri non pos„sit, vocare non dubitarint. Nam Paulina quæ „adlegant, vel immundis nihil esse mundum, „vel qui in carne sunt, Deo placere non pos„sunt, non minus ad laicos quam ad clericos „pertinent, & prior locus se de fidelibus ex„plicat, & posterior contra connubium alibi ho„norabile & impollutum vocatum, facere non „potest.„ Duarenus de sacris eccles. minist. p. 171. „fatetur, veterem ecclesiam & anti„quos canones non summovisse conjugatos a „sacerdotio. Item legem novam de cœlibatu „sacerdotum videri Θεομαχεῖν, nec receptam „ab orientali ecclesia fuisse.„ Andreas Fricius lib. IV. de republ. emend. c. 20. „matrimonii „contrahendi libertatem sacerdotibus restituen„dam omnibus modis suadet, atque id (inquit) „multo honestius atque ecclesiis salubrius fu„erit, quam scortationes presbyterorum ferre, „docereque, sacerdotem minus peccare for„nicando aut adulterando, quam matrimonium „contrahendo.„ Lib. II. de eccles. fol. 546. „De matrimonio presbyterorum quod ego „scripsi, idem ante me scripserunt papæ, car„dinales, episcopi, abbates, monachi, theologi, „jurisperiti, quorum verba citavimus, nec scio „quis a nobis discrepet præter Piggianos & „quosdam similes.„ Idem in apologia Innocentii IV. Johannis Antonii cardinalis, abbatis Panormitani, Alfonsi Virvesii, Thomæ Aquinatis, Baptistæ Mantuani, Salviani episcopi Massilienſis ac Polydori Virgilii formalia verba recenset, quibus liberam ducendarum conjugum potestatem sacerdotibus concedendam judicant. Lindanus in panoplia: „Certe „& hodie licet castos atque vitæ integros „maritos ad sacerdotium adsumere, quod „meo quidem judicio rectius sanctiusque forte „fuerit per aliquot Germaniarum provincias, „quam impurissimis aliquot præficere, aut „etiam diutius tolerare nebulones, apostatas & „sacrilegos pastores, quod factum ab aureo „illo Paphnutii responso minime foret alie„num, neque a vero remedio abhorriturum „videri posset.„ Cassander in consult. art. XXIII. p. 196. edit. Colon. „Fatendum est graviter „a posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro „tempore (de cœlibatu sacerdotum) constitu„tionem multis in laqueum verterunt, dum ju„venes nondum sibi cognitos & exploratos te„mere ad ministerium ecclesiasticum admise„runt, & cum illis castitatis onus sibi impar „esse sentirent, illi potius impuros quosvis con„cubitus dissimularunt, & quodammodo pro„barunt, quam ut permittendo constitutionis „illius humanæ gratiam illis facerent, qui „eam sine offensione divinæ legis observare „non poterant. Adde etiam, quod ætas ad„huc rerum imperita & temporum ac condi„tionum vitæ mutatio hanc observationem „pene impossibilem fecerit. Quare nimis rigi-

„da

„da & intempestiva hujus constitutionis exa-
„ctione gravissima & abominanda in ecclesia
„scandala exstitisse videmus. Nam causæ illæ,
„quibus majores ad constitutionem hanc fa-
„ciendam inductos esse diximus, non solum
„hodie cessarunt, sed etiam in contrarium sunt
„conversæ. Nam primum videmus hoc de-
„creto usque adeo castitatem & continentiam in
„clero non confirmari, ut per illud ad omne
„libidinis & flagitii genus fenestra aperta esse
„videatur. Item usque adeo non refrenatam
„in clero avaritiam, ut etiam frena magis la-
„xata esse videantur, tum res in plerisque sa-
„cerdotibus ita comparatæ sunt, ut conjugum
„piorum consortio non modo ad functiones
„ecclesiasticas obeundas non impediantur, sed
„etiam ad earum procurationem adjuventur ab
„eis. Quemadmodum de patre suo Gregorio
„& matre Nomia Gregorius Nazianzenus te-
„statur. Sunt & contra plerique cœlibes, qui
„usque adeo cœlibatu suo ad ea, quæ Dei sunt,
„expeditius curanda non incitentur, sed etiam
„contra curis hujus seculi supra reliquos homi-
„nes immergantur & obruantur. Ad ea igi-
„tur incommoda & scandala tollenda optimum
„quidem & præstantissimum remedium esset,
„si prisca cleri disciplina, quæ, quo tempore
„hæc constitutio primum inducta est, viguit,
„restituatur, hoc est, ut nemo in sacerdotem
„ordinetur, nisi qui a pueritia in eccleſia in-
„stitutus, & cleri numero adscriptus est per
„gradus ministeriorum, ætatem ut minimum
„triginta annorum adtigisset, ac totum illud
„tempus caste continenterque traduxisset, aut
„si maritum aliquem in sacerdotem cooptari
„contigisset, is ea esset ætate atque morum gra-
„vitate, ut mutuo uxoris consensu ab ejus com-
„mercio abstinere posset: deinde ut in sacer-
„dotio constitutus ab omni prorsus cohabita-
„tione & familiaritate mulierum abstineret,
„sine quibus conditionibus impossibilem esse
„castitatis observationem judicabant. Notum
„enim est illud Bernhardi, cum fœmina ha-
„bitare & fœminam non tangere majus esse,
„quam mortuos suscitare. Sed vere dictum
„est a Gersone, in primo rigore ecclesiasticæ
„disciplinæ multa severo rigore statuta sunt,
„quæ modo defluentibus in pejora majoribus
„non modo inutilem, sed impossibilem habe-
„rent exsecutionem. Quod si itaque de hac
„disciplina restituenda desperetur, præsertim
„in pastoribus ecclesiarum, quot in media ho-
„minum turba vivere, & ut nunc quoque res
„se habent, rem quoque familiarem curare
„necesse est, restat primum, ut in posterum
„ordinandis hoc statutum relaxetur, & more
„veteris ecclesiæ & orientalium ecclesiarum
„honesti quoque mariti ad ecclesiæ ministerium
„admittantur, & extra tempus ministerii fa-
„miliaritate quoque suarum conjugum uti per-
„mittantur juxta canonem sextæ synodi gene-
„ralis, qua decernitur, nullo modo legitimas
„diaconorum & presbyterorum nuptias esse
„dissolvendas, nec ante ordinationem ad pro-
„fitendam castitatem esse compellendos. Sunt
„igitur hujus constitutionis relaxandæ graves
„causæ. Primum quia ea manifeste multo-
„rum malorum & incommodorum præsertim,
„qui vagam & effrenatam libidinem sequun-
„tur, occasionem præbeat, malorum enim
„non propriæ modo causæ, sed occasiones
„quoque nonnunquam tollendæ sunt, qua ra-
„tione Paulus conjuges non diu a mutuo con-
„gressu separari voluit, ne a satana tententur,
„& juniores viduas nubere præcepit, & liberis
„dare operam, ne criminandi occasionem ad-
„versario præbeant;„ ubi Cassander inserit
locum, ex Panormitano superius adductum,
postea addit: „Altera ratio sumitur ex tem-
„porum commutatione. Nam quo tempore
„hæc continentia sacerdotum indicebatur, lon-
„ge alia ratio erat disciplinæ cleri. Tertiam
„causam & quidem præcipuam adfert præsens
„ecclesiæ status & idoneorum ministrorum in-
„opia. Plerique enim homines docti & pii ad
„continentiæ observationem adstringere sese
„nolunt, cum & infirmitatis suæ rationem ha-
„beant, & exemplis turpitudinum & scelerum,
„quæ prætextu cœlibatus passim in oculos & au-
„res incurrunt, moveantur, quo fit, ut pau-
„cissimi adolescentes pietatis indole præditi ad
„theologiæ studium sese adjungant, aut a piis

„parentibus ad hoc ſtudium adplicentur, ſed „ii fere tantum, qui opima beneficia, vitæ „luxum & ſplendorem ac carnis licentiam & „vagam effrenemque libidinem animo præſu„munt, præter nonnullos, qui imprudentia & „nondum ſatis ſibi noti in laqueum inducuntur. „Sed de maritis ad eccleſiæ miniſterium eli„gendis non tantopere quidem reluctantur, „cum ea res exemplum habeat priſcæ eccleſiæ „& ab orientalibus omnibus eccleſiæ hucusque „ſervetur. Gravior autem quæſtio eſt de iis, „qui poſt ſacerdotium uxores duxerunt, an eis „in miniſterio permanendi & uxoris oppor„tuno tempore familiaritate utendi facultas per„mitti poſſit, quæ res omni prorſus vetuſtatis „exemplo careat. Sed hæc ratio non ſatis „concludit. Non eſt factum, ergo fieri non „licuit. Cogunt enim novas aliquando inveni„re medicinas novorum experimenta morbo„rum. Sunt autem cauſæ non leves, cur ho„die iis quoque, qui jam ordinati, non libi„dine ſed conſcientia ducti uxores duxerunt, „& utiles eccleſiæ eſſe poſſunt, gratia hujus „legis fieri deberet, & impoſterum quoque ſi „magna eccleſiæ utilitas invitet, aliquibus idem „concedi poſſit: primum quod conjugium ini„re poſt ordinationem nullo divino jure, ſed ſolo „eccleſiæ ſtatuto prohibeatur, & in veteribus „canonibus tale conjugium non dirimitur, ſed „leviore cenſura punitur, nam in concilio Neo„cæſarienſi cap. 1. ſacerdos uxorem ducens de„ponitur ab ordine, hoc eſt, ut exponit gloſ„ſa, ab officio & non beneficio, ubi & illud „additur, magis puniri ſacerdotem, qui for„nicetur, quam qui publice contrahit. Idem „ſtatuitur canon. VI. concilii generalis. In „conſtitutionibus vero Leonis irrita ſit conſti„tutio, qua diaconos & ſacerdotes poſt ordi„nationem contrahentes a clericali habitu ad „profanam vitam redigi vult, ſtatuit vero, ut „ab eo tantum ordine, quem ante nuptias te„nuerunt, recedant, nec habitu cleri, nec le„gitimo eccleſiæ miniſterio priventur. Cum „igitur hæc matrimonii contractio poſt ordi„nationem ſolo ſtatuto prohibeatur, & exem„pla priſca exſtent, quæ teſtentur hujusmodi „ſtatuta non tam anxie obſervata fuiſſe, quin „ob eccleſiæ neceſſitatem aliquando relaxata „fuerint, quis non concedat in extrema hac „eccleſiæ neceſſitate hoc idem hodie fieri poſ„ſe? Exempla non obſervatorum eccleſiæ ſta„tutorum etiam apud veteres hujusmodi ſunt, „nam primum Epiphanius ait, in quibusdam „locis ſua ætate presbyteros & diaconos libe„ros gignere, quamvis id fiat contra eccleſia„ſticos canones, idque fieri propter inopiam „miniſteriorum. Item jamdudum eccleſia coha„bitationem ſacerdotum cum fœminis toleraat, „quod haud ſecus atque ipſum conjugium ec„cleſiæ ſtatutis prohibetur, quin non ſolum „contra eccleſiæ ſtatuta, ſed etiam contra ſtatu„ta apoſtolica in eccleſia aliquando aliquid exi„gente id inſigni utilitate admiſſum legimus, ut „neophytos ordinatos, quod conſtat de Fabiano, „Cypriano, Nicolao, Nectario, Ambroſio, Seve„ro, Taraſio. Item Tertullianus teſtatur apud „pſychicos, quo nomine catholicos adpellat, „etiam digamos adverſus praeceptum apoſtoli „eccleſiis præſidere. Nil igitur abſurdi fiet, ſi in „tanta eccleſiæ neceſſitate hujus eccleſiaſtici ſta„tuti, etiamſi apoſtolicum eſſet, moderatio & „relaxatio fiat. Nec audiendus eſt novus quidam „in Italia dogmatiſtes, (Franciſcus Turrianus ſi„ve Torrenſis lib. II. de dogm. characteribus) „qui unus contra omnium veterum & recen„tium eccleſiaſticorum ſcriptorum ſententiam „cœlibatum ordini ſacro ἀσιωδῶς, hoc eſt, „ſubſtantialiter & lege divina adjunctum eſſe „contendit, nec eſſe in poteſtate pontificis nec „eccleſiæ, ut conjugii uſum ſacerdotibus per„mittant non magis, quam furandi aut latro„cinandi, atque eo modo univerſam eccleſiam „tam orientalem, quam occidentalem violati „divini juris adcuſat; illam quod conjugium „in ſacerdotibus hactenus obſervarit, hanc „quod eam recte facere judicavit. Cur autem „etiam in ordinatis conjugium hodie admitti „poſſit, hæc ratio eſt, quod ex hujusmodi „conjugio non modo nulla offenſio populi, „ſed magna etiam utilitas ſit exſpectanda, nam „eo res rediit, ut vix centeſimum invenias, „qui ab omni commercio fœminarum abſti„neat,

„neat, populus vero ita adfectus est, ut sacer„dotis fornicatoris seu concubinarii ministe„rium vel prorsus condemnet, vel levius æsti„met, maritum vero sacerdotem æquius ferat, „ut cum populo quoque jam notum sit, ho„norabile esse in omnibus conjugium, adul„teros autem & fornicatores a Deo judicandos, „accedit & hoc, quod nisi hujusmodi conju„gium toleretur, vix idonei ecclesiæ ministri „inposterum quoque inveniri poterunt. Qua„re si unquam tempus fuit antiquæ alicujus „consuetudinis immutandæ, certe hæc tempo„ra hujus quamvis prisci moris immutationem „aliquam efflagitare videntur, cum optimi qui„que & religiosissimi sacerdotes infirmitatem „suam agnoscentes & perpetuæ scortationis fœ„ditatem exhorrescentes, si publice non au„dent, certe privatim conjugium ineunt, & „populus hodie, ut diximus, eo animo com„paratus est, ut maritum quam scortatorem fa„cilius patiatur. Cum igitur hoc tempore „eo necessitatis res propemodum redacta sit, „ut aut conjugatus aut concubinarius sacerdos „sit admittendus, quis non videt, etiamsi quid „in hoc conjugio sit incommodi, minoris ma„li ratione esse potius eligendum &c.„ Hæc omnia Cassander. Andreas Dudithius, Quinque Ecclesiensis episcopus in excus. ad Maximilianum II. imperatorem, in qua rationes adfert, cur episcopatu & aliis honoribus abdicatis uxorem duxerit, circa finem sic loquitur: „Nullo unquam tempore in vita tran„quilliorem & pacatiorem animum habui, „postquam ex illo impuri cœlibatus cœno Dei „beneficio emergere me sensi, abjectis im„piis illis cogitationibus purgata jam conscien„tia mea, magna lætitia efferor, quod trans„latum me video in sanctorum hominum nu„merum ex infelicium cœtu, qui libidinibus „& vitæ sordibus contaminati in summa im„pietate consenescunt, quorum animos cum „perpetuo voluptates & impuræ cogitationes „nunc in hanc, nunc in illam partem quasi „fluctus quidam impellant, eo tandem dese„runtur, ut malint aliorum uxoribus insidiari, „virgines, viduas, omnis generis mulieres, „ne quid deterius dicam, ad stuprum solicita„re, scorta alere, eaque frequenter novis suc„cedentibus permutare, quam suam uxorem, „ut Paulus præcipit, ad vitandam fornicatio„nem habere.„ Huic apologiæ adjunxit Dudithius libellum, in quo demonstrat, *matrimonium omni hominum ordini sine exceptione divina lege permissum esse;* in publicum is editus est opera Quirini Reuteri Offenbachii anno 1610. Alberti, ducis Bavariæ, legatus in concilio Tridentino libere pronunciavit, *sacerdotum matrimonium, nec legi divinae, nec veterum monumentis repugnare.* Ferdinandus, imperator, Henricus II. & Carolus IX. Galliarum reges in concilio Tridentino per suos legatos strenue laborarunt, *ut matrimonii ineundi libertatem* sacerdotibus impetrarent. (*)

(*) Tandem oppugnare possumus Bellarminum ex Bellarmino. Quæcunque enim argumenta profert lib. V. de Rom. pont. cap. 9. ut probet non repugnare, pontificem esse simul principem spiritualem & temporalem alicujus provinciæ, ea omnia pro sacerdotum conjugio urgeri possunt: 1) *Producit exempla Melchisedeci, Noae, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Mosis, Heli & Maccabaeorum principum, simul & summorum pontificum.* At illi ipsi, atque adeo omnes summi pontifices Deo simul ministrarunt, & liberos ex conjugio susceperunt, id quod tanto certius, quanto incertius, quod Bellarminus de illis adserit, cum Noe, Abraham, Isaac, Jacob, non rexerint nisi amplas suas familias, nec summi sacerdotes sed prophetæ fuerint. 2.) Adfert quatuor rationes, quas totidem verbis in Bellarminum retorquere possumus: a.) *Sacerdotium & conjugium non sunt contraria, sed utrumque bonum, utrumque a Deo, utrumque laudabile, & unum alteri servit.* Ergo non pugnant inter se, & simul in eodem esse possunt. b) *Magis diversa sunt pax & bellum, quam conjugium & sacerdotium. At unus & idem rex praeesse senatui & exercitui, togatis & armatis.* Ergo multo magis unus poterit simul esse maritus & sacerdos. c.) *Potest pontifex universam ecclesiam regere, & longe lateque parentes regiones politico imperio premere, & christianis principibus leges dare.* Ergo multo facilius poterit sacerdos parvam ecclesiæ manum pascere, & simul familiæ suæ praesse. d.) *Qui duxerunt uxores ex episcopis, & quae nupserunt iis, uxores piae fuerunt, ut de patriarchis & apostolis nihil dicatur.* Ergo licitum

Adversariorum in hac quaestione 1.) Calumniae.

§. CCCXLVII. Atque hæc sunt sententiæ nostræ fundamenta, a quibus antequam ad argumenta adversariorum dissolvenda progressum faciamus, notabimus I.) *calumnias*, quibus in hac quæstione nostram de conjugio sacerdotum sententiam prægravare conentur. Stapletonus in relect. princ. fidei doctrinalium controv. I. de eccles. q. 5. art. 2. secutus Cochlæi fidem refert, *Carolstadium primum ex sacerdotibus post reformationem a Luthero inchoatam duxisse uxorem*, & quidem anno Christi 1525. Cochlæus addit, *Lutheranos pro illo conjugio novam confinxisse missam, quam & in lucem edere non fuerint veriti, cujus collecta fuerit isthaec: Deus, qui b. Andream Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita papistici juris ratione uxorem ausus fuerit ducere, da, quaesumus, ut omnes sacerdotes recepta sana mente ejus vestigia sequentes ejectis concubinis, aut eisdem ductis ad legitimum consortium thori convertantur &c.* Addit sequentia missæ sic habuisse: *Deus in virtute tua Andreas Carolstadius gaudet, & laetatur thalamo copulatus.* Subjungit ejusdem sententiæ secreta & complenda, ac tandem ex infelice successu Carolstadii colligit, *sacerdotum conjugia divinitus improbari.* Verum peccat Cochlæus & eum secutus Stapletonus contra historiæ fidem, non enim Carolstadius, sed Bartholomæus, Bernhardi Kembergensis præpositus, vir pius & eruditus, eo tempore, quo Lutherus in pathmo versabatur, primus ex sacerdotibus uxorem duxit, ac facti sui rationem in scripto apologetico publice reddidit, quod exstat tom. II. oper. lat. Jenens. Lutheri, ac citatur a Nevizano in sylva nuptiali impressa Venetiis anno 1570. f. 81. cujus Bernhardi familia in illo oppido & ampla & felix evasit.

2.) Ignominiosa dicta.

II.) *Ignominiosa dicta*, quibus conjugium, sanctissimam illam Dei ordinationem impetunt, seque antichristi satellites eo ipso demonstrant, de quo Dan. XI. 37. prædictum, quod *ad desiderium ac amorem mulierum*, hoc est, ad honestum & licitum amorem conjugalem non sit animum adhibiturus, sed potius specie sanctitatis eumdem prohibiturus: 1. Tim. IV. 3. Siricius epistola IV. & Innocentius epist. III. ideo se a conjugio sacerdotes arcere dicunt, *ut munditiae & pudicitiae puritate securi possint orare, baptizare & sacrificium offerre. Si enim, inquiunt, contaminatus quis est carnali concupiscentia, hoc est, conjugali consortio, quo pudore, qua mente sacrificare audebit, qua conscientia, quo merito exaudiri se credit? cum scriptum sit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum.* Adcommodant etiam ad conjugium sacerdotum dictum apostolicum: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, atque illos, qui conjugia sacerdotum defendunt, vocant *libidinum sectatores, vitiorumque praeceptores.* Vide tom. I. conc. f. 422. c. *decernimus &c.* dist. 28. c. *tenere &c.* dist. 31. c. *Proposuisti &c.* dist. 82. Exstant etiam in jure canonico sequentes canones in conjugium injurii ac concubinatum introducentes in ecclesiam eo ipso tempore, quo conjugium ejus ministris fuit interdictum. c. *Is qui &c* dist. 34. ex concilio Toletano I. *Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae sit conjunctione contentus;* ubi glossa addit: *Luxuria quandoque plus juris habet, quam castitas, quia castus repelleretur, sed fornicator non, ac summa illius canonis sic habet: Qui non habet uxorem, loco uxoris concubinam debet habere.* c. *Christiano &c.* dist. eadem *Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum uxorem, aut certe loco uxoris, si conjunx deest, concubinam.* c. *Quidquid &c.* causa 32. q. 2. *Non datur praesentia sancti Spiritus tempore, quo conjugales actus geruntur.* c. *Connubia &c.* caus.

est, quod illi fecerunt. 3.) Denique probatur experientia. Nam nisi facultas ducendi uxores reddatur sacerdotibus, nullus erit finis scortationum, adulteriorum & veneficiorum, quibus referendis nec Dantes, nec Bocatius, nec Petrarcha sufficiet, Bellarminus lib. de monach. cap. 38. §. dices: *Monasticae professioni per se & ex natura rei repugnat conjugium, non autem repugnat per se & ex natura rei ordini sacro, sed ex solo decreto ecclesiae.* GERH.

cauſ. & quæſt. iisdem: *Connubia legitima earent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, praeſentia ſancti Spiritus dubitur, etiamſi propheta videatur eſſe, qui officio generationis obſequitur.* c. *Sciatis &c.* cauſa 33. q. 4. *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non poſſunt orationi, nec de carnibus agni comedere debet &c.* c. *Vir cum propria &c.* cauſa & quæſt. iisdem: *Vir cum propria uxore dormiens niſi lotus aqua eccleſiam intrare non debet. Quamvis diverſae hominum nationes de hac re diverſa ſentiant, atque alias cuſtodire videantur, Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriae uxoris & lavacri purificationem quaerere, & abeccleſiae ingreſſu paululum temperare.* Monachi Burdegalenſes in abjurat. art. LIII. redeuntibus ad eccleſiam Romanam hanc præſcribunt confeſſionem: *Specialiter abhorreo commentitium matrimonium presbyterorum, qui una ſibi tribuunt nomen miniſtrorum divini evangelii, & una ſerviunt mundo per mulierem.* Volunt igitur, miniſtros uxoratos non poſſe ſervire Deo, cum duobus dominis tam contrariis nemo ſervire poſſit, quia vero idem matrimonium in conjugatis presbyteris & aliis chriſtianis, ſequetur etiam reliquos conjunges per mulierem ſervire mundo. Et quid multis? Campegius, Piggius, Eccius & Hoſius dixerunt, *gravius peccare ſacerdotem, ſi uxorem ducat, quam ſi ſcortetur*, cujus pronunciati rationes aliquot profert Coſterus in enchir. cap. XV. de cœlib. ſacerdotibus. *Vide* (inquit) *gravitatem delicti commiſſi, ſi ſacerdotes uxorem ducant. Primo voto ſolenni caſtitatis injuriam faciunt. Secundo eccleſiam gravius vulnerant, cum qua tanquam ſponſi copulati ſint. Tertio inverecundius ſcortantur cum ea, quam pro ſua haberi volunt. Quarto obſtinata praefractaque voluntate in peccato perſeverant. Quinto, haereſi vitiatum intellectum habent, quod arbitrentur eſſe nuptias, quae non ſunt nuptiae, ſed pejora omnibus adulteriis ſacrilegia.* Bellarminus lib. I. de clericis cap. 19. circa finem: *Non ſolum conjugium ſacerdotum, quod ſacrilegium eſt, non conjugium, ſed etiam ſanctorum matrimonium ſine pollutione quadam & turpitudine non exerceri, ſatis teſtatur rebellio membrorum & verecundia humana in illo actu, quae ſecretum ſemper quaerit.* Et poſtea: *Actus conjugii hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora & perturbat, & animam ipſam carnalem quodam modo facit.* cap. 18. præced. in principio. *Actus conjugalis hominem reddit totum carnalem & ineptum ad divina.* III.) Diſſenſiones, quibus in quæſtione de cœlibatu ſacerdotum adverſarii a ſe invicem ſeparantur: Johannes Major lib. IV. ſent. diſt. 24. q. 2. docet, *jure divino cœlibatum ordinibus eccleſiaſticis adnexum eſſe, at proinde nullam diſpenſationem hic habere locum.* Idem docent Torrenſis libr. II. de dogm. charact. Pererius libr. IV. in Gen. Mich. Medina libr. IV. de continent. controv. 2. &c. ſed Thomas II. 2. quæſt. 88. art. 11. docet, *non ex jure divino, ſed ex ſolo eccleſiae decreto votum continentiae eſſe ordinibus ſacris adnexum.* Idem ſtatuunt Cajetanus in opuſculis tom. I. tract. 27. ubi ſcribit, *nulla ratione probari poſſe, ordinem ſalutis omnibus legibus & ſtando tantum his, quae a Chriſto & apoſtolis habemus, etiam impeditivum matrimonii.* Dominicus Sotus lib. VII. de juſtitia q. 6. art. 2. ut & q. 5. art. 3. (*) Petrus a Soto in confutat. Wirtenb. conf. & in inſtit. ſacerd. lect. V. de matrim. Joh. Caſpar Rulandus in locis tit. XVI. Gregorius de Valent. tom. IV. diſp. 9. quæſt. 5. puncto 5. Coſterus in enchir. cap. 15. ac Bellarminus lib. I. de clericis cap. 18. lib. I. de matrimon. ſacram. cap. 21. &c. Illi ipſi vero, *qui jure poſitivo* cœlibatum ſacris ordinibus adnexum eſſe ſtatuunt, invicem diſſentiunt; quidam enim revocant hujus conſtitutionis originem *ad apoſtolorum*

3.) *Diſſenſiones.*

(*) Lombardus lib. IV. ſent. diſt. 34. & 37. Durandus lib. IV. ſent. diſt. 37. q. 1. & alii ex ſcholaſticis, Alb. Piggius controv. V. Claudius Eſpencæus lib. I. de continent. ſacerd. c. 3. quod congruit etiam juri canonico c. *Sors &c.* 26. q. 2. *Copula ſacerdotalis nec legali, nec evangelica vel apoſtolica auctoritate prohibetur, eccleſiaſtica tamen lege penitus interdicitur.* GERHARDVS.

lorum usque tempora, ut Dominicus Sotus, quem sequitur Bellarminus d. l. sic scribens: *Verissimam puto, quod Sotus docet, decretum hoc, quo votum continentiae est adnexum ordinibus, non quidem proprie divinum esse, sed tamen esse apostolicum, & in tota ecclesia a temporibus apostolorum longo tempore esse servatum.* Quidam vero apostolorum & primitivae ecclesiae apostolis proximae temporibus conjugium Sacerdotibus adhuc liberum fuisse agnoscunt, & ab ecclesia sequente demum ipsis prohibitum. Cusanus epist. II. ad Bohemos: *Consequenter in nov. test. visum est post aliquot tempora irrationale fore, quod in sacris ordinibus existentes contraherent.* Clichtovaeus putat legem continentiae impositam clericis *primum a Siricio* circa annum 390. (cui propterea succenset Bellarminus lib. I. de clericis cap. 19. §. Ex hac.) Clichtovaeo consentit glossa juris canonici c. *Cum in praeterito &c.* dist. 84. in verbo *antiquitas*: *a tempore Siricii vocat antiquitatem.* Polydorus Virgilius lib. V. de rer. inv. cap. 4. *jus matrimonii sacerdotibus restituit suadet*; agnoscit igitur primis ecclesiae temporibus illud jus ipsis adhuc integrum fuisse. Costerus in enchir. in cap. de coelib. *Antiquissimis ecclesiae temporibus, viventibus adhuc apostolis, & post apostolos aliquot adhuc annos admissi fuerunt ad sacros ordines viri conjugati non quidem promiscue, sed electi, qui uneam tantum duxissent uxorem, eamque virginem.* Claudius Espensaeus episcopus in comm. Tit. I. *Multis annorum centenariis post apostolos ecclesia primitiva defectu coelibum sacerdotes habuit maritos.*

Bellarmini sententia.

§. CCCXLVIII. Sed missis caeteris cum Bellarmino agamus. Is statuit decretum illud, quo coelibatus ordinibus sacris adnexus est, *non proprie divinum esse, sed tamen esse apostolicum, & in tota ecclesia a temporibus apostolorum longo tempore servatum.* Atqui 1.) quomodo hanc adsertionem suam conciliare poterit Bellarminus cum capitulis quibusdam juris canonici? cap. *Sors &c.* causa 26. q. 2. *Copula sacerdotalis nec legali nec evangelica vel apostolica auctoritate* (nota) *prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* cap. *Quoniam &c.* dist. 31. *Quoniam in Romani oraine canonis esse cognovimus traditum, eos, qui ordinati sunt diaconi vel presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes canonem apostolicae diligentiae & constitutiones sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes &c.* cap. *Cum igitur &c.* 35. q. 1. *Ecclesia post apostolica instituta quaedam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.* cap. *Cenomanensem &c.* dist. 56. *Legitima conjugia sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant &c.* Si coelibatus sacerdotum jure apostolico fuisset definitus, utique etiam copula sacerdotalis apostolica auctoritate prohiberetur, nec unquam in nov. test. conjugia sacerdotibus fuissent licita. Atqui contrarium constat non solum ex capitulis citatis, sed etiam ex historia synodi Nicaenae, in qua Paphnutius martyr obtinuit, *ut illi, qui uxores duxerant ante susceptum sacerdotium, a conjugali cum eis consuetudine minime arcerentur, qui vero in clerum adscripti erant, antequam uxores duxissent, hi deinceps a nuptiis abstinere jussi secundum veterem ecclesiae traditionem*; ubi notandum, quod traditio duntaxat ecclesiae, non autem apostolica quaedam constitutio pro coelibatu sacerdotum adferatur. 2.) Quomodo conciliare eam poterit cum illis, quae ipsemet postea subjungit cap. 21. resp. ad ultimum, ubi ad capitulum: *cum igitur* 35. q. 1. respondet, *sensum ejus esse bonum & quidem eum, quod ecclesia imposuerit clericis continentiam praecepto servandam, quae alioquin solum erat consilium perfectionis.* Quaero enim ex Bellarmino, quid hoc loco per ecclesiam intelligat? certe apostolos intelligere nequit, quia Gratianus diserte dicit, *ecclesiam post apostolica instituta quaedam consilia perfectionis addidisse*; fateri igitur cogitur, apostolorum tempore coelibatum fuisse in libertate adhuc positum, sed a sequentis temporis ecclesia praecepto fuisse clericis impositum. 3.) Quod-

3.) Quodnam discrimen statuet Bellarminus inter *jus divinum & praeceptum apostolicum*? Quæ apostoli ex mandato Dei præceperunt, ea etiam sunt juris divini, mediate scilicet promulgati: quando apostolus dicit 1. Cor. VII. 25. *de virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do*; non distinguit inter jus divinum & præceptum apostolicum, sed inter jus divinum & consilium apostolicum, ad circumstantias illorum temporum adcommodatum. Manet interim certissimum, quod omne illud, quod apostoli loco Dei præceperunt, sit jus ac præceptum divinum, quippe ab immediata Spiritus sancti inspiratione profectum. Matth. XXVIII. 20. Rom. XV. 18. 2. Cor. V. 20. Sibi ipsi igitur Bellarminus contradicit, quando negat, *jure divino cœlibatum sacris ordinibus adnexum*, & tamen *ex divinis literis*, hoc est, juris divini tabulis demonstrare conatur, sacerdotes oportere esse cœlibes. Certe si hic esset sensus canonis illius apostolici: ἐπίσκοπον δεῖ εἶναι ἐγκρατῆ, quod episcopus a conjugio penitus abstinere debeat, utique cœlibatus non solum apostolico præcepto, sed etiam jure divino episcopatui foret adnexus, quemadmodum divini juris sunt reliqua omnia, quæ in episcopo ibidem requiruntur. Sed prius adserit Bellarminus. Ergo non debet negare posterius. 4.) In eo quoque Bellarminus sibi contradicit, quod in libro IV. de notis eccles. c. 9. cum Vigilantii hæresi nostram in hac quæstione sententiam conjungit, *Vigilantius* (inquiens) *docuit, ecclesiasticos debere esse uxoratos, idem docent nunc sectarii &c.* sed lib. I. de clericis cap. 19. inter Vigilantii hæresin & nostram sententiam aperte distinguit: *Duo*, inquit, *refutandi sunt errores, unus Graecorum, alter Lutheranorum. Prior est oportere clericos, antequam ordines sacros suscipiant, uxores ducere, quem errorem constat expresse Vigilantium docuisse. Posterior error longe gravior est, non solum licere ante ordinationem, sed etiam post ordinationem uxorem ducere, quod docuit Wiclefus, quem secuti sunt Lutherani.* At si diversus est in hac quæstione error Vigilantii & Lutheri, quomodo idem omnino cum Vigilantio docent Lutherani? Si Vigilantius docuit, oportere clericos uxores ducere, quomodo illius error tribui potest Lutheranis docentibus, licere clericis uxores ducere, aliud est conjugii *necessitas*, aliud *libertas*. Pontificii in clericis propugnant cœlibatus necessitatem, Vigilantius conjugii necessitatem, nos medium tenentes cœlibatus libertatem propugnamus.

§. CCCXLIX. Ex scripturis Bellarminus producit hæc fundamenta. 1.) *Paulus* Tit. I. *Oportet, inquit, episcopum esse hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, ubi notandum pro eo, quod nos habemus sobrium, graece esse σώφρονα, quod, ut Hieronymus in hunc locum dicit, ambiguum est & prudentem, sobrium, castum significare potest, hoc autem loco significat castum. Quia vero castitas etiam conjugatis communis est, ideo apostolus addit etiam continentem, quod ibidem Hieronymus exponit ab uxoris amplexibus.* Resp. 1.) Si ex præcepto apostolico episcopi ab uxoribus abstinere tenentur, utique cœlibatus jure divino erit ministerio adnexus, quæ enim apostolus hoc in loco præscribit episcopis, ea sunt juris divini. 2.) Apostolus in hoc ipso loco *unius uxoris maritum & filios habentem* ad episcopatum admittit; quomodo igitur cœlibatum in episcopo præcise & absolute requirere dicendus? 3.) Bellarminus incurrit anathema concilii Tridentini discedendo a vulgata versione, quæ σώφρονα reddidit *sobrium*. 4.) Ambrosius σώφρονα vertit *prudentem*. Erasmus monet, notari *sobrium & sanae mentis, ut intelligamus animum sibi praesentem, & nullis temulentum cupiditatibus.* 5.) Ἐγκρατὴς, ut late ostensum fuit superius, significat eum, *qui se continentem gerit in cibo, potu, usu conjugii &c.* qui refrenat adfectus, qualem ἐγκράτειαν in conjugio locum habere, ibidem docuimus ex Eccles. XXVI. 20. Gal. V. 22. 2. Petr. I. 6. 6.) Si in conjugio est castitas, quod Bellarminus

Argumenta
1.) *ex scriptura sacra*
1.) *Tit. 1. episcopum oportet esse continentem.*

concedit, utique etiam ἐγκράτεια. Viciſſim ſi piis conjugibus abſolute & ſimpliciter denegatur ἐγκράτεια, quomodo erit τίμιος ὁ γάμος καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος? 7.) Quemadmodum igitur Tit. II. 5. adoleſcentulæ maritatæ jubentur eſſe σώφρονες καὶ ἁγναὶ, *prudentes & caſtae*; ſic hoc loco apoſtolus epiſcopum vult eſſe σώφρονα καὶ ἐγκρατῆ, *ſobrium, ſive prudentem & continentem*; quorum utrumque in conjugatis locum habere poteſt.

2.) 2. Tim. II. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.*

§. CCCL. II.) Idem apoſtolus 2. Tim. II. *Labora*, inquit, *ſicut bonus miles Chriſti, nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Hic apoſtolus praecipit epiſcopo, ut ſtrenue militet Deo, deinde dicit, non poſſe eum bene militare Deo, ſi ſe implicaverit negotiis ſecularibus, qualia certe eſſe nuptias nemo negare poteſt, nam ut docet Baſilius in proaem. conſtit. monaſt. nuptiae pedicae ſunt.* Reſp. 1.) In textu graeco non additur τῷ θεῷ, ſed generaliter dicitur, ἐδελοστρατευόμενος. *Nemo militans.* 2.) Loquitur igitur apoſtolus *de milite proprie ſic dicto*, non de clerico *ſpirituali milite.* 3.) Per πραγματείαν βίου intelligit non moderatum uſum eorum, quae ad vitae ſuſtentationem neceſſaria ſunt, ſed negotiationes, mercimonia, & alia, quae cum militia non poſſunt ſimul conſiſtere, ut ſit ſenſus, unumquemque debere τὰ ἴδια πράττειν, & quae vocationi ſunt impedimento, ab iis ſtudioſe abſtinere; ſicut miles ſimul ac imperatori nomen dedit, relictis vitae negotiis ac mercimoniis militiam ſectari, & imperatoris nutui ſe adcommodare cogitur, nec ita intentus eſt rei familiari, ut praecipuam militiae ſuae vocationem negligat. 4.) Si per negotia ſecularia intelligeretur *conjugium*, conſequens foret omnes milites debere eſſe coelibes, ac neminem poſſe eſſe militem, niſi ſit coelebs. 5.) Si de ſpirituali milite dictum apoſtoli acciperetur; conſequens foret, neminem ſpiritualem militem eſſe poſſe, ac ſub vexillo Chriſti pugnare, niſi idem ſit coelebs, ſicque conjugati non poſſent eſſe ſpirituales milites Chriſti. At cur apoſtolus panopliam ſpiritualem etiam conjugatis adcommodat, Epheſ. VI. cur jubet conjugatos *reverti ad conjugalem conſuetudinem, ne tentet eos ſatanas*, 1. Cor. VII. 5. ſi ſpiritualis militia in conjugio non habet locum? Recognoſcat Bellarminus ſua verba ex lib. V. de pontifice cap. ult. §. quinto objicitur: *Dicuntur haec* (inquit) *a Paulo tam epiſcopo, quam aliis hominibus, omnes enim laici, etiam reges milites Chriſti eſſe debent.* En hominis vertiginem, ut conjugii jure epiſcopos ſpoliet, hoc loco textum apoſtolicum ad ſolos epiſcopos reſtringit: ſed quando locum illum urgemus contra epiſcopos ſecularia judicia exercentes, ad omnes chriſtianos eum refert. (*) 6.) Jubet apoſtolus, epiſcopum *domui ſuae bene praeeſſe*; quomodo ergo vult eum ſimpliciter ab omnibus hujus vitae negotiis abſtinere? Virtutes ad miniſterium neceſſarias in eo locum habere concedit, *qui eſt unius uxoris vir, & liberos habet honeſte educatos*; quomodo igitur ad negotia ſecularia militi ſpirituali prohibita conjugium referri poteſt? 7.) Si conjugium pertinet ad negotia ſecularia, ergo patriarchae, prophetae & apoſtoli, qui plerique omnes in conjugio vixerunt, fuerunt ſeculares. (**) 8.) An vero epiſcopi pontificii non implicant ſe negotiis ſecularibus, quando politicam jurisdictionem exercent, ſplendorem plusquam Perſicum oſtentant, canes ad venatum alunt &c. Audiatur hac de re Aonius Palearius teſt. VI. in action.

adv.

(*) Ibidem dicit, per πραγματείας τοῦ βίου *nihil aliud intelligi quam curam victus, & proinde negotiationes & mercimonia.* At conjugium non eſt ex ordine ſollicitudinum victus, nec cogitur ſacerdos propter familiam negotiari, contentus ſtipendio, ut militibus Johannes praecipit, quod benevolentia auditorum eo liberalius ſuppeditabit, quo minus curis domeſticis vacare poteſt. GERHARDVS.

(**) Temporalis jurisdictio eſt res ſecularis, nihilo tamen minus Bellarminus lib. V. de Rom. pont. cap. 9. & ſeq. diſputat *non repugnare, pontificem ſimul eſſe principem ſpiritualem, & temporalem jurisdictionem habere.* GERHARDVS.

adv. pontifices p. 93. *Quasi vero* (inquit) *regnis inhiare, tyrannidem exercere, bellum conflare, hos atque illos detrudere de regnis avitis, in his spurios suos collocare atque cognatos, excitare reges, advocare caesares, conducere externas nationes, permiscere omnia, perturbare bello provincias christianas ob regnum obtinendum, agere internunciis legationibus ultro citroque negotia secularia non sint? Sed quia haec sunt sanctissimorum pontificum Romanorum propria, ad ea venio, quae sunt eorum adsectarum. Quasi vero ambitione titillari, subviridis pilei & rosei desiderio ardere, & primam cathedram in ecclesia adpetere, in fastu illo per urbem incedere, palatia exaedificare ad memoriam, piscinas & septa ad gulam, equos alere & canes ad voluptatem, & sexcenta parare, ut in omni luxu vivant, negotia secularia non sint?* 9.) Dicterio illi, quod nuptiæ sint *pedicae*, opponimus institutionem conjugii, in qua uxor ipsius Dei ore adpellatur *viri adjutorium*. Gen. II. 18. Prov. XIV. 1. Quod non intelligendum est, eam *in re familiari* quidem esse levamentum, sed *in vita spirituali* obstaculum & impedimentum, quia nec Rebecca Isaaco, nec Elisabetha Zachariæ pietatis impedimentum fuit, & Nazianzenus matrem suam hoc nomine commendat, quod patri episcopo fuerit *non solum adjutrix, sed etiam dux ad pietatem*. Itemque quod Chrysostomus serm. in evang. *Nuptiae factae sunt*, negat nuptias esse aliquod pietatis & sanctitatis obstaculum: *Dominus* (inquit) *nuptiis interfuit, & tu nuptias arguis, & dicis, nuptias ad pietatem obstaculum esse? nullum enim ad pietatem est obstaculum*. Homil. LVI. in Matth. *Prophetae quidem omnes & uxores & domos habebant, sicut Esaias & Ezechiel, & eximius ille Moses, & nihil hinc virtuti eorum fuit impedimento*. Homil. VII. in epist. ad Hebr. *Quomodo honorabiles sunt nuptiae, & torus immaculatus, si nos tantopere impediunt? quid ergo? possibile est & valde possibile, etiam habentes uxores virtutem adgredi, si voluerimus, quomodo? si habentes tanquam non habentes simus. Si non gaudeamus in his, quae possidemus, si mundo utamur tanquam non utentes. Si autem aliqui impediti sunt ex nuptiis, sciant, quoniam non nuptiae illis impedimentum fuerunt, sed voluntas, quae male utitur nuptiis. Nam nec vinum facit ebrietatem, sed mala voluntas & excessus moderationis. Vtere cum moderatione nuptiis, & primus eris in regno, & omnibus frueris bonis.* 10.) Cum Paulus uxoribus tribuat τὸ οἰκοδεσποτεῖν 1. Tim. V. 14. ac Salomon adferat, prudentem mulierem *aedificare domum*; Prov. XIV. 1. utique pia uxor episcopo poterit esse adjutorium, per quam multis curis domesticis & negotiis secularibus exoneretur. (*)

§. CCCLI. III.) *Idem Apostolus* 1. Cor. VII. *jubet conjugatos vacare ex consensu ad tempus ab opere nuptiarum, ut orationi instare possint, ex quo per bonam conscientiam deducit Hieronymus in Tit. I. & lib. I. in Jovin. eum praecipere episcopis & aliis hominibus sacratis, ut perpetuo a nuptiarum opere vacent, cum quotidie orationi insistere debeant. Eodem argumento utuntur Origenes homil. 23. in Num. & Epiphanius in haeres. Catharorum.* Resp. 1.) Nequaquam apostolus praecipit conjugatis abstinentiam ab opere nuptiarum hoc sensu ac fine, quasi preces usu conjugii impediantur, vel coinquinentur, quomodo enim orationem impediet ac inquinabit, quod est *sanctum, mundum, ac honorabile*? 1. Cor. VII. 14. 1. Tim. II. 15. Tit. II. 4. Hebr. XIII. 4. quod cum timore Dei, dilectione & fide consistit? 1. Tim. II. 15. quod est sancta Dei ordinatio? &c. Quinimo Petrus jubet viros

3.) *1. Cor. VII. ut orationi instare possitis.*

Bb 2 συνοι-

(*) Bellarminus de sacram. matrim. cap. 2. & 32. *Conjugii essentiam* collocat *in ratione sacramenti, & propterea judici laico ejus cognitionem* subtrahit, *quia res sit spiritualis: ipsos etiam actus conjugales, seu commistionem corporum ad magnum mysterium & significationem unionis Christi & ecclesiae* refert Innocentius III. in cap. debitum de bigam. quomodo igitur conjugium erit res secularis? GERHARDVS.

συνοικεῖν *cohabitare secundum scientiam mulieribus, ne impediantur orationes ipsorum*; 1. epist. III. 7. ergo eo modo cohabitari potest uxori, ut oratio non impediatur. Abraham propheta cum pro rege Abimelech intercederet, Gen. XX. non abjecit Saram conjugem suam. (*) 2.) Nec loquitur apostolus *de communibus & quotidianis christianorum precibus*. Si enim sensus esset, eos, qui conjugali consuetudine utuntur, non posse, vel debere orare, quomodo locum haberent illæ regulæ: Luc. XVIII. 1. *Oportet semper orare & non deficere*; Ephes. VI. 18. *Orantes omni tempore in spiritu*; 1. Thess. V. 17. Ἀδιαλείπτως, *sine intermissione orate*? Certe si de communibus & quotidianis precibus apostolus loqueretur; omnibus a matrimonio foret abstinendum, ac nemo in conjugio salvari posset, quia cui invocatio, eidem etiam fides & Spiritus sancti inhabitatio adimitur Rom. X. 13. 3.) Loquitur igitur de *solennibus orationibus*, quæ vel ob insignem aliquam publicam, vel domesticam calamitatem, vel ob ministros ecclesiæ deligendos, vel ex alia quadam causa suscipiebantur, in quibus cum propheta Joele II. 16. monendum ac suadendum, *ut sponsus de thalamo suo & sponsa de cubili suo egrediatur*, & ex Zach. XII. 12. *ut familiae plangant seorsim, ac mulieres earum plangant seorsim*. Tales publicæ & solennes orationes in aliquot dies producebantur: in illis, ut conjuges a congressu conjugali sibi temperent, apostolus suadet, non quod consuetudo conjugalis in se ac per se sit illicita, & preces impediat, vel inquinet, sed ut ceteris negotiis omnibus posthabitis se totos dedere possint studio pietatis, ardori precum & interiorum adfectuum culturæ. Veteres enim talibus temporibus non tantum licitas delicias a se abdicabant, sed etiam a necessariis, cibo, potu, somno, negotiis &c. abstinebant. 4.) Hanc interpretationem nostram probat ipse contextus, neque enim dicit apostolus: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus*, ut orare possitis, sed ἵνα σχολάζητε, *ut vacetis orationi*; intelligitur ergo peculiaris & solennis oratio, quæ fit majori intentione, animo ab omnibus externis interius revocato. Idem manifestius evadit ex eo, quod additur, *ut*

(*) Notentur igitur sequentia: 1.) Paulus Spiritu Dei illuminatus, hanc consequentiam ex suis ipsius verbis nectendam noverat, & tamen non obstante qualicunque ratiocinatione, unius uxoris viro tribuit dona omnia, quæ in fideli & perfecto episcopo requiruntur. 2.) Contradicit sibi Bellarminus dum conjugium prædicandum censet *tanquam rem bonam*, & tamen precibus & rei sacræ contrarium statuit. Quod hominem a precibus & per consequens a vita æterna avertit, non potest in theologia dici *bonum*. 3.) Abraham, pater credentium, Moses, qui cum Deo a facie ad faciem locutus est, Aaron & omnes summi sacerdotes, qui quotidie serviebant coram Domino, David, qui mane surgebat ad laudes Domini, & vesperi illis indormiebat, nec media nocte beneficiorum divinorum oblivisebatur, Psal. XCII. & prophetæ innumeri conjuges habuerunt, & tamen debitum precum Deo persolverunt, ac tam grata laudum holocausta ipsi obtulerunt, ut cum illis omnia monachorum murmura ne minima quidem ex parte comparanda sint. 4.) Confundit Bellarminus actus conjugii cum conjugio ipso. *Matrimonium*, inquit, *impedit munus sacrificandi, studium orationum &c.* mox ubi ad probationem deveniendum, *operi nuptiarum & actui conjugii* pollutionem & depressionem spiritus adscribit. Ab actu vero conjugali adi conjugium non valere consequentiam ipse contra Clichtovæum dixit lib. I. de clericis cap. 18. & Paulus hoc loco aperte innuit. Non enim propter preces & jejunia dissolvit contractum conjugii, sed actum tantum sustulit ad tempus, quo exacto jubet eos iterum convenire &c. 5.) *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis*, inquit Augustinus de bon. conjug. cap. 16. Sicut ergo precibus nequit intentum habere animum, qui curis conjugii sese dedidit, aut cupidini nimis indulget; ita nec qui victui conquirendo totus incumbit, aut ultra satietatem adpetitui indulget, nec tamen cibus & potus propterea condemnantur in sacerdotibus, nisi si vacandum sit jejunio. Alias si conjugium propterea repudiandum, quia dum ejus opera quis exercet, preces fundere nequit, nec edendum erit, nec bibendum, imo nec jus dicendum, nec pharmaca ægrotis miscenda, quia dum hæc agimus, sacris vacare non possumus. Alex. Carerius, jurisconsultus pontificius, lib. III. de sponsa & matr. cap. 3 fol. 142. *Non ea ratione, quia semper orandum est, ut putat Hieronymus contra Jovinianum lib. I. cap. 19. sacris ordinibus continentiae votum adnexum est, siquidem habitu, non actu semper orandum est, quod conjugari quoque efficere valent.* Gerhardus.

ut vacetis orationi & jejunio, intelliguntur ergo preces illæ solenniores, quæ cum jejunio erant conjunctæ. Chrysostomus homil. XIX. in 1. Cor. τὴν μετὰ πλείονος σπουδῆς προσευχὴν ἐνταῦθα λέγει, *eam quae fit majori studio orationem intelligit.* (apostolus) *Si enim orare prohibet eos, qui inter se conveniunt, sine intermissione orare quomodo tempus habuerit? Licet ergo & cum uxore habere consuetudinem, & adtendere orationi, sed per continentiam ea fit exactior,* ἀκριβεστέρα γίνεται. *Non enim dixit absolute, ut oretis, sed* vacetis, *utpote quod res procreet privationem otii, sed non immunditiam,* ὡς ἀχολίαν ἐμποιοῦντος τῷ πράγματος, ἀλλ' οὐκ ἀκαθαρσίαν. Idem repetit Theophylactus in comm. h. l. Ambrosius ibidem: *Quamquam sine intermissione orandum sit, meditatio enim haec omni die facienda est, tamen ut orationi insistatur, huic rei vacandum praecipit interpositis temporibus ad Dominum promerendum. Vt enim misereatur, mundius exorandus est. Quamvis munda sint conjugia; tamen a licitis etiam abstinendum est, ut facilius ad adfectum deducatur oratio.* Refero huc locum pulcerrimum ex Brentio in apol. confessionis Wirtemb. p. 688. *Loquitur apostolus non de privata, sed de publica precatione. Nam & Paulus protrahebat Troade sermonem usque ad mediam noctem. Et postea christiani in exspectatione periculorum solebant noctu convenire, ac salutem suam Domino publicis precibus commendare; unde & vigiliarum nomen deductum est, & meminerunt Tertullianus ac Plinius antelucanorum coetuum, quibus christiani soliti sint ante lucem convenire, carmenque Christo dicere. Cum igitur Paulus hortatur, conjuges ad tempus abstinere, ut vacent precationi, loquitur de hac publica precatione, quae noctu in conventu ecclesiae fiebat. Nam ut liceret hunc conventum visitare suis temporibus, & preces suas cum ecclesia publice conjungere, necessarium erat, ut conjuges interea temporis a concubitu abstinerent. Quod autem ad domesticam & privatam precationem adtinet, conjugium multo plures & majores adfert occasiones invocandi Deum & gratias Deo agendi, quam caelibatus. Christus & Paulus docent, semper ac sine intermissione orandum esse: ad hoc praestandum juxta veram ejus sententiam pii conjuges nunquam non suam habent opportunitatem, nunc enim periclitantur de fama, nunc de facultatibus, nunc de liberis, nunc de persecutione, nunc de aliis incommodis. Semper igitur habent, quo adtollant corda & capita sua ad invocandam caelestem opem. Interea autem si quid beneficiorum a Deo acceperint, si ex ipsorum conjugio & mutuo tam erga se invicem, quam erga liberos adfectu admoneantur de adfectu Dei Patris erga ipsos ut sponsum seu ut membra ecclesiae suae, quanta haec est occasio laudandi nominis divini & gratias agendi ipsius clementiae? 5.)* Est igitur in argumento adversariorum fallacia causæ; apostolus enim ab usu conjugali abstinere vel permittit, vel ad summum suadet tempore precum solennium, non quasi preces usu conjugii impediantur, vel polluantur, sed σχολῆς ἕνεκα, ut conjuges rebus aliis minime impediti hoc rerum agere possint; sed pontificii putant, preces ministrorum ecclesiæ impediri penitus, si in conjugio ipsi vivant, ubi observa apostolum, ne eo quidem in casu uti generali aliquo præcepto, sed suasu duntaxat & consilio. *Nolite* (inquit) *fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi;* sed pontificii tantam sibi arrogant potestatem, ut toti ministrorum ordini perpetuam a conjugio abstinentiam imponant.

§. CCCLII. IV.) Ex vet. testam. Bellarminus ea adducit loca, *in quibus continentia ab uxoribus requisita fuit ab iis, qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam sanctam tractaturi erant.* Exod. XII. *praecipitur, ut comesturi agnum paschalem renes suos attingerent, quo significabatur juxta Gregorium hom. XXII. in evang. debere eos carnis voluptatem edomare, qui agnum paschalem comedunt.* Exod. XIX. *cum populus legem a Deo accepturus esset, ait illis Moses:* Estote parati in diem tertium, & ne adpropinquetis uxoribus vestris, *quo testimonio utitur* 4.) *Ex vet. test.*

tur Ambrosius lib. I. de officiis cap. ult. ad probandam continentiam clericorum. Exod. XXVIII. *praecipit Deus, ut Aaron & filii ejus, cum ingrederentur tabernaculum, seminalibus lineis a renibus usque ad femora tecti essent, quo juxta Bedam lib. III. de tabernac. cap. 9. significatum est, debere sacerdotes nov. test. aut virgines esse, aut contracta cum uxoribus fœdera dissolvisse.* 1. Sam. XXI. 4. *noluit Achimelech sacerdos dare Davidi panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset, eum ab uxore aliquamdiu abstinuisse, ex quo Hieronymus in Tit. I. deducit, perpetuam requiri in sacerdotibus continentiam etiam ab uxoribus, qui corpus Christi, quod illo pane propositionis significabatur, conficiunt, edunt, aliisque tradunt. Denique ex* 1. Paralip. XXIV. & Lucæ I. *colligitur, sacerdotes vet. testam. per vices suas ministrare solitos, & toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, a domo & uxore abfuisse, ex quo deducunt Siricius, Innocentius & Beda, quod si illi tempore, quo ministrabant, ab uxoribus abstinebant, omnino decere, ut sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant, semper ab uxoribus se contineant.* Resp. primum in genere, deinde in specie. In *genere* 1.) hæc omnia sunt levitica, quæ non obligant nov. test. ministros, mutato enim *ac denique translato sacerdotio necesse est* mutationem ac *translationem legis fieri.* Hebr. VII. 12. Quod si ergo vel maxime conjugalis consuetudo leviticam aliquam immunditiem adtulisset, quod tamen ex mosaicis legibus non potest demonstrari; tamen nihil quidquam id præjudicaret libertati ecclesiæ in nov. test. Contactus mortui hominis contaminabat juxta legem leviticam vet. test. nihilo tamen minus Ignatius in epistola ad Antiochenos, & Epiphanius in doctrina compendiaria κοπιῶντας, id est, *laborantes* in sepeliendis mortuis referunt inter ordines sacros. 2.) Hæc omnia sunt allegorica. Jam vero *theologia symbolica & allegorica non est argumentativa*, ut loquuntur scholastici, id est, non præbet firmas apodixes. Ex manifesto igitur scripturæ dicto adplicatio illarum allegoriarum ad sacerdotum cœlibatum prius demonstranda esset. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. III. de verbo Dei cap. 3. §. Sed quanquam &c. *Convenit inter nos & adversarios, ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia.* 3.) Si quid efficerent hæc argumenta, obtinerent toto nov. test. & sic ipsius *Christi & apostolorum tempore* cœlibatus fuisset ordinibus sacris adnexus, & *quidem jure divino*, quod tamen Bellarminus non audet adserere, sed ad jus positivum hanc conjugii prohibitionem revocat. In *specie* resp. 1.) Non soli sacerdotes, sed omnes christiani adulti fiunt participes corporis & sanguinis Christi per agni paschalis carnem & sanguinem præfigurati, omnes igitur debent habere *renes accinctos*, id est, domare carnis concupiscentias, sed quid hoc ad conjugii prohibitionem? num in eo non potest locum habere concupiscentiarum carnalium mortificatio? excluſi igitur erunt conjugati ex pronunciato illo apostolico; Gal. V. 24. *Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem cum suis adfectibus & concupiscentiis*, sicque ab ipso Christo excluſi erunt. (*) 2.) Non solis Levitis a Mose præceptum, ut ante promulgationem legis ab uxorum consuetudine abstinerent, sed toti populo. 3.) Per femoralia sacerdotum leviticorum denotetur sane castitas, sed cum castitas etiam conjugatis sit communis, ut in hoc ipso cap. Bellarminus concedit, ideo pro adstruendo perpetuo sacerdotum cœlibatu in femoralibus illis leviticis Bellarminus etiam curiose quærens nihil invenire poterit. (**) Causa hujus

(*) Agnum paschalem comedebant non tantum cœlibes, sed & conjugati. Poterant igitur etiam conjugati renes accingere, & quod hoc typo significabatur, carnis voluptatem edomare. Quid enim? num pii conjuges carnis voluptatem non edomant, sed libidinis exercendæ causa cohabitant? an non ipsis quoque dictum, ut possideant vas suum in sanctificatione? &c. Si ex hoc ritu infertur cœlibatus, erit omnibus imperatus, quia omnes jussi erant renes accingere. GERHARDVS.

(**) 1.) Si accessuros ante faciem Domini oportet liberos esse a commixtione uxorum, nemo unquam uxo-

rem

hujus constitutionis de feminalibus lineis sacerdotum non est typica conjugii prohibitio, sed honestatis ac munditiei observatio. Exod. XX. 26. 1. Cor. XII. 23. (*) 4.) Si ex eo, quod panes propositionis non fuerunt dati nisi iis, qui ab uxorum complexibus abstinuissent, recte inferri posset, perpetuam in sacerdotibus requiri continentiam, utique etiam inferri ex eo posset, in omnibus omnino christianis eamdem requiri, cum omnes corpus Christi per panes propositionis præfiguratum perciant. In primitiva ecclesia christiani quotidie communicabant, ut ex eccles. histor. constat, & tamen ministri erant conjugati. 5.) Nulpiam adserit vet. test. historia, vices sacerdotales ideo fuisse institutas, ne consuetudo conjugalis sacerdotes ad ministeria indignos redderet. Quinimo constat ex 1. Par. XXIII. quod vices illæ quadringentis plus minus post Mosen annis a Davide fuerint institutæ, interea temporis sacerdotes semper fuere conjugati. Ipse summus pontifex singulis diebus mane ac vesperi jubebatur Domino offerre sacrificium, Exod. XXIX. 38. & tamen generabat liberos; Num. XXVIII. 3. qua de re tractat Augustinus quæst. LXXXII. in Levit. Nec ulla exstat lex, quæ sacerdotibus prohibeat consuetudinem conjugalem, ac jubeat eos abesse domo propria tempore vicis suæ, neque exstat lex, quod sacerdotes ex domibus suis venientes per aliquod tempus purificandi sint, priusquam templum ingrederentur. (**) Invertimus igitur Bellarmini argumentum. In vet. test. matrimonium ejusque usus concessus fuit sacerdotibus, ac moderatio duntaxat certis temporibus mandata. Ergo idem concedendum ministris nov. test. ne graviore quodam premantur jugo, quam vet. test. sacerdotes. (***)

II.) *Ex historia ecclesiastica.*

§. CCCLIII. *Alteram* argumentorum classem deducit Bellarminus ex conciliis, pontificum decretis, imperatorum rescriptis, ac patrum testimoniis & exemplis. *Resp.* de illis in specie & sigillatim tractat Chemnitius part. III. examin. in cap. de cœlibatu sacerdotum, quem tractatum a se nondum visum Bellarminus adserit, ut etiam Mornæus lib. II. de sacrif. missæ cap. 10. p. 649. In genere monemus, 1.) de his omnibus ex scriptura faciendum esse judicium, ut suo loco evidenter fuit demonstratum. 2.) Si vel maxime sacerdotum cœlibatus conciliorum decretis, & patrum testimoniis stabilitus esset, tamen *ecclesiastica quadam lege* duntaxat niteretur, nequaquam vero *jure divino*, vel *apostolorum instituto*; proinde cum constitutionis hujus incommo-

rem tangere debet, quia omnes ad Deum quotidie oportet accedere. 2.) Moses non tollit contractum conjugalem, sed suspendit tantum actum, quod in suis quoque presbyteris observare potuissent pontificii. 3.) Signa & typi externi vet. test. non sunt trahendi ad libertatem novi, alias purificationes quoque leprosorum & puerperarum reducendæ essent, & sicut Moses jubebatur calceos exuere in loco sancto, sic pontificiis sacerdotibus sanctuarium non esset calcandum nisi discalceatis. 4.) Fallacia est causæ secundum non causam. Præsupponitur abstinentiam ab uxoribus propterea præcipi, quod consuetudo conjugalis inquinet, cum fuerit admonitio de agnoscenda cordis impuritate. GERHARDVS.

(*) Mirum vero, cur typus iste de lineis feminalibus comprehenderit tantum nov. test. sacerdotes & non vet. a quibus gerebatur. Nihil immundum volebat in sanctuarium Moses inferri. Atqui conjugati in eo quotidie versabantur, ergo conjugium non inquinabat, nec immundos homines teddebat. GERHARDVS.

(**) Zacharias in exedris templi manebat, non quod lege juberetur, sed quod in civitate Juda habitaret, & peregre advenisset. Si leviticis sacerdotibus, in quibus tantam puritatem lex exigebat, probrosum non erat, in consuetudine coniugali vivere, quanto minus ea contaminabit ministros ecclesiæ in nov. test. de quibus expresse apostolus dicit: *Constitui presbyteros, si vnius est vnius uxoris vir.* GERHARDVS.

(***) 1.) Nullibi in tota lege mosaica consuetudo conjugalis refertur inter res immundas, propter quam a sacris abstinere conveniat. 2.) Variæ rationes contaminationis a mulieribus traduntur in lege Mosis, utpote in puerperio, in fluxu menstrui, sanguinis &c. 3.) Fluxus purulentus, effusio seminis inopinata immundos reddebant viros usque ad vesperam, nec tamen pontificii a sacerdotio, vel ecclesia arcent. 4.) Contactus cadaveris contaminabat, & tamen officium curandi funera ab Epiphanio & Hieronymo refertur inter sacros ordines. GERHARDVS.

commoda sint manifesta, cum Ænea Sylvio, Georgio Cassandro, & oratore Bavarico concludendum, quod legem illam hisce hominum moribus ac temporibus abolere conveniat. Quo pertinet illa regula Gratiani: *Quando statutum aliquod non amplius aedificat, sed destruit, non est rigide & inclementer defendendum, sed pro ratione aedificationis ecclesiae mutandum.* 3.) Pro adstruendo sacerdotum conjugio conciliorum & patrum dicta, ecclesiæ primitivæ exempla, quin & propriam adversariorum confessionem produximus paulo superius. 4.) Quamvis pontificum decretis & particularium conciliorum statutis cœlibatus satis mature ordini ministrorum obtrusus fuerit, tamen diu illis fuit reclamatum, præsertim in Germania, ut supra fuit demonstratum. 5.) Provincialium synodorum, Neocæsariensis scilicet, Romanæ, Elibertinæ, Arelatensis secundæ, & Ancyranæ canones, qui ministrorum ecclesiæ conjugiis adversi, per Nicenam œcumenicam synodum fuere repressi, in ea siquidem Paphnutius martyr ostendit, *presbyteris conjugatis usum conjugii non esse lege prohibendum, cum scriptum sit: Honorabile matrimonium in omnibus.* 6.) Si in specie conciliorum & patrum testimonia a Bellarmino adducta excuterentur, manifestum fieret, quædam esse depravata, quædam suppositicia, quædam ad temporum illorum conditionem aptata, quædam ex humanis præsumtionibus & seculorum istorum erroribus orta ac Dei verbo repugnantia.

III.) *Ex ratione.* §. CCCLIV. *Vltimam* argumentorum classem deducit Bellarminus ex ratione: „Conjugium vehementer impedit ecclesiastica munera. Ergo aequum fuit, ut sacerdotibus „conjugia prohiberentur. Antecedens probatur. Ecclesiasticorum munera sunt sacrificare, orare, docere, exhortari, sacramenta ministrare, & curam pauperum gerere. „At matrimonium impedit 1.) munus sacrificandi, quia summa quædam puritas & sanctitas in eo requiritur, in actu vero conjugii „negari non potest, quin admixta sit quædam „impuritas & pollutio, non quæ peccatum sit, „sed quæ ex peccato tamen nata. 2.) Studium orationis & lectionis, in quo sacerdos „adsidue versari debet; oratio enim requirit „mentem elevatam, purgatam & tranquillam, „sed actus conjugii maxime hebetat aciem „mentis, & deprimit ad inferiora, & animam ipsam quodammodo carnalem facit. 3.) „Efficaciam prædicationis; quomodo enim efficaciter exhortabitur virgines & viduas, qui „liberis perpetuo operam dat? 4.) Curam pastoralem; nam qui uxorem & liberos habet, „de illis semper cogitat, & adfectus, quo „oves suas prosequi deberet, in uxore & filiis „totus consumitur. 5.) Curam pauperum & „hospitalitatem ac benignitatem; nam qui „uxorem & liberos habet, debet eis thesaurizare, & raro inveniuntur conjugati, qui „superfluum habeant. Adde quod cum clericus „non possit suis relinquere beneficia, & tamen „omnis pater cupiat bene prospectum filiis suis, „cogerentur esse avarissimi & vendere sacramenta. 6.) Sacramentorum administratio„nem; tunc enim vix distinguerentur clerici „a laicis, & esset sicut populus, sic sacerdos. „Inde cum tempore Gregorii VII. sacerdotes in „Germania cœpissent uxores ducere, tantus „contemtus sacramentorum secutus est, ut „passim laici sacramenta administrarent, refe„rente Nauclero.„ *Resp.* primum in *genere*: 1.) Argumenta hæc aut efficiunt, sacerdotes conjugatos plane non posse sacrificare, studio orationis ac lectionis incumbere, efficaciter prædicare, curam pastoralem erga auditores, & erga pauperes liberalitatem exercere, ac sacramenta prædicare; aut hoc duntaxat probant, sacerdotes conjugatos in illis sacerdotalis officii operibus impedimentum aliquod ex conjugis & liberorum cura sentire, nec tam ἀπερισπάστως καὶ ἀνεμποδίστως in eis versari, atque cœlibes. Si prius; injurius est Bellarminus in patriarchas, prophetas & apostolos, quorum plurimi in conjugio vixerunt, ac nihilo tamen minus ecclesiæ ministerio functi sunt. Si posterius; hoc duntaxat obtinet, quod satius sit, in cœlibatu vivere sacerdotes, quam

quam in conjugio; nequaquam vero, quod sacerdotes nec possint, nec debeant in conjugio vivere. Monendum tamen, quod assertio illa, satius esse in cœlibatu vivere sacerdotes, quam in conjugio, cum temperamento distinctionis 1. Cor. VII. monstratæ sit intelligenda, de illis scilicet, qui continentiæ dono divinitus sunt instructi, de reliquis vero locum habet regula apostolica: *Melius est nubere, quam uri.* Qui enim ustiones sentiunt, tantum abest, ut in operibus ministerii expeditiores sint, ut potius in illis rite ac decenter peragendis impediantur plurimum, & scandalo sint suis auditoribus. Videatur locus ex Cassandro superius adductus. 2.) Deus omnium optime novit, quid conveniat ordini ecclesiastico. Is vero per Paulum apostolum docet, *virum unius uxoris posse esse irreprehensibilem*, & omnibus ad ministerium necessariis instructum. Is conjugatos ad ministerium non semel vocavit, is conjugium apud omnes honorabile & omnibus liberum esse voluit; nota enim ipsi naturæ peccato corruptæ infirmitas, notum ipsi est incommodum illud, quod ex coacto cœlibatu oriri posset facilime, videlicet impuritas, scortatio &c. cujus remedium esse voluit conjugium, & testatur experientia, malum ex coacto cœlibatu longe gravius esse, quam quod ex matrimonio metuendum. 3.) Si conjugium *vehementer* impedit officia ecclesiastica, quare in vet. test. prophetis ac sacerdotibus Deus illud adprobavit? mirum est, Deum in illis, quos peculiari quadam ratione officiis ecclesiasticis voluit esse destinatos, non solum toleraſſe, sed etiam adprobasse id, quod vehementer impedit officia ecclesiastica. Si conjugium est sacramentum, ut pontificii statuunt, quomodo impedit officia ecclesiastica? num sacramentum aliquod potest ecclesiasticis officiis esse impedimento? Deinde *in specie* respondemus: 1.) Sacerdotes vet. test. singulis diebus sacrificarunt, iidem tamen in conjugio vixerunt. Ministrorum ecclesiæ nov. test. sacrificia non sunt alia, quam interna & spiritualia, quæ ipsis cum omnibus christianis (si publicam evangelii prædicationem excipias) sunt communia; omnibus ergo christianis a conjugio foret abstinendum. 1. Pet. II. 9. *Vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias.* Apoc. I. 6. *Fecit nos reges & sacerdotes coram Deo &c.* Quæ de impuritate, pollutione & turpitudine actui conjugali adhærente Bellarminus hic addit, illis opponimus dictum apostolicum, ἡ κοίτη ἀμίαντος, & decretum concilii Niceni, *quod συνασία cum propria uxore sit castitas.* Si ea, quæ secessum & secretum quærunt, impuritatem, pollutionem & turpitudinem coram Deo conjunctam habere censenda essent, de multis naturæ operibus idem dicendum foret. Distinguendum inter actum conjugalem, & vitium ex peccato illi adhærens. 2.) Studium orationis & lectionis in illis, qui uruntur, & a conjugii remedio arcentur, potius impeditur. Quod pios conjuges adtinet, illi *cum tribulationes carnis sentiant*, & plures, & graviores, quam cœlibes; 1. Cor. VII. 28. ideo etiam uberiorem & frequentiorem orationis habent materiam. 3.) Si nemo potest exhortari ad virginitatem, qui non ipse sit cœlebs, utique nec divites episcopi pontificii exhortari poterunt ad paupertatem, cum tamen utrumque ex hypothesi Bellarmini in episcopo requiratur. Quanto rectius Chrysostomus, qui homil. X. in 1. Tim. III. expendens, quare apostolus unius uxoris maritum & filios habentem in episcopum eligat, inter cætera ita commentatur: „Oportebat, ut ex vicino atque re do„mestica virtutis suæ præberet indicia. Quis „enim crederet, illum alienos quosque subje„ctos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Suæ (inquit) domui bene præposi„tum. Hoc & externæ sapientiæ auctores ajunt, „ut, qui rem familiarem suam rite administra„verit, rei quoque publicæ convenienter pos„sit tractare negotia. Est enim ecclesia velut „domus quædam, ac sicuti in domo uxor est, „& filii ac servi, omniumque cura ac regimen „incumbit viro, ita ferme & in ecclesia vi„deas; nihil ibi est aliud, quam filii, & uxores „& servi. Quod si administrationis habet so„cios ecclesiæ rector, habet & domi vir uxo„rem

„rem consortem curarum suarum. At vero in „ecclesia viduarum & virginum alendarum „solicitudo est, habet & domi vir & servos, & „filios. Est autem longe facilius domum, quam „ecclesiam regere. Qui igitur rem familia„rem congrue dispensare nescit, is quo pacto „ecclesiæ præesse convenienter posse putan„dus est?„ Hæc Chrysostomus. Quare cum episcopi officium sit, conjuges, patresfamilias, uxores, liberos, servos sui admonere officii, certe id rectissime facere poterit, qui in œconomia horum ordinum & virtutes didicit, & vitia observavit, nec verbis tantum, sed exemplo etiam suo, ordinibus illis prælucere potest, qui in conjugio pie vivit. Adde & hoc, quod conjugium sit speculum ardentissimi illius amoris, quo Christus, cœlestis sponsus, ecclesiam suam complectitur, Eph. V. 27. hujus in se vivum exemplar & internum testimonium habet is, qui in conjugio pie ac moderate vivit. Sed nec requiritur ab episcopo, ut omnes indistincte hortetur ad virginitatem etiam eos, qui uruntur; sed sufficit unumquemque hortari, ut dono suo recte utatur, & vocationem suam intueatur, ad hoc vero non requiritur, ut in speciali illo statu constitutus sit, in quo vivunt illi, cum quibus res est episcopo, alias nec militem, nec consulem sui admonere posset officii, sed ut pietatis, honestatis ac virtutis exemplo generali omnibus auditoribus præluceat. 4.) Si amor uxoris & liberorum non posset cum cura pastorali consistere, utique etiam is a pastorali officio arcendus foret, qui liberos habet ex conjuge demortua susceptos. Atqui talem ad officium episcopi admissum olim fuisse, non potest negatum ire Bellarminus, cum locum apostolicum 1. Tim. III. ipsemet exponat *de uxoribus, quas ante ordinationem episcopi & diaconi acceperunt.* 5.) Cura pastoralis & pauperum cura probe consistere possunt cum conjugio pio, honesto, ac decenter tractato. ἔνεστι αὐτὸ μετὰ χειρίσασθαι καλῶς εἴ τις βούλοιτο, inquit Chrysostomus homil. X. in 1. Tim. III. distinguendum igitur inter amorem conjugalem honestum ac moderatum, & inter ejus excessum vitiosum. Cœlibatui αὐτάρκειαν & liberalitatem erga pauperes non esse perpetuo conjunctam, multis demonstrari potest exemplis, præsertim monachorum. 6.) Discrimen inter clericos & laicos nequaquam tollitur, si libertas conjugii utrisque communis relinquitur, cum vocatio & functio sacra in publica verbi prædicatione, sacramentorum administratione & aliis ecclesiastici ministerii partibus occupata, evidens inter utrosque discrimen constituat.

An secundae nuptiae in ministro ecclesiae probandae?

§. CCCLV. Atque hæc dicta sint de conjugio ministrorum ecclesiæ, quod nititur expressis verbis apostoli: 1. Tim. III. 2. *Episcopus sit unius uxoris maritus.* Pontificii vim ac robur argumenti nostri ex loco illo apostolico deducti videntes eo abeunt, ut statuant, *verbis illis non probari in episcopis conjugium, sed tantum excludi a ministerio eos, qui priore conjuge demortua nuptias iterarunt,* quos vocant *digamos.* Sed notandum, quod vere & proprie is demum sit *digamus*, qui κατὰ ταυτὸν, *simul ac semel* duas habet uxores, qualis digamia apud populum judaicum in vet. test. & apud gentiles fuit usitata, ac qualem apostolus hoc loco in episcopo improbat. Nequaquam vero digamus est, qui *successive* duas habet uxores, hoc est, qui demortua priore conjuge ad secunda vota transit: 1.) cum nuptiæ iteratæ nusquam in nov. test. prohibitæ legantur; 2.) cumque aliud sit δευτερογαμεῖν, quod in pandectis usurpatur pro eo, quod est secundo uxorem ducere, aliud ἐπιγαμεῖν καὶ διγαμεῖν, quod est priori conjugi adhuc viventi aliam superinducere; 3.) cum is, qui secundam uxorem ducit, non possit maritus uxoris mortuæ dici, quippe a cujus lege per mortem est liberatus; 1. Cor. VII. 39. 4.) denique cum vera & proprie dicta digamia sit conjugio opposita; at successiva illa digamia non est conjugio opposita, cum definitio conjugii eidem competit. Contra pontificii statuunt, *duas* esse *digamiae species*: Prima, quando quis simul habet duas uxores; secunda, quando quis successive duas uxores ducit, & priore conjuge demortua nuptias iterat. Illam omnibus chri-

christianis statuunt prohibitam, hanc specialiter clericis interdictam existimant, ita ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerunt. Porro fictam illam digamiam successivam iterum in tres species subdividunt. Sic enim Bellarminus libr. I. de clericis cap. 24. resp. ad 7. object. scribit: „Tres sunt species bigamiæ, ut interpretes „juris canonici docent in titulum de digamis. „Prima est digamia vera & propria, quæ ex „duobus veris matrimoniis oritur. Contingit „autem tribus modis: primo ex parte viri tan„tum, cum vir habuit duas veras uxores. „Secundo ex parte uxoris tantum, cum uxor „habuit duos veros maritos. Tertio ex parte „utriusque, cum viduus viduam ducit. Se„cunda est digamia interpretativa, id est, quæ „vere ex natura rei non est digamia, sed juris „interpretatione habetur ac reputatur digamia. „Contingit autem hæc digamia, quotiescun„que aliquis ducit secundam uxorem, aut uxor „secundum virum de facto, non de jure, sive „primum conjugium de jure, sive tantum de „facto fuerit. Tertia species est digamia me„taphorica, quæ consurgit ex duplici conjugio, „quorum alterum non verum, sed metapho„ricum fuit. Sic enim concilium Ancyra„num can. XIX. inter digamos haberi jubet „eos, qui post votum continentiæ ad matri„monium transierunt, siquidem votum conti„nentiæ genus est matrimonii, animæ cum „Deo, licet metaphoricum.„ Hæc Bellarminus, addens, *licet illi, qui unam uxorem legitime duxerunt, & alteram non legitime, itemque illi, qui post votum solenne unam uxorem ducunt, vere non sint bigami, tamen ecclesiam* (id est, pontificem in jure canonico) *pœnam bigamorum etiam ad illos extendere voluisse.* Ad successivam & interpretativam illam digamiam referunt etiam illud, quando quis ducit fornicariam, vel alio modo corruptam, *quando autem fornicarius ducit virginem, id negant esse bigamiam*, in quo conciliando plurimum laborat Bellarminus.

Argumenta nostrae sententiae.

§. CCCLVI. Hisce ita expositis sententiam nostram complectimur hac propositione: Vera & proprie sic dicta digamia, qua quis simul habet duas uxores, & clericis & laicis, adeoque omnibus christianis in nov. test. est prohibita: sed interpretativa & successiva digamia, qua quis vel viduam ducit, vel demortua priore conjuge nuptias iterat, nec clericis, nec laicis est prohibita, proinde non sunt a ministerio arcendi, qui vel viduam ducunt, vel qui defuncta priore conjuge aliam legitime sibi adsociant. De priore propositionis parte in loco de conjugio agetur, posteriorem demonstramus sequentibus fundamentis: I.) Iteratæ nuptiæ post obitum conjugis aut sunt per se piæ & legitimæ, aut per se turpes & inhonestæ. Si prius, perperam prohibentur ecclesiæ ministris. Si posterius, nulli christianorum concedendæ. Jam vero nuptiæ post conjugis prioris obitum *in Domino* iteratæ sunt per se piæ & legitimæ. Rom. VII. 2. *Quae sub viro est mulier, vivente viro adligata est legi, si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Idem judicium est de viro, ex natura relatorum. 1. Cor. VII. 39. *Mulier adligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberæ est, cui vult, nubat, tantum in Domino.* 1. Tim. V. 14. *Volo juniores viduas nubere.* Ergo iteratæ nuptiæ post obitum prioris conjugis nemini sunt prohibendæ. Excipiunt pontificii, 1. Tim. III. 2. *specialiter ab episcopis requiri, ne successive fuerint digami.* Sed de hoc loco paulo post agetur. Hic unicum illud pro secundarum nuptiarum, sive successivæ digamiæ defensione adducimus: Cui competit legitimi conjugii definitio, illud non potest conjugio opponi. Digamiæ successivæ competit definitio legitimi conjugii, ut constat. Ergo non potest conjugio opponi. *Major* est manifesta, quia definitio unius oppositi nunquam tribuitur alteri.

1.) *Ex iteratarum nuptiarum permissione.*

2.) *Ex earumdem in certis personis necessaria concessione.*

§. CCCLVII. II.) Idem apostolus in genere præscribit & ἀγάμοις & viduis, *bonum ipsis esse, si sic permanserint*; sed si *se non continent, matrimonium ipsis ineundum esse, cum melius sit nubere, quam uri*; 1. Cor. VII. 8. & 9. ex quo sic colligimus: Quicunque post primas nuptias continere non possunt, hoc est, qui donum continentiæ non habent ex Deo, ut v. 7. apostolus loquitur, illis non solum permissum, sed etiam præceptum est, ut matrimonio iterum utantur. Sed eadem repetendi matrimonii causa in personis ecclesiasticis locum habet. Ergo matrimonii repetitione illis non est interdicendum. Nec est, quod obvertant, *iteratas nuptias esse intemperantiae notam, ac proinde episcopum ab illis arcendum.* Ea enim in vera duntaxat digamia, qua quis *simul* duas habet uxores, locum habet, nequaquam vero in ea, qua quis *successive* duas accipit. Secundarum nuptiarum post obitum prioris conjugis iteratarum conciliatrix est non effrenis & intemperans libido, quæ in vera digamia dominatur, cum una uxor, si libidinis intemperantiam tollas, satisfacere possit legi & usui conjugii; sed causa honesta, licita & necessaria, eadem scilicet, quæ primarum nuptiarum fuit conciliatrix, quæque non fuit cum defuncta conjuge simul mortua. Qui cum uxore prima ad mortem usque vivit, illi non inuritur intemperantiæ nota propterea, quod unius fœminæ usu contentus fuerit. Qui eadem mente præditus uxorem primam, primo, secundo, tertio, quarto, &c. post nuptias anno morte præmatura abreptam amittit, is, si aliam causis honestis, licitis & necessariis impulsus ducat, num poterit hoc nomine intemperantiæ adcusari? Prior non habuit nisi unam, sed habuit usque ad mortem. Posterior jacturam in morte primæ conjugis factam iteratis nuptiis resarciens, nunquam habuit simul duas, sed unius usu itidem semper contentus fuit. Successiva uxorum dualitas non transiit in unum conjugium & conjugii usum, proinde etiam non reddidit eum digamum.

3.) *Ex apostolica episcopi descriptione.*

§. CCCLVIII. III.) Apostolus jubet eligere episcopum eum, *qui sit sine crimine.* 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. Jam vero iteratæ nuptiæ non sunt crimen aliquod, sed digamia, sive polygamia simultanea. Ergo non illas, sed hanc ab episcopo apostolus excludit. Confirmatur argumentum ex serie textus. Primo enim in genere requirit apostolus ab eo, qui eligendus est in episcopum, ut sit ἀνέγκλητος καὶ ἀνεπίλημπτος, id est, ne sit alicui crimini, sive graviori culpæ obnoxius; postea in specie exponit, quænam sint illa crimina, quibus carere debeat episcopus, videlicet *ne sit digamus*, digamia scilicet simultanea proprie sic dicta, ne sit πάροινος, ne sit πλήκτης, ne sit ἀισχροκερδής. Bellarminus excipit, 1.) *vocabulum criminis late & generaliter accipi posse non solum pro peccato, sed etiam pro iis, quae signum praebent incontinentiae, vel alterius vitii, ac proinde ab hominibus reprehendi solent. Talem vero esse quamlibet bigamiam, certissimum est. Nam idcirco in concilio Neocaesariensi can. VIII. prohibentur sacerdotes interesse nuptiis bigamorum, & etiam apud gentiles pontifices non poterant esse bigami, teste Tertulliano lib. I. ad uxorem, & Servio in cap. 4. Æneidos. Apostolum igitur hoc velle, quod episcopus nullius rei, quae malam speciem praeferat, apud homines possit notari, & ideo monogamus esse debeat*, quam expositionem tribuit Chrysostomo. *Resp.* concedimus episcopum non solum a malo, sed etiam *ab omni specie mali* abstinere debere, 1. Thess. V. 22. atque oportere *testimonium bonum habere ab iis, qui foris sunt, ne incidat in opprobrium*; 1. Tim. III. 7. sed negamus digamiam successivam in numero eorum, quæ speciem mali habent, requisitam fuisse ab iis, qui juxta normam verbi divini & dictamen rectæ rationis judicare voluerunt: in verbo siquidem divino viduis ad secunda vota transire non solum permittitur, sed etiam illis, qui continentiæ dono instructi non sunt, injungitur. 1. Cor. VII. 9. Ipsa quoque ratio ostendit, easdem causas esse posse matrimonii repetiti, quæ fuere pri-

primum initi: eæ vero cum antea fuerint honestæ ac licitæ, quomodo suas qualitates in matrimonii repetitione mutarent? Judicium Tertulliani secundas nuptias spiritu Montanico damnantis, & superstitio cœcorum gentilium merito parvi æstimatur. Neocæsarienſis concilii can. VII. de vera digamia, simultanea scilicet, accipiendus est, quod ostendit ratio addita: *Ideo enim presbyter prohibetur interesse nuptiis digamorum, ne videatur eas adprobasse nuptias, quarum auctoribus imponenda est per ipsum publica pœnitentia*, atque ita *semet una pudore suffundat*. Quod si Neocæsarienſe concilium viduorum nuptias legitimas improbaret, iisque publicam pœnitentiam imponeret, repugnaret distertis verbis apostoli, Rom. VII. 2. 1. Cor. VII. 39. ac erroneum aliquod dogma confirmaret. Agnoscit hoc Bellarminus sibi hac in parte, ut solet, contrarius. Sic enim scribit libr. II. de concil. cap. 8. resp. ad 4. *Concilium Neocaesariense loquitur de eo, qui duas simul uxores habet*, ut recte exponit gloſſa 31. quæst. 1. can. *de his, qui frequenter &c.* Quod ibidem Bellarminus addit, *celebritatem iteratarum nuptiarum prohiberi*, facilem habet explicationem, si enim viduæ *in Domino* iterum possunt nubere, quod expressis verbis testatur apostolus, 1. Cor. VII. 39. cur ecclesia, vel presbyterium decentem solennitatem repetitis nuptiis vellet denegare, aut illis, qui nuptias repetunt, pœnitentiam publicam injungere? 2.) Aliter igitur Bellarminus excipit, videlicet concedendo, *nomen criminis hic usurpari pro gravi & lethali peccato, juxta interpretationem Augustini tract. XLI. in Joh. & lib. I. contra duas epistolas Pelag. cap. 14.* negando autem, *verbis sequentibus apud Paulum explicari, quid sit esse irreprehensibilem & sine crimine, sed duntaxat declarari, episcopum debere non solum esse sine crimine, sed etiam multis dotibus ornatum, ut monogamia, sobrietate, doctrina, &c.* Resp. proprietas vocum ἀνεγκλητος καὶ ἀνεπίλημπτος est satis manifesta, quod scilicet illis denotetur talis, qui gravioribus & notoriis criminibus non est obnoxius; cohærentia etiam textus satis est perspicua, quod generi subjiciantur species. Probet vero Bellarminus, monogamiam esse peculiarem aliquam virtutem in episcopo requisitam, contra vero iteratas nuptias esse crimen.

4.) *Ex monogamiae conditione.*

§. CCCLIX. IV.) Si episcopus deberet esse monogamus, aut ratio hujus rei esset moralis, videlicet ob majorem continentiam, vel certe spiritualis, sive mystica, videlicet ob significationem conjugii unius Christi cum una ecclesia. At neutrum dici potest. Nam si ratio esset moralis; multo magis requireretur in episcopo, ne esset adulter, aut concubinarius, quam ne esset digamus, & tamen videmus adulteros & concubinarios non repelli a sacerdotio, digamos autem repelli. Si vero ratio sit mystica, multa sequuntur absurda. Nam 1.) cæteræ dotes episcoporum, quæ a Paulo enumerantur, omnes sunt morales, ut sobrietas, hospitalitas, doctrina & cæteræ. Cur non etiam ista erit moralis, *unius uxoris vir*? 2.) Si ideo episcopus debet esse monogamus, quia ejus conjugium significat matrimonium Christi cum ecclesia; igitur etiam laici debebunt esse monogami, quia eorum quoque conjugium significat Christi conjugium. 3) Si illa est ratio; igitur episcopus debebit ducere virginem, & eam semper virginem conservare, ita enim Christus fecit. 4.) Debebit episcopus priorem uxorem repudiare, & posteriori adhærere, Christus enim synagoga repudiata adhæsit ecclesiæ. 5.) Debebit idem episcopus necessario uxorem ducere, eaque ne ad punctum quidem temporis carere, Christus enim ecclesia, sponsa sua, nunquam caret. Bellarminus regerit, *rationem, cur episcopi, presbyteri & diaconi debeant esse monogami, partim esse morolem, partim mysticam*; excipit igitur pro adferenda morali ratione, *prohiberi quidem in episcopo etiam concubinatum & adulteria, sed tamen magis prohiberi bigamiam, quam ista in deligendo episcopo. Ista enim prohibentur una solum ratione, eaque non primaria; digamiam vero duabus rationibus prohiberi, morali scilicet ac mystica: praeterea etiamsi*

longe turpior sit concubinatus, quam digamia, tamen digamia ex natura sua est signum incontinentiae magis diuturnae firmiusque adhaerentis. Resp. hic vero adparet effrons impudentia meretricis Babylonicæ. An non enim prodigiose absurdum est, concubinarios & adulteros in promotione ad ministerium ecclesiasticum præferri illis, qui secundum apostolicum ac divinum præceptum nuptias iterarunt? an non concubinatus perpetuo durans majoris intemperantiæ & incontinentiæ signum, quam interruptæ nuptiæ? an non concubinatus & adulterium directe pugnant cum lege divina, quod de iteratis nuptiis dici nequit? Ostendant enim digamiam successivam alicubi esse prohibitam, probent iteratas nuptias esse signum majoris intemperantiæ, quam concubinatum, vel adulteria. Deuterogami aliquando non tam ustionis restinguendæ gratia, quam ob rei familiaris curam nuptias iterant, sed concubinarii & adulteri solius libidinis causa cum mulieribus consuescunt. Deuterogami honestum ac licitum ustionis remedium quærunt, concubinarii & adulteri ad nefaria & divinis legibus contraria scelera abeunt. Vocabulum *incontinentiae* est ambiguum: vel enim significat carentiam peculiaris illius doni caste extra conjugium vivendi, quo modo accipitur 1. Cor. VII. 5. & 9. vel significat vitium intemperantiæ divinis legibus repugnans. Si priore sensu vox ἀκρασίας, vel potius ἀνεγκρατείας usurpetur; negamus eam esse in vitio ponendam, vel a conjugio arcendos esse eos, qui se non continent, quin potius conjugium tanquam ordinarium & divinitus institutum remedium illis est concedendum, ne inveniamur θεομαχεῖν, ut Duarenus recte loquitur. Pro adserenda mystica digamiæ prohibitæ ratione sic excipit Bellarminus, 1.) *etiam monogamiam esse dotem moralem, nec quidquam impedire, quo minus numeretur dos mystica cum moralibus, siquidem omnes episcopo sint necessariae.* Resp. at hoc est principium petere, de eo enim quæritur, an monogamia sit dos moralis & mystica? Quod pium & honestum matrimonium sit moralis quædam dos, constat ex divina ejus institutione; sed de monogamia, sensu Bellarmini accepta, indistincte omnibus ecclesiasticis personis imposita, id non liquet. 2.) *Non requiri in laicorum conjugio tantam significationis perfectionem, sed sufficere, quod significet conjunctionem Christi cum ecclesia: clericorum vero conjugium debere insuper significare unius Christi cum una ecclesia conjunctionem.* Resp. denuo petitur principium; unde enim probat Bellarminus, in conjugio clericorum majorem significationis perfectionem requiri, quam in conjugio laicorum? Et clericorum & laicorum conjugium unam eamdemque habet institutionem divinam, eosdem fines sibi habet propositos, eodem modo mysticam Christi cum ecclesia desponsationem significat. Ephes. V. 32. ubi Paulus dicit, sacramenti rationem in ea consistere, *quod duo sint in carnem unam*, quod etiam in viduarum matrimonio locum habet, ac major habenda ratio conscientiarum, ne illis per jugum cœlibatus injiciantur laquei, quam qualiscunque hypocriticæ continentiæ, cui nescio quid mysticæ significationis tribuitur. 3.) *In solo spirituali conjugio Christi cum ecclesia virginitatem & fœcunditatem conjunctim inveniri, nec posse simul utrumque in conjugio humano repraesentari, excepto solo Josephi & Mariae conjugio.* Resp. quorsum igitur quæritur talis significatio & repræsentatio in conjugio clericorum, qualis in nullo humano conjugio habet locum? Præterea si in nullo conjugio, præterquam in solo virginali Mariæ & Josephi conjugio simul conjuncta reperiri possunt fœcunditas & virginitas; quorsum a clericis majorum ordinum requiritur, ut post initos sacros ordines a conjugii usu in posterum abstineant, cum utrumque in idem conjugium non cadat, fœcunditas scilicet, quam ante susceptos ordines in usu conjugii habuerunt, & abstinentia a conjugii usu post susceptos ordines, quæ virginitatis vicem obtineat? 4.) *Christum non repudiasse suam sponsam, veteris scilicet testamenti ecclesiam, sed renovasse, & pulchram reddidisse, & ex ancilla liberam fecisse.* Resp. Oseæ I. 9. expresse dicitur: *Voca nomen ejus* Lo-ammi *quia vos* non populus

lus meus, *& ego non Deus vester, & erit in locum, ubi dictum fuerat eis, non populus meus vos, illic vocabuntur filii Dei viventis.* Rom. XI. 20. *Per infidelitatem defracti sunt, tu autem fide stas.* Maximam igitur ecclesiæ Israeliticæ partem, & sic eam, quæ olim erat sponsa sua, Christus repudiavit, quod ad argumentum nostrum sufficit; interim reliquiæ servatæ sunt, quo respicit apostolus Rom. XI. 1. *Numquid repulit Deus populum suum? absit, nam & ego Israelita sum.* Præterea si Christus sponsam suam eo modo renovavit, ut ex ancilla faceret liberam, ergo etiam episcopus, ut repræsentet conjugium Christi cum ecclesia, debet ducere ancillam, & eam postea reddere liberam. 5.) *Non requiritur, ut episcopus semper ac necessario uxorem habeat, sed cum Christus & virgo & maritus sit, si episcopus uxorem non habeat, repraesentabit Christum virginem; si uxorem habeat, Christi conjugium significabit; monogamia igitur in episcopo requiritur non absolute, sed si fuerit conjugatus.* Resp. spirituale & mysticum Christi conjugium significari etiam potest per nuptias reperitas, quia episcopus maritus uno eodemque tempore non nisi unam uxorem habet, quod sufficit ad unius Christi cum una ecclesia conjunctionem repræsentandam, nec requiritur, ut aliam prius non habuerit. Denique si episcopatus necessario debet repræsentare aut Christum virginem, aut spirituale Christi cum ecclesia conjugium: consequens fuerit, episcopum viduum debere ad secunda vota transire, ut per conjugium suum repræsentet spirituale Christi conjugium, cum virginem Christum non amplius repræsentare possit.

5.) *Ex loci 1. Cor. VII. 2. collatione.*

§. CCCLX. V.) Eadem est sententia verborum apostolicorum: *Episcopus sit unius uxoris maritus*, 1. Tim. III. 2. quæ est dicti 1. Cor. VII. 2. *Vnusquisque habeat uxorem suam, & unaquaeque habeat maritum suum.* At in dicto illo 1. Cor. VII. non prohibentur nuptiæ iteratæ, sed adulteria & digamia simultanea. Ergo etiam in verbis 1. Tim. III. non prohibentur nuptiæ iteratæ, sed adulteria & digamia simultanea. Vbi nota, apostolum ibidem requirere, ut *episcopus domui suae bene praefit, & liberos habeat obsequentes*; atqui si episcopus uxore demortua non posset aliam ducere, & œconomiæ administrationi & liberorum educationi digne ac salutariter præesse vix posset, nam œconomia & res familiaris carens matrefamilias similis est horto, vel *vineae, quae caret septo.* Eccles. XXXVI. 27. Excipit Bellarminus, *non esse parem rationem, cum* 1. Tim. III. *numerus conjugii insuper determinetur.* Resp. utrobique unitas conjugis præcipitur, cui digamiam successivam repugnare nondum est evictum. Nam & is unius uxoris vir est, qui uno eodemque tempore non nisi unam habet uxorem, licet eam priore demortua duxerit.

§. CCCLXI. VI.) Paulus 1. Cor. VII. 8. se ipsum inter viduos ponit; interim tamen 1. Cor. IX. 5. adserit, *se habere potestatem circumducendi uxorem, sicut Cephas & reliqui apostoli.* Ergo nequaquam judicavit episcopo prohibitas esse iteratas nuptias. Excipit Bellarminus, *apostolum non se numerare inter viduos, sed eos, qui uxore carent, nec potestatem circumducendi sororem uxorem, sed sororem mulierem sibi tribuere.* Resp. de posteriore exceptionis membro egimus superius; quod ad prius adtinet, fatemur ex textu non posse evidenter colligi, an inter viduos se referat: interim tamen aliqui veterum censent, etiam Paulum in conjugio vixisse, Ignatius epist. ad Philadelph. Clemens lib. III. stromat. qua hypothesi stante robur argumento accedit. Præterea apostolus indefinite pronunciat, se potestatem habere circumducendi uxorem, neque addit primam tantummodo.

6.) *Ex 1. Cor. IX. 5. ratione.*

§. CCCLXII. VII.) Potuisset apostolus aperte dicere, episcopum debere esse *monogamum*, si per verba *unius uxoris vir* monogamiam designare voluisset. Cum vero non dixerit, episcopum debere esse monogamum, sed

7.) *Ex textus circumlocutione.*

sed unius uxoris virum, cogere voluit lectores, ut intelligerent ea verba, non de *singularitate nuptiarum*, quod sonat nomen monogamiæ, sed de *singularitate mulieris*, quod significat illud, unius uxoris vir. Non igitur interdicit episcopo b. apostolus secundas nuptias, sed aliarum mulierum commercium præter legitimæ uxoris commercium. Bellarminus excipit, *si ita cavillari liceat, nunquam finiendas esse quaestiones, vocem* monogamus *apud Graecos non esse in usu, sed a Latinis primum usurpari cæptam: proinde non esse mirum, si Paulus graece scribens, ea non fuerit usus; denique hanc ipsam vocem, licet proprie ab unis nuptiis deductam, tamen usitate accipi pro eo, qui habet unam uxorem, sive ea prima fuerit, sive secunda, ex quo sequi asserit, ut idem omnino sit monogamus, quod unius uxoris vir.* Resp. Bellarminus sibi ipsi contradicit. Si enim idem omnino est monogamus, quod unius uxoris vir, & vero monogamus etiam is est, qui habet unam uxorem, sive ea prima sit, sive secunda, utique non poterit ex verbis apostoli: 1. Tim. III. 2. *Episcopus sit unius uxoris vir*; probari, quod episcopus uxore priore defuncta non possit iterare nuptias, siquidem est & manet unius uxoris vir, si semel & eodem tempore unam habeat, sive ea prima sit, sive secunda. Neque cavillum est, urgere propriam verborum significationem, & negative ex scriptura argumentari, cum sit perfecta agendorum, omittendorumve regula.

8.) *Ex prohibitionis hujus origine.*

§. CCCLXIII. VIII.) Quodcunque ex gentilium superstitione originem ducit, merito in ecclesia christiana judicatur suspectum. At deuterogamiæ in sacerdotibus prohibitio ex gentilium superstitione originem duxit. Ergo. *Assumtum* probatur ex ipso Bellarmino, qui adlegat Tertullianum libr. I. ad uxorem docentem, *quod apud gentiles bigami non potuerint esse pontifices*, adlegat etiam Servium, qui in comment. libr. IV. Æneid. testatur, *antiquum fuisse apud ethnicos ritum, quo repellebantur a sacerdotio bis nuptae.* Quo pertinet etiam illud Hieronymi lib. II. contra Jovinian. *Vnicubas semper inter matronas habuisse decuit, per quas fortunae muliebri sacra fierent, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum leges.*

Argumentum pontificiorum ex 1. Tim. III. 2.

§. CCCLXIV. Pontificii pro stabilienda sua sententia unicum duntaxat proferunt scripturæ locum ex 1. Tim. III. 2. *Oportet episcopum esse unius uxoris maritum*, quæ verba sic accipiunt, quod illis sit prohibitum sacris initiare eos, qui quovis modo bigami fuerint. (*) Hanc vero esse genuinam loci aposto-

(*) Non tantum pontificii, ac speciatim cardinalis Bellarminvs, supra a Gerhardo excitatus, sed & complures alii christianorum hancce sequuntur interpretationem. Speciatim de Græcis constat, eos antiquiorum ecclesiæ suæ doctorum tenere sententiam, qui existimarunt, apostolum 1. *Tim. III.* 2. ad *successivam* respicere polygamiam, atque hanc ipsam ob rationem sacri ordinis viris repetitas nuptias haud permittere. Testantur hoc Metrophanes Critopvlvs in *observat. nov. testam.* ad 1. *Tim. III.* 2. *p. 833.* itemque Christophorvs Angelvs, prout patet ex *actis & scriptis theolog. Wirtemberg. & patriarchae Constantinop. D. Hieremiae*, quæ ann. MDLXXXIV. prodiere, *p. 106. seqq.* Addi merentur Georgivs Fehlavivs in *adnotat.* in Chr. Angeli *enchiridion p. 802.* Wolffgang. Gvndlingivs in *not.* ad Evstatii Joannidis Zialowski, Rutheni, *brevem delineationem ecclesiae orientalis Graecae p. 161.* & Jo. Mich. Heineccivs in *der Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche, part. II. cap. VIII. §. 21. p. 388.* Adoptarunt quoque hanc oraculi Paulini expositionem Jo. Crellivs, Socinianorum partibus alias addictus, in *epistolis part. I. num. 207. p. 107.* itemque in *epist. 323. p. 115.* Hvgo Grotivs, tum in *animadversionibus* ad 1. *Tim. III.* 2. tum in *litteris* ad Crellivm exaratis, Campegivs Vitringa *libr. III. de Synagoga vetere, part. I. cap. IV. p. 655.* refutatus eapropter a Jo. Marckio in *exercitat. scripturar. ad nov. testam. num. XXIII. p. 643.* seqq. Clavdivs Salmasivs *de fœnore trapezitico p. 51.* atque ex nostræ ecclesiæ theologis b. Hedingervs in *observ. nov. test.* germanico sermone editis, *ad 1. Tim. III.* 2. Facemus hæreticos veteres, speciatim Montanistas, qui longius progressi, secundas nuptias plane damnarunt. Vid de eorum errore Epiphanivm *haeres. XLVIII.*

apostolici sententiam, Bellarminus lib. I. de clericis cap. 23. quatuor probare conatur argumentis. I.) Ex 1. Tim. V. 9. „*Vidua eligatur „non minus sexaginta annorum, quae fuerit „unius viri uxor.* Eadem phrasi dicitur unius „viri uxor, & unius uxoris vir. Jam vero „certum est, illud unius viri uxor non posse „significare, ut vidua non fuerit adultera, vel „scortatrix, nam scortum non dicitur uxor, „si ad adulterum, aut scortatorem referatur, sed „adultera & meretrix. Deinde continentia ab „adulterio & scortatione non solum requiritur „in muliere, quo tempore vivit vir ejus, sed „etiam postea, dum in viduitate degit, & ta„men Paulus non loquitur hoc loco nisi de tem„pore, quo vir ejus viduae vivebat. Nec pot„est esse sensus, eligendam esse eam, quae „non fuerit multorum virorum uxor simul, id „enim frustra apostolus jussisset, cum nun„quam & nusquam fuerit ejusmodi casus, ut „una mulier esset plurium virorum uxor.„ *Resp.* imo vero variis modis fieri potest, ut fœmina non sit unius mariti uxor, vel si discesserit a viro, vel si repudiata ab eo alteri nupserit, priore adhuc vivente, vel si constante matrimonio adulterium perpetret, quia mulier etiam in illegitima conjunctione dicitur habere virum. Joh. IV. 18. dicit Christus ad Samaritanam: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est vir tuus*, nihilo tamen minus antea ad ipsam dixerat v. 16. *Vade, voca virum tuum.* Sic Augustus imperator Liviam a Druso marito petens impetravit gravidam, ea fuit simul duorum virorum uxor. Fabiola apud Hieronymum alteri nupsit vivente adhuc priore marito, &c. Quamvis enim talis adultera, vel repudiata alteri nubens non sit illius, cum quo consuescit, uxor legitima, tamen uxoris adpellationem adhuc retinet. Pari ratione apostolus prohibet, in episcopos, vel diaconos eligi eos, qui non sunt unius uxoris viri, id est, qui vel in fornicatione vivunt, vel plures simul habent uxores, vel dimissa ac repudiata una more judaico extra casum adulterii ducunt aliam, vel qui ab alio repudiatam sibi eligunt. Quod Bellarminus addit, *apostolum duntaxat de eo loqui tempore, quo vir illius fœminae vixerit*, facilem habet explicationem. Requirit omnino apostolus in fœmina, ad ministerium ecclesiae eligenda, castitatem conjugalem; interim non excludit castitatem vidualem, cum utriusque violatio pugnet cum sexto præcepto atque efficiat, ne fœmina illa fuerit unius viri uxor. Res igitur eo redit, quod apostolus tales viduas in ecclesiæ ministerium eligi jubeat, quæ in virginitate, conjugio & viduitate castitatis leges inviolatas servaverint, qualis fuit Hanna prophetissa, de qua Luc. II. 36. Spiritus sanctus testatur, quod *vixerit cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Sed per iteratas nuptias nec castitas violatur, nec macula quædam viduabus adspergitur, alias non possent *in Domino nubere.* 1. Cor. VII. 39. Et quilibet cogitet, quam absurda ex pontificiorum interpretatione sequatur sententia, quod videlicet ecclesia non debeat eligere illam viduam, ac de necessariis illi prospicere, quæ matrimonium bis, vel etiam ter repetierit, cum ipsemet apostolus jubeat, ut viduæ juniores iterum nubant.

§. CCCLXV. II.) *Ex tempore*, quo Paulus hæc scripsit: „Nam eo tempore non erat con„suetudo neque apud Judæos, neque apud gen„tiles, multo minus apud christianos, ut unus „vir duas simul haberet uxores, proinde quod „non fiebat, non erat, cur serio prohibere„tur. Quod apud gentiles hoc non fuerit usi„tatum,

XLVIII. tom. I. oper. p. 410. Cæterum occasione oraculi Paulini *1. Tim. III. 2.* de cujus expositione differentiunt interpretes, adjicimus, ea, quæ de episcopo unius uxoris viro hic dicuntur, de quovis verbi divini atque ecclesiæ ministro itidem intelligenda esse. Constat enim inter episcopos ac presbyteros nullum tempore apostolorum fuisse discrimen, unde & Paulus, cum *Tit. I. 6.* de presbyteris loquitur, pariter præcipit, ut sint *unius uxoris viri.* Quin & idem a diaconis requirit vir divinus *1. Tim. III. 12*, atque in eadem epistola, ejusque *cap. V. vers. 9.* de diaconissa pronunciat, *viduam cooptandam esse, non minorem annis sexaginta, quae unius viri fuerit uxor.*

„tatum, satis patet ex eo, quod in imperio „Romano, quo tunc orbis terrarum regebatur, „semper infamis & prohibita fuit polygamia „plurium uxorum simul. l. 1. ff. *de his, qui notantur infamia.* l. *neminem* C. de incestis nuptiis. l. *eum qui* ad l. Juliam. de adulteriis. „Quod adtinet christianos & Judæos, ex nov. „test. facile colligi potest, non fuisse apud eos „consuetudinem, ut quis duas uxores haberet, „semper enim de conjuge in numero singulari „loquitur scriptura nov. test. Matth. V. 32. „XIX. 3. & 29. Luc. XIV. 26. 1. Cor. VII. 2. & „27. Ephes. V. 33. Legimus etiam Luc. I. „7. Zachariam uxore sterili ad senectutem „usque permanente non tamen superduxisse „alteram, quod haud dubie fecisset, si id tempore eo licuisset. Scribit quidem Josephus „lib. XVII. antiquit. cap. 2. Herodi regi novem uxores fuisse, at privati homines etiam „apud Judæos jamdudum desierant plures „uxores accipere.„ *Resp.* imo vero & apud „gentiles, & apud Judæos tunc temporis licita erat polygamia simultanea. (*) Alexander ab Alexandro libro I. genial. cap. 24. & Cœlius libr. XVIII. antiq. lect. cap. 26. de Persis ac Medis; Plutarchus in Laconicis de Spartanis, testatur, polygamiam apud ipsos in usu fuisse. Strabo libr. XI. geogr. paulo ultra medium sic scribit: *Memoriae proditum est, Tapyris* (urbe Parthiæ) *morem esse, ut proprias uxores aliis viris nuptui concedant, cum duos tresve filios ex eis susceperint, quemadmodum apud nos Cato indigenti Hortensio Martiam concessit secundum antiquam Romanorum consuetudinem.* Qualis vero fuerit hæc *consuetudo*, exponit Plutarchus in vita Catonis Vticensis, & in vita Lycurgi, itemque Julius Cæsar libr. V. de bello Gallico non longe a principio, ubi de Britannis scribit: *Vxores habent deni duodenique inter se communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis.* Julius Cæsar Augusti in imperio successor, referente Suetonio in ipsius vita cap. 52. legem ferre Ælio Cinnæ, tribuno plebis, jusserat, qua uxores, quas & quot quisque vellet ducere, liberorum procreandorum causa liceret. Valentinianus imperator referente Socrate libro IV. cap. 32. legem publicavit, *licere cuivis duas simul habere uxores.* Quin imo ex illis ipsis legibus civilibus, quas Bellarminus adducit, colligitur polygamiam tunc temporis fuisse usitatam, quorsum enim alias prohiberetur, si non amplius fuisset in usu? De Judæis constat ex Matth. V. 32. & XIX. 3. quod divortia extra casum adulterii apud ipsos usitata fuerint, quodque dimissa illegitime priore conjuge, aliam duxerint, priore adhuc vivente. At hæc revera est polygamia. Josephus libr. XVII. antiquit. judaic. cap. 1. (juxta græci exempli, & novæ versionis latinæ distinctionem, in antiqua enim est cap.

(*) Scaliger in notis ad nov. test. „Judæi eo tempore, „ut ex Josepho discimus, aut plures uxores ducebant, aut uni concubinas superinducebant, ut hodie Judæi sub Turcico imperio viventes. Paganos „vero concubinas uxori superinduxisse, si coner probare, abutar otio meo. Eas etiam, postquam Christo nomen dederant, non dimittebant, adeo ut vetustissimi canones græci a Tilio editi non admittant „christianum hominem ad diaconatum, qui concubinam domi aleret. Paulus ergo rejicit hominem a „munere ecclesiastico, qui aut duas uxores haberet, „ut Judæi neophyti, aut qui uxorem & concubinam „ex paganismo Christum profitentes. At ii, qui „proxime abfuerunt ab ætate Pauli, quomodo interpretati sunt illa verba μιᾶς γυναικὸς ἀνδρα, id est, „ἅπαξ γεγαμηκότα. Quis grammaticus, aut jurisconsultus, tus, aut philosophus hanc interpretationem sine risu, audiverit? Grammaticus nunquam concedet dici „μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, nisi quamdiu habet unam tantum, tametsi mille alias habuerit. Jurisconsultus „negat mortuorum liberorum memoriam prodesse patri ad jus trium liberorum adipiscendum, censens patrem trium liberorum esse eum, qui tres superstites habuerit, quamvis viginti antea habuerit. „Philosophus ait, τῶν πρός τι sublato altero, alterum tollit. Patri unicus filius e vivis excessit. „Non est amplius pater. Helena a Lycophrone dicitur τριάνωρ, quod Theseo, Menelao & Paridi nupsisset. Quid τριῶν ἀνδρῶν γυνὴ diceretur? minime. Theseus enim jam mortem obierat, sed Menelao & Paride superstitibus recte dicitur δύω ἀνδρῶν γυνὴ, sublato Paride in patriam reversa ἑνὸς γυνὴ ἀνδρός. Quare episcopum, aut presbyterum „nego μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα dici, nisi quamdiu ei una „nupta est. Ea de medio sublata non modo non „μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, sed ne γυναικὸς quidem ἀνὴρ, dicetur, sublatum enim est alterum τῶν πρός τι. Qua „pace conscientiæ suæ Tertullianus & alii veteres hunc „locum interpretati sunt, non dicam contra apostoli, „sed contra animi sui sententiam? Gerhardvs.

cap. 2.) *Mos nobis est patrius plures simul uxores habere.* Quin imo licitum fuit apud illos plures simul domi suæ habere conjuges. Justinus martyr in dialog. cum Tryphone p. 285. *Magistri vestri μέχρι νῦν, ad hoc usque tempus, & quatuor & quinque uxores unumquemque vestrum habere permittunt, & si quis venustam inspiciens eam expetiverit, cum Jacobi Israelis & aliorum patriarcharum facta commemorant, tum nihil iniqui agere similia facientes adseverant.* Vixit autem Justinus secundo post Christum natum seculo. Idem sub finem istius dialogi p. 291. *Si permissum esset, quam quis vellet, atque ut vellet, & quot vellet, habere conjuges, quemadmodum faciunt populares vestri, οἱ ἀπὸ τῆς γένεως ὑμῶν ἄνθρωποι,* (Judæi) *per terram omnem, ubicunque peregre sunt, aut quocunque proficiscuntur, sub matrimonii nomine mulieres sibi copulantes, longe magis id in Davide permissum fuisset.* Hieronymus in epistola ad Oceanum tom. II. p. 321. *Hoc quod dicit,* unius uxoris virum *potest aliter differi. Ex Judaeis erat apostolus, prima Christi ecclesia de reliquiis Israel congregabatur, sciebat lege concessum, exemplo patriarcharum populo familiare novérat in multis uxoribus liberos spargere. Ipsis quoque sacerdotibus hujus licentiae patebat arbitrium, praecipit ergo, ne eamdem licentiam ecclesiae sibi vindicent sacerdotes, ne bina pariter & trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore habeant uxores.* Chrysostomus hom. X. in 1. Tim. III. in principio p. 1569. *dicens apostolus* unius uxoris virum *ἀμετρίαν prohibet, quoniam apud Judaeos licitum erat καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας.* Idem repetit Theophylactus in illum locum. Theodoretus in 1. Tim. III. *Olim & Graeci & Judaei cum duabus, tribus & pluribus uxoribus jungebantur.* Leo primus cap. 46. decretorum jubet deponi *sacerdotem, qui simul duas uxores acceperit.* Concilii Toletani canon exstat cap. *is qui* &c. distinct. 34. *Is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinae sit conjunctione contentus.* Concilium Neocæsariense & Laodicenum prohibent *presbyteros secundis interesse* nuptiis, quos canones glossa interpretatur de talibus nuptiis, quæ contrahuntur vivente adhuc priore conjuge, ut agnoscit ipse Bellarminus lib. II. de concil. cap. 8. fuit igitur eo tempore polygamia adhuc usitata. Conjecturis, quas Bellarminus adfert, parum inest roboris. Quod enim scriptura de conjuge in numero singulari loquitur, nequaquam probat, polygamiam tunc temporis non fuisse usitatam, quia Spiritus sanctus loquitur de jure, non de facto. Christus & apostoli ad primævas conjugii leges nos revocare voluerunt. Quod Zacharias conjugi sterili non superinduxerit alteram, itidem non probat, polygamiam tunc non fuisse usitatam, ab illis, quæ facto & moribus licita sunt, sæpius abstinent moderati, nec existimandum, apud Judæos fuisse nullos, qui una uxore fuerint contenti licet sterili. Isaacus totos viginti annos sterile habens conjugium, non tamen Rebeccæ aliam superadduxit conjugem, cum ut id faceret, multæ essent speciosæ rationes, inter quas familiam ducit promissio de benedicto semine & multiplicatione posteritatis. Gen. XXV. 20.

§. CCCLXVI. III.) *Ex auctoritate patrum,* ubi adducit Tertullianum lib. I. ad uxorem cap. VII. Epiphanium hæres. 59. Catharorum, Ambrosium lib. X. ep. 82. Hieronymum in comm. cap. 1. ad Tit. Augustinum lib. de bono conjug. cap. 18. Chrysostomum hom. III. ad Tit. quorum sententiis reliquos (*) adsentiri dicit, itemque pontifices Romanos.

(*) Fuerunt certe præter illos, qui supra excitantur, alii quoque ex patribus, qui gentium apostolum *1. Tim. III. 2.* ad polygamiam, uti dicitur, successivam respexisse statuerunt, licet non defuerint, qui eundem de simultanea duntaxat polygamia exposuerunt. Conferenda, quæ ex ecclesiastica antiquitate hac de re observarunt Dionys. Petavius *animadvers. in Epiphan.* Jo. Casp. Svicervs in *thesau-*

Resp. 1.) Genus hoc probandi est secundarium. Patres loquuntur pro seculi sui consuetudine, nequaquam vero legem aliquam divinam hic statuunt. 2) Quidam ex patribus nostram sequuntur interpretationem. De Theodoreto id concedit Bellarminus, is 1. Tim. III. recensens eorum sententiam, qui per *uniusuxoris virum* intelligant eum, qui duas, aut plures simul uxores non habet, subjungit: *Videntur recte dicere.* Item: *His consideratis admitto eorum interpretationem.* Tertullianus fuit Montanista, ejus igitur sententiæ hac in parte non est multum tribuendum. Ambrosius in comm. 1. Tim. III. expresse indicat, *non fuisse simpliciter damnatam* in sacerdotibus digamiam successivam, sed ob honorem sacerdotii etiam a licitis veteres sacerdotes abstinuisse. *Quamvis* (inquit) *secundam numero uxorem habere non sit prohibitum, ut tamen quis dignus ad episcopatum sit, etiam licitum debet spernere propter sublimitatem istius ordinis.* Ac quamvis in literali expositione dicti apostolici sequatur mores sui seculi, tamen in lib. de dign. sacerd. cap. 4. illud exponit *de spirituali conjugio episcopi cum ecclesia*, quod scilicet unus episcopus unam ecclesiam, non plures regere debeat. Hieronymus in epist. ad Oceanum nostram sequitur interpretationem, ut paulo ante vidimus: *Praecipit* (inquit) *apostolus 1. Tim. III. ne eamdem licentiam* (plures simul habendi uxores) *ecclesiae sibi vindicent sacerdotes, ne bina pariter & trina conjugia sortiantur.* In eadem epist. disputat, *eum, qui unam uxorem habuit ante baptismum, eaque mortua post baptismum duxit alteram, non esse bigamum;* & adducit exempla plurima talium episcoporum. *Carterius* (inquit) *Hispaniae episcopus, homo & aetate vetus & sacerdotio, unam, antequam baptizaretur, alteram post lavacrum priore mortua duxit uxorem, & arbitraris, eum contra apostoli fecisse sententiam, qui in catalogo virtutum episcopi unius uxoris virum praecipit ordinandum? Miror autem, te unum protraxisse in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu, ad episcopos venio, quos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur.* Postmodum oblique pungit Augustinum, qui in concubinatu ante baptismum vixerat, & judicabat omnino esse bigamum, qui duas uxores habuit, sive ante baptismum, sive post baptismum. *Imputatur* (inquit) *infelicitas conjugis mortuae, & libido meretricia coronatur? Ille, si prior uxor viveret, aliam non haberet, tu ut passim caninas nuptias jungeres, quid potes excusare? forsitan timuisse te dicas, ne si matrimonium copulasses, non posses aliquando clericus ordinari. Ille in uxore optavit liberos, tu in meretrice sobolem perdidisti.* Idem in comm. Tit. I. *Multi superstitiosius magis, quam verius etiam eos, qui cum gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, qua amissa post baptismum Christi alteram duxerint, putant in sacerdotio non legendos, cum utique si hoc observandum sit, multo magis ab episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint, & multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quam digamum reperiri.* Fatemur quidem, Hieronymum libr. I. contra Jovinian. contentionis æstu abreptum per *unius uxoris maritum* intelligere eum, qui post obitum prioris uxoris alteram non duxit, sed quando sedatior est, nostram sequitur interpretationem, quæ etiam ex ipso textu fluit; neque enim dicit apostolus δεῖ τὸν ἐπίσκοπον γενονέναι, sed εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, ergo non loquitur de tempore *praeterito*, quod non debuerit successive plures habuisse uxores, sed de tempore *praesente*, quod non debeat simul habere plures, quam unam uxorem legitimam. Ac de presbyteris dicit, ei

thesauro ecclesiast. tom. I. p. 803. Jo. Baptista Cotelerius in *observat. ad Hermae pastor. libr. II. tom. I. patrum apostolicorum* ab ipso editorum, nec non Thomas Mielles in *notis ad Cyrill. Hierosolymitani catecheseis IV. p. 60.* Jungi meretur ex nostris Jo. Georgius Walchius, theologus Jenensis isque celeberr. in *miscell. sacris p. 416. seqq.*

εἴ τις ἔστι, *si quis est unius uxoris vir.* Quod si τὸ εἶναι de præterito tempore exponendum esset; eadem ratione inferri posset, eligendum esse eum in episcopum, non qui sit, sed qui fuerit vigilans, modestus, hospitalis, &c. Chrysostomus hom. II. in Tit. t. col. 1701. *Apostolus hisce verbis:* unius uxoris virum; *primo obstruere cupit ora haereticis, qui nuptias damnant, ostendens eam rem culpa carere, imo ita pretiosam esse,* τίμιον, *ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum episcopatus solium subvehi: deinde castigat* hoc ipso τὰς ἀσελγείς, *dum non permittit eos* μετὰ δευτέρα γάμια *ad ecclesiae regimen adsumi. Nam qui* πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν *non conservavit benevolentiam, quomodo is fiat bonus praeses, imo quibus criminibus non subjicietur indies* τίνα ἐκ ἂν ὑποσαίη κατηγορίαν. Loquitur Chrysostomus notante Chemnitio in locis part. II. p. 543. de illis, qui illegitime repudiata priori alteram ducunt, nequaquam vero de illis, qui demortua priore alteram ducunt, ut Bellarminus & latinus Chrysostomus interpres accipiunt. Nam 1.) in repetitis nuptiis post prioris conjugis mortem non est ἀσέλγεια, quæ ubique refertur inter opera carnis & peccata, Rom. XIII. 13. 2. Cor. XII. 21. Gal. V. 19. &c. 2.) Per δευτερογάμον intelligit nuptias vivente adhuc priore illegitime repudiata conjuge contractas, ut constat ex hom. X. in 1. Tim. III. ubi Judæis peculiariter licitum fuisse contendit δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας, jam vero non solis Judæis, sed etiam christianis, licitum iterare nuptias demortua conjuge. Ibidem etiam Chrysostomus huic suæ sententiæ opponit aliorum interpretationem de episcopo, qui ἐκ μιᾶς γυναικὸς sit, ergo Chrysostomi sententia ab illa altera est distincta. 3.) Loquitur de illis nuptiis, quæ habent πολλὴν κατηγορίαν, id quod de secundis nuptiis in Domino contractis dici nequit. Quantum vero huic interpretationi de bigamia successiva tribuendum sit, ex eo patet. Thomas de Aquino (quem Bellarminus una cum cæteris adlegat) disputans de quæstione: *An doctus, pius & idoneus, sed bigamus, & quidem non proprie, sed canonice, hoc est, per fictionem juris unica vidua olim ducta in sacerdotem, aut episcopum electus promoveri possit,* postquam super lib. IV. sent. dist. 27. q. 3. art. 1. pro adfirmativa validis rationibus dictisque scripturæ disseruerat, tandem contrarium concludit hac sola ratione, quia *papa in decretalibus contrarium dixerit ac praeceperit,* cujus decreti aliquas rationes subjicit, sed futilissimas a canonistis adsignatas.

§. CCCLXVII. IV.) *Ex consuetudine ecclesiae,* quæ ubique & semper hoc observavit, ut bigamos excluderet ab ordinatione. *Resp.* 1.) Tertullianus in libr. de monogamia cap. 12. testatur, hoc non fuisse semper observatum, objicit enim catholicis successivam sacerdotum digamiam. *Cur* (inquit) *non erubescunt, quotquot ex digamia praesident apud vos, quando haec ipsis leguntur,* oportet episcopum esse unius uxoris virum? Bellarminus excipit, *id vel ex dispensatione esse factum, vel de iis accipiendum, qui alteram uxorem habuerant ante baptismum, vel vitio & abusu id esse factum,* sed quidquid sit, manet interim illud, nec ubique, nec semper in catholica ecclesia id fuisse observatum. 2.) Hieronymus in epist. ad Oceanum testatur, illorum episcoporum, qui successive duas uxores duxerunt, unam quidem ante baptismum, alteram vero post baptismum, tantum fuisse olim numerum, ut si recensere eos quis velit, Ariminensis synodi multitudo superetur, ad quam imperatoris jussu ex oriente & occidente episcopi quam plurimi convenerunt. Jam vero ex mente Tertulliani, Ambrosii, Innocentii & Augustini, Bellarminus illos *vere digamos* esse censet, sic enim scribit lib. I. de cleric. cap. 23. §. Tertia &c. *Illi, qui alteram uxorem habuerant ante baptismum, a Tertulliano digami censebantur* & cap. 24. §. Contra &c. *Ambrosius, Innocentius & Augustinus contendunt, omnino habendum bigamum, qui duas uxores habuit, sive ante baptismum, sive post baptismum. Nam baptisma diluit peccata, non solvit conjugia & renovat hominem, quantum*

ad vetuſtatem vitiorum, non quantum ad ea, quae recte ſe habent. Atque haec ſententia tandem praevaluit, & ab univerſa eccleſia recepta eſt. 3.) Bellarminus ipſe concedit §. proximo citato, *propter hominum paucitatem fortaſſe diſpenſaſſe apoſtolos cum illis, qui ante baptiſmum uxorem unam, vel plures habuerant, modo non habuiſſent plures poſt baptiſmum.* Atqui tales ex ipſius Bellarmini ſententia fuerunt vere digami. Ergo non fuit perpetua eccleſiæ conſuetudo ſucceſſive digamos arcere ab ordinatione. 4.) Conſuetudo eccleſiæ non eſt norma judicandi de interpretatione ſcripturæ, ſed contra potius ſcriptura eſt norma judicandi de eccleſiæ conſuetudine, abſit enim, ut cum Bellarmino ſtatuamus libr. I. de ſacramentis cap. 26. §. Ex quo &c. *clariorem eſſe eccleſiae conſuetudinem, quam verbum Dei, & proinde ex conſuetudine verbum Dei eſſe interpretandum*, cui adſertioni opponimus canones, qui habentur in jure can. diſt. 8.

CAPVT VIII.

DE PVGNANTIBVS CVM MINISTERIO.

Pugnantia cum miniſterio.

§. CCCLXVIII. De duobus miniſterii eccleſiaſtici adjunctis, ſalario ſcilicet & conjugio diximus hactenus, ad quod caput adjunctorum & alia προσκείμενα referri poſſent, utpote varia illa chariſmata, quæ Deus in miniſtros ad eccleſiæ ſalutem confert, mundi odia ac pericula, quibus in officio ſuo præ reliquis ſunt expoſiti, requiſitæ virtutes in illis, qui ad miniſterium eligendi ſunt &c. ſed quia de his ſuperius, quantum quidem ſufficit, actum fuit, ideo accedimus ad caput VIII. de *pugnantibus cum miniſterio.* In pugnantium cenſum non ſolum referendi ſunt *errores* contra ſinceram ac ſanam doctrinam de miniſterii cauſa efficiente, materiali, formali ac finali, effectis item ac adjunctis pugnantes, utpote quod anabaptiſtæ & neophotiniani negant vocationem aliquam peculiarem ad hoc munus requiri; quod Svenckfeldiani negant externum verbi miniſterium eſſe efficax converſionis & ſalutis organum; quod Donatiſtæ negant, per malorum miniſterium verbum prædicatum & ſacramenta diſpenſata eſſe efficacia; quod pontificii negant, eccleſiaſticas perſonas in conjugio vivere poſſe, &c. de quibus & ſimilibus erroribus in antitheſi cujusque capitis dictum fuit ſuo loco: ſed etiam *vitia illa*, quæ tum in perſonis eccleſiaſticis miniſterio fungentibus, tum in auditoribus hærent, ac miniſterii dignitatem non mediocriter labefactant. In perſonis *eccleſiaſticis* ipſis *tria* potiſſimum deprehenduntur vitiorum genera, quorum quædam concernunt *officium*, quædam *doctrinam*, quædam vero *mores ac vitam.* 1.) Ad primum pertinet *abuſus officii & poteſtatis clavium*, qui potiſſimum in regno papali dominatur. Pontifex enim miniſterium docendi convertit in imperium politicum, ac clavibus abutitur ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem & carnificinam conſcientiarum, itemque ad faciendum quæſtum. Tales Petrus vocat καταϰυριέυοντας τῶν ϰλήρων, 1. epiſt. V. 3. Paulus ϰυριεύοντας τῆς πίϛεως auditorum: 2 Cor I. 24. &c. Huc referenda eſt παποϰαισαρία & ἀλλοτριοεπισϰοπὴ eorum, qui pedem unum in ſuggeſſu, alterum in curia habent, atque ea, quæ mere politica ſunt, tractare & decidere ſatagunt, quales Petrus vocat ἀλλοτριοεπισϰόπους, 1. epiſt. IV. 15. 2.) Ad ſecundum pertinent *corruptelae doctrinae*, ad quas ſi accedat pertinacia, degeneraut in hæreſes. Qui corruptelas illas & hæreſes ſpargunt, ab illis graviter nos præmonent Chriſtus & apoſtoli, vocantes illos *pſeudoprophetas*, Matth. VII. 15. *pſeudochriſtos*, Marc. XIII. 22. *lupos rapaces*, Matth. VII. 15. *fures & latrones*, Joh. X. 8. qui per χρηϛολογίας & εὐλογίας *ſeducunt corda innocentium*, Rom. XVI. 18. ϰαπηλεύοντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, 2. Cor. II. 17. δολοῦντας τὸν λόγον *Vitia. 1.) Paſtorum.*

λογοντῆ θεῆ, 2. Cor. IV. 2. *satanae diaconos*, 2. Cor. XI. 14. ἑτεροδιδασκαλοῦντας, 1. Tim. VI. 3. *quorum sermo velut gangraena serpit*, 2. Tim. II. 17. &c. 3.) Ad tertium pertinent *vitia morum ac vitae*, utpote quod aliqui quæstus gratia ad hoc munus adspirant, suum in eo commodum quærunt, & tempore persecutionis ecclesiam deserunt, quos Christus vocat μισθωτὲς, *mercenarios*; Joh. X. 12. Paulus ἐργάτας δολιὲς, 2. Cor. XI. 13. qui non auditores & ipsorum salutem, sed quæ sunt eorum, quærunt, 2 Cor. XII. 14. item quod vitæ turpitudine ac gravioribus peccatis quidam sint cooperti, quos apostolus vocat κύνας & ἐργάτας κακὲς, Phil. III. 2. propter quos *nomen Dei blasphematur*, & doctrina evangelii male audit. Rom. II. 24. Distinguendum tamen hoc loco inter ministros *morosos*, qui infirmitatibus humanis ac levioribus nævis sunt obnoxii, & inter *oneroſos*, quorum crimina sunt publica, notoria & enormia, quomodo cum utrisque agendum, in cap. de remotione ministrorum expositum fuit.

§. CCCLXIX. *Auditorum vitia* ministerii ecclesiastici dignitati repugnantia sunt *duorum* potissimum generum: 1.) *Contemtus ministerii*, derogatio honoris debiti, salariorum, vel nulla, vel parca erogatio, bonorum ecclesiasticorum in usus peregrinos conversio, &c. Contra tales contemtores graviter pronunciat Christus Luc. X. 16. *Qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Itemque Paulus 1. Thess. IV. 8. *Qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Ac Christus, Matth. X. 10. Luc. X. 7. ac Paulus 1. Cor. IX. multis ostendunt, ministris ecclesiæ necessariam sustentationem & stipendia ab auditoribus deberi. 2.) Καισαροπαπία, (*) qua 2.) *Auditorum.*

(*) *Caesareopapiae* vitium iis vulgo imputari solet, qui omne jus sacrorum magistratui politico in solidum vindicant, ecclesiæ nihil relinquentes. In hancce classem referri solent *Erastiani*, ab auctore suo Thoma Erasto, gente Helvetio, medico Heidelbergensi ac senatore ecclesiastico, ita dicti. Evolvi de iis possunt Christianus Thomasius & Jo. Georg Pertschius, *ille* quidem tum in *notis ad Huberum de jure civitatis libr. V. p. 166. seqq.* tam in *hist. contest. inter imperium & sacerdotium, adspend. cap. I. §. XIX. p. 344. hic* vero *im Recht des Kirchenbannes, cap. XI. §. 3. p. 337.* Add. Baumgartenium in *der Geschichte der Religions-Partheien p. 905.* In eandem cum *Erastianis* sententiam concesserunt non tantum multi ex Reformatis, veluti Ludov. Molinæus, Lambertus Velthuysius, Nicol. Vedelius, Adrian. Houtuynus aliique; sed & ex Arminii discipulis, qui Remonstrantium nomine veniunt, Jo. Wytenbogardus, Hugo Grotius, & Gerh. Jo. Vossius; ex Anglis Jo. Lightfootus, Ludov. du Moulin, cumprimis Thomas Hobbesius, qui in libris *de Leviathane*, itemque *de cive*, quidquid religionis, aut juris ecclesiastici in hoc mundo esse queat, id omne ad imperium civitatis pertinere contendit. Eandem tibiam inflarunt Lucius Antistius Constantius, sub quo nomine nonnulli Spinozam, alii autem van den Hooft latere arbitrantur, in *libro de jure ecclesiasticorum*, itemque Matth. Tyndallus in libro Anglice scripto, cui titulus: *the rights of the christian church asserted.* Tertia hujus Libri editio prodiit Londini MDCCVII. in 8. quam ann. MDCCIX. insecuta est *a defence of the rights of the christian church*, Wottono, qui Tyndallum refutare adgressus est, opposita. Quemadmodum vero haud pauci tum antiquiori, tum recentiori hocce ævo, jura magistratus in rebus sacris nimis dilatarunt, ita contra alii in oppositum delapsi sunt extremum, omnemque in sacris potestatem præsuli Romano, episcopis & clero vindicare adlaborarunt, unde illud vitii emersit, quod *Papocaesaria* vulgo adpellari solet. Notandi hoc nomine veniunt non tantum scriptores ecclesiæ Romanæ addicti, sed & ii ex theologis Anglicanis, qui dignitatem auctoritatemque episcopalem in sacris nimis evehunt, quin eandem a magistratu politico independentem statuunt. Nec plane prætermittendi heic sunt ii ex ecclesiæ Reformatæ doctoribus, qui clero & classibus suis synodisque nimium subinde tribuere solent, veluti theologi Batavi Lubbertus, Voetius, Revius, Triglandius, alii. Mediam eamque regiam viam heic ineunt ecclesiæ nostræ theologi, qui jus sacrorum *tori ecclesiae* tribuunt, prout constat ex duobus libellis *de potestate & primatu papae*, itemque *de potestate & jurisdictione episcoporum* qui *articulis Smalcaldicis* in libris ecclesiæ nostræ symbolicis adjecti conspiciuntur. In priori illo *p. 545.* adseritur, *ecclesiam principaliter habere jus vocationis*; in posteriori vero *p. 333.* distertis verbis dicitur: *Necesse est, ecclesiam retinere jus vocandi, eligendi & ordinandi ministros, Et hoc jus est donum proprie datum ecclesiae*, quod nulla humana

Caesaropapia. qua quidam politico magistratui absolutum imperium in ecclesiæ ministros vindicant, constitutionem ministerii ad regalia pertinere censent, pro libitu absque ecclesiæ consensu ministros constituendi & iterum repudiandi, arbitratu proprio leges præscribendi potestatem ipsi tribuunt, disciplinæ ecclesiastici sese subjicere detrectant, Spiritui sancto errores & flagitia taxanti capistrum injicere laborant. Tales erant homines antediluviani, de quibus Deus conqueritur, quod *noluerint Spiritus sancti* ministerium in redargutione peccatorum occupatum ulterius perferre. Gen. VI. 3. Tales etiam erant Sodomitæ, qui conciones Lothi legales pro adfectatione cujusdam imperii habebant. Gen. XIX. 9. Itemque auditores Jeremiæ, qui prophetæ in faciem contradicere non erubescebant hisce omnino verbis: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te.* Jer. XLIV. 16. Sed tales contemtores gravissima tandem manet pœna, ut præter exempla hominum antediluvianorum & Sodomitarum docet notabilis textus 2. Paral. XXXVI. 15. *Mittebat Dominus Deus patrum ipsorum ad Israelitas per manum nunciorum suorum mane surgendo & mittendo, eo quod parceret populo suo.* v. 16. *At illi subsannabant nuncios Dei, & irridebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec adscenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio, &c.*

§. CCCLXX. De reliquis personarum ecclesiasticarum & auditorum vitiis ministerio adversantibus, ut in specie plura adferamus, non videtur operæ pretium, illud solum quod de *haeresibus* ac *haereticis* diximus, uberiore explicatione videtur indigere.(*) Αἵρεσις & αἱρετικὸς dicuntur ab αἱρεῖ- *Haereticus quid sit?*

MANA AVCTORITAS *ecclesiae eripere potest.* Eadem in subsequentibus passim repetuntur, ubi & ad praxin veteris ecclesiæ christianæ provocatur, quando dicitur. *Nam olim populus eligebat pastores & episcopos.* His prorsus consentanea sunt, quæ antiquiores ecclesiæ nostræ theologi hanc in rem scripserunt, veluti JAC. ANDREÆ in *disput. XXIX. de jure vocandi ministros ecclesiæ thes.* 51. MART. CHEMNITIVS in *loc. theolog. part. III. fol.* 325. Jo. GERHARDVS noster *tom. XII. locor. theolog.* in cap. *de ministerio ecclesiast.* §. LXXXVI. *p.* 83. *sqq.* edit. nostræ, Jo. HÜLSEMANNVS in *breviario theolog. cap. XIX. thes.* 5. & SPENERVS in *den theolog. Bedenken tom. I. cap. I. sect. 16. p.* 262. alibique. Quibus ex jureconsultorum ordine CARPZOVIVS, BRVNNEMANNVS & cumprimis SCHILTERVS addi merentur, qui in *institut. juris canonici libr. I. tit. 3. p.* 15. sequentem in modum scribit: *Neque principis, neque cleri, neque populi, sed omnium simul, sive* TOTI ECCLESIÆ *propria est potestas sacra.* Præcipue vero laudandi heic nobis veniunt ii, qui, præeunte SAM. PVFENDORFIO *de habitu relig. christ. ad vitam civilem* §. 30, 39. seqq. in tradenda jurisprudentia ecclesiastica ad indolem ecclesiæ respexerunt, hancque thesin fundamenti loco posuerunt, ecclesiam esse collegium, sive societatem quandam in civitate erectam, quæ suis juribus & libertatibus divinitus concessis fruatur, quas, ut supra ex libris nostris symbolicis observavimus, nulla humana auctoritas eidem eripere queat. Atque hinc fluunt jura sacrorum *collegialia*, in *tota ecclesia* radicaliter residentia, quæ a juribus *absolutis*, ut vocantur, magistratui politico competentibus, atque in jure *territoriali* fundatis probe sunt discernenda. Legenda, quæ hanc in rem scripserunt illustris BOEHMERVS in dissertat. *de confœderata christianorum disciplina*, quæ exstat in ejusdem *jure ecclesiastico antiquo, num.* 3. atque ex nostris theologis C. M. PFAFFIVS, Tubingensis primum, postea Giessensis academiæ cancellarius, in peculiari dissertat. *de jure sacrorum collegiali*, quæ ejusdem *originib. juris ecclesiast. p.* 328. seqq. edit. de ann. MDCCLVI. inserta est. Jungi tamen merentur CRAMERVS in dissert. *de jure collegiali*, CANZIVS in *disciplina moral.* §. 22. 46. MOSHEMIVS in *dem allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten*, quem librum sectu dignissimum post obitum b. auctoris edidit notisque adauxit CHRIST. ERNEST. a WINDHEIM. Vt complures alios scriptores a laudatiss. PFAFFIO in *den academischen Reden über das Kirchenrecht p.* 24. excitatos, jam taceamus. Quod restat, hoc unicum adhuc paucis notamus, eos, qui nulla admittunt jura *collegialia*, sed omnia jura sacrorum ex *superioritate territoriali* derivant, ac magistratui politico vindicare adnituntur, pronam sic viam ad *caesaropapiam* sternere, si vel maxime jus in conscientias magistratui denegent atque tolerantiam sectarum dissentientium serio inculcent.

(*) Non defuerunt tamen tum antiquiori, tum recentiori hocce ævo, qui doctrinam de *haeresibus* & *haereticis*,

αἱρεῖσθαι eligere (*) praeferre, est enim haeresis privata aliqua opinio, quam quis præ dogmate christiano & fide catholica sibi amplectendam eligit, eamque pertinaciter defendit, unde Justinianus nov. 118. hæreticos opponit iis, qui sunt τῆς καθολικῆς πίστεως & l. Manichaei C. de hæreticis dicitur, quod haereticus sit omnis non orthodoxus. cap. haeresis &c. cauſ. 24. quæſt. 3 ex Hieronymo: Haeresis graece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi

haereticis, variis involutam difficultatibus, ſcriptis ſuis illuſtrare ſuarum duxerunt eſſe partium, licet diverſa id fecerint ratione. Indicem illorum eundemque ſatis amplum nobis dedit Jo. Georg. Walchivs, theologus Jenenſis, isque celeberrimus, in bibliotheca theolog. ſelecta tom. I. p. 568. ſeqq. Sufficiat ex iis heic laudaſſe Jo. Marckivm, theologum reformatum Lugduno-Batavum, qui in exerc. miſcell. p. 1. ſeqq. de nomine & conſtitutione hæreſeos, itemque de hæreſium cauſſis & ortu copioſe diſſeruit, Frid. Vlr. Calixtvm, theologum quondam Helmſtadienſem, qui peculiarem tractatum de haereſi, ſchiſmatae & haereticorum pœnis Helmſt. MDCXC. in 4. edidit, Joach. Jvst. Breithavptvm, theologum quondam Halenſem, in obſervationibus theologicis de haereſi juxta ſcripturae ſenſum MDCXCVII. C. M. Pfaffivm in diſſert. de articulis fidei fundamentalibus obſ. X. nota (b) p. 31. 32. atque in inſtitut. theol. dogmat. & mor. part. III. ſect. II. p. 694. & ex Remonſtrantibus Jo. Clericvm in hiſt. eccleſiaſt. ſec. I. & II. p. 495. ſeqq. itemque in biblioth. ancienne & moderne tom. XVII. part. I. p. 183. ſeqq. Denique ex JCtorum ordine illuſtrem Boehmervm in jure eccleſiaſt. proteſtantium tom IV. lib. V. tit VII. p. 813. ſeqq.

Nec prætermittendus heic eſt b. Christianvs Thomasivs, celeberrimus quondam academiæ Halenſis jureconſultus, qui anno MDCXCVII. diſſertationem edidit de quæſtione: an haereſis ſit crimen? Quum vero in ea adfirmaſſet auctor, hæreſin eſſe voluntatis perverſitatem, ac fundamentum fidei, cui iſta repugnet, in amore erga Deum & alios, odioque erga ſe ipſum poni debere, exſtiterunt nonnulli, qui contra eundem calamum ſtringerent. Contenta diſputationis hujus Thomaſianæ recenſuit laudatiſſ. Walchivs in der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangeliſch-Lutheriſchen Kirche, part. III. cap. V. §. IX. p. 31. ſeqq. qui & loc. cit. diſſertationis de jure principis circa haereticos, ab eodem Thomasio concinnatæ, facit mentionem, atque in bibl. theol. ſelect. ſupra excitata tom. I. p. 568. 569. eos commemorat auctores, qui cum Thomaſio hac de re congreſſi ſunt.

Adjungimus huic controverſiæ aliam, quam Jo. Henr. Maivs, theologus quondam Gieſſenſis, excitavit edita anno MDCCX. diſſertatione de haereſi practica. Quum enim eandem definiviſſet per ejusmodi vivendi rationem, quæ cum fide in Deum conſiſtere nequit, ſed eandem prorſus ſubruit, dum perverſa hominum voluntas ea ſectatur, quæ voluntati divinae e diametro repugnant, definitionem hancce eapropter nonnulli repudiarunt, quoniam eadem nimis ſit generalis, & ſtante ea termini hæreſeos ſint juſto latiores. Neque enim in moribus ſed in doctrina proprie loquendo hæreſin conſiſtere, Atque hæc quoque eſt ſententia Gerhardi noſtri ſupra §. 370. num. 3. expoſita. Conf. e recentioribus b. Wernsdorffivm in cautelis circa id, quod in religione ac theologia practicum dicitur, p. 44. ſeqq. J. G. Janvm in præfat. commentat. de Nicolaitis ex haereticorum catalogo expungendis, & J. D. Dieterichvm in differentia errorum & vitiorum haereſeos practicae ſautoribus oppoſita. Verum recte monuerunt alii, licet non in moribus, ſed in doctrina proprie conſiſtat hæreſis, certum tamen eſſe, dari errores non tantum circa credenda, ſed & agenda, eosdemque maxime eſſentiales, qui in claſſem hæreſium jure meritoque referantur. Et ſane vix quisquam dubitaverit, errorem eorum, qui ſtatuunt creduntque, ſe officiis a Deo præſcriptis prorſus ſatisfeciſſe, ſi cultum duntaxat externum in conventibus ſacris uſitatum obſervaverint, atque a peccatis atrocibus inque ſenſus incurrentibus abſtinuerint, longe graviſſimum eſſe, rectiſſimeque hæreſibus accenſeri. Conſtat ex hiſtoria ſacra ejusmodi haereticos olim in gente Judaica fuiſſe cumprimis phariſæos, quos hanc ipſam ob hæreſin, quæ ſane practica erat, ſervator noſter ſæpius graviſſime reprehendit. Et quis quæſo ignoret, ejusmodi hæreticos, eosdemque haud paucos hodienum in ipſis chriſtianorum cœtibus deprehendi?

(*) Notat itaque αἵρεσις electionem vel optionem, quo ſenſu apud Chrysostomvm de virginitate cap. XLI. Theodoretvm, aliosque ſcriptores Græcos occurrit. Denotat vero etiam profeſſionem ſententiae, ſive vera illa ſit, ſive falſa, quam ſectam Latini adpellarunt. Hocce ſenſu nomen hocce olim uſurpavit Basilivs M. epiſt. XXXIII. p. 800. Vid. Ravanellvm in hac voce. Tandem vero haec vox nonniſi in vitio poni cœpit, & ſignificat errorem, ſive falſae alicujus ſententiae pertinacem electionem ac defenſionem cum animarum pernicie conjunctam. Copioſius hoc ediſſeruit teſtimoniisque veterum ſcriptorum illuſtravit Jo. Caspar Svicervs in theſauro eccleſiaſtico e patribus Graecis concinnato tom. I. voce αἵρεσις p. 119. ſeqq. Idem vir doctiſſimus loc. cit. p. 124. ſeqq. de voce αἱρετικὸς multa adnotavit leſtu dignissima.

sibi quisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Hebræi hæreticum vocant שקר, *mendacem*, scurram, sicut 2. Petr. III. 3. dicuntur ἐμπαῖκται, & Psal. I. 1. לצים, *irrisores*. Adpellatio germanica *Kezer*, deducta est vel a *Catharis* (*), quorum hypocrisin studiose imitantur; vel a קוץ spina, quia Matth. VII. 16. Christus de illis dicit: *num quid colliguut de spinis uvas?* doctrina ipsorum pungit & angit hominum animas; vel a קצר *laceravit*, *discerpsit*, quia scripturas discerpunt ac depravant, 2. Petr. III. 16. Quinam vero *proprie* &

(*) *Catharorum*, h. e. *purorum* nomen *Novatiani*, seculi tertii hæretici, seu, ut rectius vocantur, schismatici, ob munditiem, quam jactabant, superbissime sibi arrogarunt. Vid. Avgvstinvm *de haeresibus cap. XVIII.* Sequiori vero ævo, & quidem seculo XI. vel XII. hoc ipsum *Catharorum* nomen iis inditum fuit hæreticis, qui veterum *Gnosticorum* ac *Marcionitarum*, quin & subinde *Arianorum* erroribus erant addicti, atque ex Bulgaria egressi omnes Europæ provincias turbabant, ast ubique etiam ubi deprehendebantur, misere trucidabantur. Vid. quæ de iis breviter quidem, sed accurate disserit b. cancell. Moshemivs in *institut. hist. ecclesiast. antiquae & recentioris sec. XII. part. II. cap. V. §. IV. & V. p. 482. seqq.* Vbi & fontes, ex quibus plenior rerum notitia potest hauriri, adlegantur. Cæterum hi ipsi hæretici, quos modo nominavimus, in decretalibus Gregorii & alias sæpe corrupte vocantur *Cazari*, vel *Gazari*, unde nomen germanicum *Kezars*, vel *Ketters* nonnulli originem traxisse arbitrantur. Alii tamen aliter hoc sentiunt. Conferenda, quæ de hac voce b. Bavmgartenivs in *der Geschichte der Religions-Parteyen p. 6.* itemque *p. 105.* adnotavit. Add. Jo. Georg. Wachterym in *glossario germanico*, voce *Kezer p. 832. seqq*

Jam quod ad ipsum *sensum* vocis *haeresis* attinet, paucis notamus, eundem vel *biblicum* esse, vel *ecclesiasticum*, vel *politicum*. Sensu *biblico* usus hujus vocis *vel* est indifferens, ac quamvis denotat sectam, veluti in actis apostolorum, cumprimis *cap. XXIV. 5. 14. XXVI. 5. XXVIII. 22. vel* in malam partem accipitur, schismataque contentionisque studium *1. Cor. I. 10, 11, 12. XI. 19. Gal. V. 20.* quandoque & schismata cum doctrinis perniciosis conjuncta *2. Petr. II. 1. Tit. III. 10.* designat. Sensu vero *ecclesiastico* hæresis est *vel* error decisioni quatuor conciliorum oecumenicorum contrarius, *vel* error fundamentum fidei destruens cum pertinacia voluntatis defensus, qui significatus cumprimis heic in censum venit, *vel* doctrina a communi ecclesiæ, cui nomen dedimus, fide diversa. Neque enim una eademque ratione a scriptoribus ecclesiasticis tum antiquioribus, tum recentioribus accipi solet. Denique quod ad usum hujus vocabuli *politicum* attinet, in imperio Romano-Germanico il hæreticorum nomine veniunt, qui nec ecclesiæ *Romanae*, nec *Reformatae*, nec *nostrae* sunt addicti, neque adeo beneficiis instrumento pacis *Westphalicae* sanctis gaudere queunt.

Nec porro prætermittendum heic est, hæresin sensu *ecclesiastico* eoque famosiori sumtam, quo fundamentalem denotat errorem, vel *materialem* esse, vel *formalem*. *Materialis* illa est, qua quis errorem veritati fundamentali e diametro contrarium *bona fide*, vel ex præjudicio auctoritatis, vel ex quadam judicii præcipitantia, vel ex plenioris informationis defectu ingeniique imbecillitate amplectitur atque defendit, revera existimans, veritatem esse id, quod errat. *Formalis* vero illa dicitur, quando quis, ubi pleniorem notitiam nactus est, nihilominus, vel ex vana ambitione, vel ex emolumento quodam, quod inde capit, in opinione erronea pertinaciter persistit.

Addimus & hoc, quod supra jam innuere cœpimus, hæresin duplicis esse generis, vel *theoreticam*, vel *practicam*, quarum *illa* circa dogmata theoretica, *haec* circa dogmata practica versatur. Atque haec posterior eo perniciosior est, quod in praxin fidei ac pietatis immediate influit; cum contra altera illa subinde duntaxat in intellectu hæreat, nec semper immediatum in praxin christianam influxum habeat.

Denique & hoc notamus, inter vitia cum ministerio ecclesiastico pugnantia, de quibus in hocce capite erudite solideque disserit Gerhardvs noster, non tantum referendam esse *haeresin*, sed & *haeretificinam*, seu, ut alii loqui amant, *haeretificationem*, aut quod aliis magis arridet, *haeretificium*. Ut vero quid hoc nomine denotetur, clarius pateat, dabimus ejusdem definitionem eandemque satis claram, quam b. cancell. Pfaffivs hisce verbis expressit: *Haeretificina est crimen, quo calumniam perniciosi cujusdam erroris innocenti, vel in re, quae fundamentum religionis haud tangit, erroris adspergimus atque suspectam illius personam apud alios reddimus, bonaque, quae per ipsum agunter, sufflaminamus. Jam itaque*, ita pergit laudat. vir, *rem invertimus, & cum alias haeresin esse crimen, principium Romanense ferat, haeretificium nos inter crimina referimus.* Vid. ejusdem *origines juris ecclesiastici p. 205. not.* (*f*) Vberius vero & data opera hocce argumentum excussit laud. Pfaffivs in peculiari dissertat. *de crimine haeretificii, malae, quae ecclesiam vastat, peste*, quæ ejusdem *juri ecclesiastico* Tubing. MDCCXXXII. in 8. edito, *subjuncta est, p. 465. seqq.* Fuerunt vero & alii ante Pfaffivm, qui de hæretificio scripserunt, veluti Godofr. Arnoldvs, qui in *der Kirchen-*

& *specifice* loquendo dicendi sint hæretici, adcurata investigatione opus est, unde Augustinus in præfat. lib. de hæres. ad Quodvultd. *difficile esse scribit definire, quis sit haereticus.* 1.) Pontifex & canonistæ hæreticum statuunt esse eum, qui *non in omnibus ac singulis papae decretis obtemperat.* Gloss. in cap. *Nulli* &c. distinct. 19. in verbo prostratus: *Hic videtur, quod omnis, qui non obedit statutis Romanae sedis, sit haereticus*; illud postea sic limitat: *Qui dicit, Romanam ecclesiam non esse caput, nec posse condere canones, ille est haereticus.* Lucius papa in cap. *ad abolendam extra de haereticis* &c. sic loquitur: *Vniversos, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri JEsu Christi, vel de baptismate, seu peccatorum remissione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere praesumunt, quam sacrosancta Romana ecclesia praedicat & observat, & generaliter quoscunque eadem Romana ecclesia, vel singuli episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi sede vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum haereticos judicarunt, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Sic in regno papali pro hæreticis habentur, qui biblia legunt in sermone vernaculo, qui feria sexta carnibus vescuntur, &c. Sed hæc regula valde est irregularis; papæ enim decreta non sunt fidei principia, cum ex alio principio, scriptura scilicet sacra, confirmanda sint. Adde, quod papa sæpe decernat credenda commenta futilia & mendacia. Johan. Aventinus lib. III. annal. Bojorum refert, episcopum quemdam Germanum, nomine Virgilium, mathematicis artibus institutum, a Zacharia papa Romam adcersitum, & hæreseos damnatum esse, propterea quod *antipodas esse* statuerit. Auctor libri conformit. Francisc. fol. 234. col. 3. jussu pontificis Romani editi, hæresin esse dicit, non credere nugacissimis illis de Francisco fabulis. 2.) Glossa in cap. *illi, qui peregrinos &c.* caus. 24. quæst. 3. variis modis hæreticum dici admonet. Vno modo, *quicunque est dubius, in fide infidelis est*, ut juxta de hæret. *Dubius.* Secundo dicitur hæreticus *omnis simoniacus.* cap. *Quisquis &c.* causa 1. quæst. 1. Tertio, *omnis praecisus ab ecclesia secundum quod excommunicatus dicitur haereticus*, cap. 2. caus. 4. quæst. 1. Quarto, *omnis, qui male interpretatur sacram scripturam, est haereticus.* cap. *haeresis &c.* causa 24. quæst. 3. Quinto, *qui novam opinionem invenit est haereticus.* cap. *Haereticus* &c. caus. & quæst. iisdem. Sexto *qui vult auferre privilegium Romanae ecclesiae*; cap. *Omnes &c.* distinct. 22. Septimo, *qui transgreditur praecepta sedis apostolicae* cap. *Nulli &c.* dist. 19. Sed hi modi omnes nondum sufficiunt ad hæresin *proprie & stricte sic dictam*, ut ex sequentibus adparebit. 3.) Quidam hæreticorum nomine complectuntur omnes

chen. und Ketzerhistorie historiam hæreticificum per omnia secula expofuit, refutatus tamen a Jo. Fechtio, theologe quondam Roftochienfi celeberrimo, in *scrutinio profligatae ex ecclesia haeretificationis*, Roftochii MDCCXIV. typis exfcripto. Nec minus conferri heic poteft Christian. Thomasius, JctusHalenfis, isque famigeratiffimus, in differtat. cui tit. *an haeresis sit crimen? §. VIII.* itemque in *cautelis circa histor. ecclesiast.* nec non in *historia contentionis inter imperium & sacerdotium p. 472. seqq.* porro: in *notis* ad Lancelottvm *p. 1070. seqq.* & in *den juridischen Hændeln, part. IV. num. VI. p. 209. seqq.* Egit quidem Ioach. quoque Langivs, theologus quondam Halenfis, in *der richtigen Mittelstrasse, part. II. sect. I. p. 105. seqq. von dem Abwege der Ketzermacherey.* Verum deprehendimus, eundem de Spenero duntaxat, ejusdemque doctrina perperam in hæresium classem relata, ibidem verba facere. Cæterum, quemadmodum ipfa *haeresis* vel *theoretica* eft, vel *practica*, ut fupra jam obfervavimus; ita & *haeretificatio* eodem modo haud incommode dividi poteft. Vel enim *practica* illa eft, vel *theoretica.* Prior illa committitur, quando alicui innocenti hæresis practica impingitur, quod fane ii faciunt, qui hominum carnalium, irregenitorum, impiorum titulum nimis liberaliter, nec debita cum circumfpectione quibusvis impertiuntur. Quod vero ad *theoreticam* attinet hæretificationem, fupra jam obfervavimus, eandem in eo confiftere, quando hæresis theoretica homini orthodoxo, vel *bona fide* in ecclefia orthodoxa erranti, imputatur. Vid. b. Pfaffivm in diff. fupra adlegata *de crimine haeretificii p. 472.* Cui jungi meretur Jo. Clericvs in differtat. *de argumento theologico ab invidia ducto.*

omnes religionis christianæ & veritatis cœlestis adversarios, sive sint intra ecclesiam, sive extra ecclesiam. Glossa d. l. *Quandoque large dicitur haereticus omnis, qui non tenet articulos fidei, & secundum hoc Judaei & gentiles sunt haeretici.* Atqui hæretici non sunt extra ecclesiam quærendi, sed in visibili ecclesia, in quam per initiationis sacramentum sunt recepti. Sic de Corinthiis dicit apostolus 1 Cor. XI. 19. *Oportet esse haereses inter vos*, ostendens in ipso visibilis ecclesiæ gremio hæreses enasci, quo etiam pertinet parabola Christi Matth. XIII. 24. *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* v. 25. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit*; ex quo adparet, in eodem visibilis ecclesiæ agro triticum & zizania inveniri. De antichristo, quem diabolicam apostasiam (& omne genus hæresium) *in se recapitulare*, Irenæus scribit libr. V. adverss. hæres. p. 328. disertis verbis prædicit apostolus, quod sessurus sit *in templo Dei*, hoc est, in media ecclesia; & ad Ephesinos episcopos sermone converso pronunciat: Act. XX. 30. *Ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa.* Contra vero inter eos, qui *foris sunt*, & eos, qui *intus sunt*, diserte distinguit, 1. Cor. V. 12. ex quo loco petita est distinctio Augustini lib. I. contra Cresconium cap. 10. qua alienos a fide christiana secernit *in extraneos sive paganos, qui foris, & haereticos, qui intus ecclesiam oppugnant*; ac in enchirid. ad Laurent. cap. 4. itidem eos, qui christianæ fidei contradicunt, in duas classes distinguit, *aut enim omnino*, inquit, *a Christi nomine alieni sunt, aut haeretici.* Illi rectius dicuntur *infideles*, pagani, ethnici, &c. juxta phrasin Christi & apostolorum Matth. VI. 7. XVIII. 17. 1. Cor. VI. 6. VII. 12. &c. 4.) Quidam generali quadam adpellatione hæreticum dicunt eum, qui aliquoties de emendatione admonitus nihilominus obtemperare renuit. At hæc significatio est nimis generalis, quia hac ratione omnes pertinaciter immorigeri essent hæretici, ac omnes civitates & domus essent hæreticorum plenæ. In *moribus* proprie loquendo non est hæresis, sed in *doctrina* & confessione, unde hæretici sic describuntur, quod *διχοστασίαι & scandala contra salutarem doctrinam pariant*, Rom. XVI. 17. ac Tertullianus de præscript. cap. 37. inquit: *Unde extranei & inimici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit, aut recepit.* Interim non negamus, vitia morum, utpote ambitionem, invidiam, fastum, avaritiam &c. in hæreticis cum errore plerumque esse conjuncta 5.) Quibusdam omnes *schismatici* videntur hæretici; sed si adcurate & *proprie* loqui velimus, *haeretici* a *schismaticis* sunt distincti. (*) Quale vero sit illud discrimen inter hæreticum & schismaticum, ex-

(*) Vox σχίσμα ἀπὸ τῦ σχίζειν, a *dividendo, secando, scindendo*, juxta veteres glossas, est *scissura*, seu *separatio* eorum, quæ antea erant conjuncta, & *unum* quiddam constituebant. Proinde, ubi de ecclesia usurpatur, denotat *separationem* a cœtu christianorum, quæ *unitati* ecclesiæ repugnat. Interdum quidem sumitur in significatu *laxiori*, ut quamvis ab ecclesia secessionem, cum contumacia conjunctam, denotet, adeoque ipsam quoque *haeresin* ambitu suo complectatur. Plerumque vero discernitur ab *haeresi*, atque ejusmodi designat separationem, quæ ob causas tantum leviores litesque minus necessarias, vel circa dogmata minus fundamentalia, vel circa disciplinam, aut cærimonias ecclesiasticas in cœtu christianorum subortas, suscipitur. In vitio ponendam esse ejusmodi separationem, eandemque ex arrogantia falsoque zelo, qui omnem tolerantiam prorsus subruit, suam ducere originem, sapiens quisque facile intelligit. Nec tamen, quod probe hoc notandum, omnis plane secessio pro mala statim habenda, & quæ schisma inducat, sed ea duntaxat, quæ sit temere atque ob rationes minus sufficientes. Secus se res habet, si secessio fiat ob causas gravissimas maximeque necessarias, verbi gratia ob hæresin, idololatriam ac tyrannidem in conscientias: tum enim separatio ab ejusmodi ecclesia corrupta ac tot maculis conspurcata, non jam crimen pœna dignum, sed actio heroica laudeque digna jure meritoque censetur.

Equidem ex ecclesiae Romanae doctoribus fuerunt haud pauci, qui protestantibus ab ecclesia Romana secedentibus schismatis crimen impingere haud dubitarunt. Fecit id seculo reformationis Io. Eccius in colloquio Wormatiensi anno MDXXI. habito, quem postea insecuti sunt veteremque calumniam renovarunt

exponit Augustinus lib. de fid. & symb. cap. 10. *Haeretici* (inquit) *de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: schismatici autem dissensionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quae credimus.* Interim negari nequit, magnam esse inter *schisma*, præsertim inveteratum, & *haeresin* adfinitatem; quamvis enim schisma quandoque oriatur solum, vix tamen invalescit, ac vires sumit absque hæresi, neque quisquam fere discedit a fidei sinceritate, quin si adsecias inveniat, etiam ab ecclesia *veritatis columna* secessionem faciat, inde Hieronymus in comment. epist. ad Gal. scribit, ac refertur cap. *Inter &c.* c. 24. q. 3. *Inter haeresin & schisma hoc interesse arbitror, quod haeresis perversum dogma habeat, schismatici post episcopalem decessionem ab ecclesia pariter separantur; quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum, caeterum nullum schisma est, nisi sibi aliquam haeresin confingat, ut recte ab ecclesia recessisse videatur?* Et Augustinus libr. II. contra Cresc. cap. 7. hæresin vocat *inveteratum schisma.* 6.) Quidam hæreticos simpliciter definiunt eos, qui circa fidem christianam ac scripturæ interpretationem errant. Imperatores Gratianus, Valentinus, & Honorius statuerunt, ut hæreticorum numero habeantur, qui *vel levi argumento a judicio catholicae religionis ac tramite detecti fuerint deviare* l. 2. C. de hæret. (quam definitionem nimis latam esse ostendunt auctor bruti fulminis f. 131. & Dauth. de testamentis f. 300.) cap. *Haeresis &c.* c. 24. q. 3. ex Hieronymo: *Quicunque aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen haereticus adpellari potest.* & cap. *Haereticus &c.* causa & quæst. iisdem ex Augustino lib. de util. cred. c. 1. *Haereticus est, qui alicujus temporalis commodi & maxime vanae gloriae principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur*; quam definitionem hæretici, ut hoc obiter moneam, in papistas quadrare, late ostendit Vergerius in scholiis super literas papæ ad senatores laicos regni Poloniæ. Biel lib. IV. sent. dist. 13. q. 2. *Haeresis secundum Occamum* lib. II. dial. part. 1. c. 6. *est dogma falsum fidei orthodoxae contrarium: fides, hoc est, catholica veritas est veritas revelata a Deo vel in se, vel in suo antecedente pertinens ad religionem. Pertinet ad religionem, quidquid ad pietatem, hoc est, cultum Dei, aut ad finem beatitudinis consequendae ordinatur.* At non omnes, qui errant circa fidem, vel scripturæ interpretationem, statim sunt hæretici. Omnes quidem hæretici errant circa fidem, sed non omnes, qui errant, statim sunt hæretici, quod Augustinus in præfat. libri de hæresib. ad Quodvultd. sic effert: *Non omnis error haeresis est, quamvis omnis haeresis, quae in vitio ponitur, sine errore aliquo haeresis esse non possit*, ac alibi scribit: *Errare potero, haereticus*

xerunt fratres Walenburchii, Vitus Ebermannus, Augustinus Gibbon de Burgo, Petrus Nicolivs, Ferrandvs, Bruvsius aliique. Sed solide eosdem confutarunt ex nostris Musaevs, Veielivs, Baiervs, Spenervs, Jo. Frickivs, Christophorvs Matth. Peaffivs, ex Reformatis Jo. Crocivs, Paionivs, Clavdivs, Jvriaevs, ex Anglis Henr. Hammondvs, aliique, quos recensuit celeb. Jo. Ge. Walchivs, theologus Jenensis, in der *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten, welche ausser der evang. Lutherischen Kirche entstanden, part. II. cap. III. §. V. p. 1046. seqq.* Cumprimis argumentum hoc ex Reformatis egregie pertractavit Franciscvs Tvrretinvs, theologus quondam Genevensis, tum in *institut. theologiae elenchticae, part. III. loc. XVIII. quaest. XV. §. VIII. p. 158*, tum vero vel maxime in peculiari *disputatione de necessaria secessione nostra ab ecclesia Romana*, cujus altera editio, eaque aucta & recognita Genevae MDCXCI. in 4. prodiit; ubi inter multa alia & hoc monet vir laudatiss. „longum latum„que discrimen intercedere inter haec duo, quae ta„men turpissimo errore confundant pontificii, *discee„dere ab ecclesia, & discedere ab ecclesia Romana.* „Cum enim *ecclesia* proprie sic dicta sit societas „omnium fidelium per verbum & spiritum ad com„munionem ecclesiae vocatorum, procul dubio ne„minem posse sine gravissimo, immo certissimo sa„lutis periculo ab ea discedere, quandoquidem extra „eam nulla dari possit salus. Ast longe aliter pro„nunciandum esse de *ecclesia Romana*, quae sit coe„tus particularis visibilis, nec tantum deseri possit, „sed & debeat, si ita sit corrupta, ut fundamenta „salutis in ea illibata non maneant amplius, nec ul„lus salva conscientia illius sacris interesse possit.

relisus non ero. Sic quidam ecclesiæ doctores in interpretandis quibusdam scripturæ dictis a proprio & genuino eorum sensu aberrant, quos tamen non possumus protinus in censum hæreticorum referre, cum in hac vita *ex parte cognoscamus, & ex parte prophetemus.* 1. Cor. XIII. 9. Videatur Augustinus lib. I. de Genesi ad literam cap. 21. & lib. X. de civit. Dei cap. 19. ubi ostendit, aliud esse a genuino alicujus dicti sensu aberrare, aliud a fidei regula discedere. Præterea quidam errore suo non impingunt directe in ipsum fidei fundamentum, sed retento ecclesiæ fundamento, quod est Christus in sua persona & officio, *superaedificant fœnum ac stipulas*, 1. Cor. III. 11. & seqq. qualis erat error Cypriani de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati: error Augustini de infantibus eucharistia cibandis, &c. Tales vero protinus hæreticos deputare haudquaquam convenit, cum hæretici extra Christum aliud fundamentum quærunt, hi autem fundamento vero stipulas erroneaeum opinionum superædificent. 7.) Quidam etiam eos hæreticis adnumerant, qui privatos in fide errores fovent, licet eos non disseminent, nec alios in suas partes pertrahere laborent. Sed quamvis tales magno cum animarum suarum periculo errent, *proprie* tamen & adcurate loquendo hæretici non sunt; illi enim in sacris literis sic describuntur, quod *veniant* ad alios seducendos, Matth. VII. 15. quod *veniant* ad ovile dominicum, ut furentur, mactent ac perdant, Joh. X. 10. quod διχοστασίας *& scandala excitent*, Rom. XVI. 17. quod non ipsi solum a veritate excidant, sed etiam *aliorum fidem subvertant*, 2. Tim. II. 18. quod *errent, & in errorum consortium alios perducant*, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι, 2. Tim. III. 13. quod *inducant sectas perditionis*, 2. Petri II. 1. quod sint *seductores in mundum exeuntes, & peregrinam doctrinam adferentes*, 2. Joh. v. 7. & 10. 8.) Denique nisi ad errorem pugnantem contra fundamentum accedat pertinacia, nondum hæresis proprie sic dicta judicari ac dici potest. Neque enim in solo intellectu, neque in sola voluntate vitium illud quærendum est. Sed sicut vera ac salvifica fides notitiam in mente, adsensum ac fiduciam in voluntate; ita hæresis in intellectu errorem, & in voluntate pertinaciam simul complectitur. Inde Tit. III. 10. sic describuntur hæretici: *haereticum hominem, post unam atque alteram admonitionem devita.* v. 11. *scient, quia subversus est ejusmodi, & delinquit, cum sit* αὐτοκατάκριτος, *proprio judicio condemnatus.* Tales 1. Tim. I. 19. *repulsa bona conscientia fidei naufragium fecisse*, ac cap. IV. 2. *cauteriatam*, sive cauterio notatam, *conscientiam habere* dicuntur. Augustinus lib. XVIII. de civit. Dei c. 51. *Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt*, (al. sentiunt) *si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici sunt.* Contra vero, ut idem scribit epist. CLXII. *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumtionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi;* unde libr. III. de baptism. contra Donat. cap. 19. tales *errantes*, non autem hæreticos nominare voluit, quæ dicta Augustini citantur in cap. *dixit &c.* & cap. *Qui in ecclesia &c.* caus. 24. q. 3.

§. CCCLXXI. Ex his omnibus constare potest, ad id, ut quis sit proprie dictus hæreticus, requiri: 1.) ut sit persona *in ecclesiam visibilem* per baptismi sacramentum recepta. 2.) Vt erret *in fide*, sive errorem illum noviter introducat, sive ab alio acceptum amplectatur; quamvis illud *haeresiarchae*, hoc vero *haeretici* proprium videri possit cap. *Qui aliorum &c.* caus. 24. q. 3. ex Vrbano. 3.) Vt error directe in *ipsum fidei fundamentum* impingat. 4.) Vt errori conjuncta sit *malitia ac pertinacia*, per quam etiam aliquoties admonitus nihilominus obstinate errorem suum defendat. 5.) Vt *dissensiones* & scandala *in ecclesia*

Quomodo cum haereticis agendum?

sia excitet, ejusque unitatem scindat. Quomodo vero cum talibus hæreticis agendum sit, distincte explicandum pro diversa ratione personarum, quibus res est cum hæreticis, quarum quædam sunt *privatae*, quædam vero *publicae*. Privatas quod adtinet, illis a Christo & apostolis præcipitur, ut ab hæreticis diligenter sibi *caveant*, Matth. VII. 15. ubi in græco est προσέχειν, quod singularem in illis vitandis adtentionem requirit, ut ab illis *fugiant*, Joh. X. 5. ut eos *observent*, & *ab eis declinent*, Rom. XVI. 17. ut orent, ecclesiam liberari ab illis, utpote *importunis & malis hominibus*, 2. Thess. III. 2. ut *post unam atque alteram admonitionem eos devitent*, Tit. III. 10. ubi in græco est παραιτεῖσθαι, quod significat aliquem *aversari*, *repudiare* ac *prorsus rejicere*, ut ne quidem *in domum eos recipiant, nec ave illis dicant*. 2. Joh. v. 10. &c. Quo pertinent illæ obtestationes veterum: Ignatius epist. II. ad Trallens. φεύγετε τὰς κακὰς ἁιρέσεις, τὸ διαβόλου γάρ εἰσιν τὰ ἀρχικακὰ ὄφεως τοῦ διὰ τῆς γυναικὸς ἀπατήσαντος Ἀδὰμ τὸν πατέρα τῆς γένεως ἡμῶν. Idem epist. VI. ad Philadelph. Τὰς μισοῦντας τὸν Θεὸν μισεῖν χρὴ καὶ ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς αὐτοῦ ἐκτήκεσαι, ἃ μὲν καὶ τύπτειν αὐτὰς ἢ διώκειν, καθὼς τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν κύριον καὶ Θεὸν, ἀλλ' ἐχθρὰς μὲν ἡγεῖσθαι καὶ χωρίζεσθαι ἀπ' αὐτῶν. Irenæus libr. III. contra hæreses cap. III. p. 171. de Johanne apostolo refert, quod *in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus, dicens quod timeat ne balneum conciat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Ibidem de Polycarpo ac[illegible], quod *Marcioni sibi aliquando occurrenti & dicenti: Cognosce nos, responderit: Cognosco te primogenitum satanae.* Postea concludit Irenæus: *Tantum apostoli & horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.* Cap. 4. p. 172. subjungit de barbaris, (Germanis, majoribus nostris) quod *si quis adnunciasset ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum collocutus, statim concludentes aures longo longius fugerint, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.*

§. CCCLXXII. *Publicae* personæ vel sunt *ecclesiasticae*, vel *politicae*. Ecclesiasticis personis convenit exemplo Christi hæreticos φιμᾶν, quod est capistro quasi injecto os ipsis occludere, Matth. XXII. 34. eosque juxta præscriptum apostoli ἐπιστομίζειν, os illis obturare, hoc est, tales refutationes proferre, ut adversarius, quod specie aliqua veritatis objiciat, non inveniat. Tit. I. 11. Id vero ut obtineant, oportet ecclesiæ ministros εἶναι δυνατὲς τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, Tit. I. 9. quique possint *gladium Spiritus* contra eos vibrare, Eph. VI. 17. atque *lupos* hosce ovili dominico insidiantes in lucem protrahere. Quemadmodum enim, ut habet pulcerrima similitudo Irenæi libr. I. adverss. hæres. cap. 35. p. 91. *bestiae alicujus in sylva absconditae & inde impetum facientis & multos vastantis, qui segregat & denudat sylvam, & ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendam, videntes, quoniam ea fera est: ipsis enim adest videre & cavere impetus ejus, & jaculari undique, & vulnerare & interficere vastatricem illam bestiam: sic & nobis, cum haereticorum* (qui comparantur *ferae arundinis*, sive in arundine latenti Ps. LXVIII. 31.) *abscondita & apud se tacita mysteria in manifestum redegerimus, jam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam.* Quæ refutatio hæreticorum muneris ecclesiastici pars est maxime necessaria ac difficillima, in hac præsertim effœta mundi senectute, variarum hæresium feracissima, quas edomare, & ut pulcerrime loquitur Justinus in ἐκθ. πίς. p. 302. καταβολεῖν τὴν ἀπιστίαν καὶ περικλεῖσαι τὰς βλασφήμους γλώσσας ψεύδεσθαι ἀπιστίαν, *ac circumcludere Deo bellum inferentes linguas*, labor est longe gravior, quam is, quem in hydræ capitibus perpetua quadam successione repullulantibus Hercules sustinuisse fingitur. Quomodo vero magistratus politicus hæreticos coercere & possit & debeat, in sequenti expositum dabitur tractatu.

CAPVT

CAPVT IX.

DE VSV HVIVS LOCI.

Vsus hujus loci.

§. CCCLXXIII. Vsus hujus loci est *generalis* ac *specialis*. *Generalis*, 1.) διδακτικὸς, ut ministerii ecclesiastici necessitatem, dignitatem atque utilitatem agnoscamus, ac Deo pro illius institutione ac conservatione debitas agamus gratias. Quid enim prodesset nobis nasci, nisi per verbi & sacramentorum ministerium ad vitam æternam contingeret renasci? Quid prodesset nobis opus redemtionis, & alia beneficia per Christum præstita, nisi per verbum & sacramenta, quorum œconomi sunt ecclesiæ ministri, eadem nobis distribuerentur? Quid commodi ad nos rediret ex cœnæ magnæ & nuptialis convivii præparatione, Luc. XIV. 16. Matth. XXII. 2. nisi per servos cœlestis patrisfamilias ad eam invitaremur? 2.) ἐλεγκτικὸς, ut sinceritatem hujus articuli contra errores Swencfeldianorum, anabaptistarum, Photinianorum, & quorumvis adversariorum tueamur. *Specialis*, 1.) respectu *ministrorum*, ut considerata muneris sui amplitudine ac difficultate feriis precibus divinum auxilium, præsidium & benedictionem implorent, ac verbum Dei pure prædicando, sacramenta juxta Christi institutionem administrando, clavibus recte utendo, disciplinam ac bonum ordinem conservando, pauperum curam suscipiendo, ægrotos visitando, ac mores honeste regendo opus faciant evangelistæ, & ministerium suum impleant, 2. Tim. IV. 5. seque ipsos studeant probabiles exhibere Deo, operarios ἀνεπαισχύντους, 2. Tim. II. 15. inque omnibus laboribus, periculis & adversis sese erigant promissionibus de divina gratia, præsidio & auxilio, &c. 2.) Respectu *auditorum*, ut debitam ministerio exhibeant reverentiam, obedientiam, & sustentationem necessariam, ac pro illius conservatione serias ad Deum quotidie preces fundant. 1. Tim. V. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime, qui laborant in verbo & doctrina.* Hebr. XIII. 17. *Obedite præpositis vestris, & subditi estote illis, ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri pro eis,* v. 18. *orate pro nobis,* &c.

CAPVT X.

DE DEFINITIONE MINISTERII ECCLESIASTICI.

Definitio ministerii ecclesiastici.

§. CCCLXXIV. Ex his omnibus colligitur, quod ministerium ecclesiasticum sit *officium sacrum & publicum divinitus institutum, ac certis hominibus per legitimam vocationem commendatum, ut peculiari potestate instructi verbum Dei doceant, sacramenta administrent, ac disciplinam ecclesiasticam conservent ad hominum conversionem & salutem promovendam, Dei vero gloriam propagandam.* Deus, qui sacrum illud & augustum munus instituit, id ipsum apud nos inviolatum conservet, ac per illud inter nos sibi perpetuo ecclesiam colligat, a qua in hac & futura vita recte agnoscatur, celebretur & glorificetur in omnes nunquam finiendorum seculorum æternitates!

Amen!

Locvs XXV.

DE MAGISTRATV POLITICO.

PROOEMIVM.

§. I.

Ratio ordinis.

Doctrinam *de ecclesia & ministerio ecclesiastico* conveniens ordine sequitur articulus de *magistratu politico*: 1.) Quia, ut ministerium ecclesiasticum primam, sic magistratus christianus alteram hierarchiam, sive statum in ecclesia divinitus ordinatum constituit. 2.) Quia magistratus non minus, quam ministerium ob ecclesiæ collectionem, conservationem & propagationem a Deo est institutus, siquidem illius opera conservatur tum disciplina externa, tum pax & tranquillitas publica, absque qua ministerium ecclesiasticum convenienter munere suo perfungi, & ecclesiæ collectio ac propagatio locum habere vix posset. 1. Tim. II. 2. 3.) Quia magistratus est veluti θρίγκος ac septum ecclesiæ, Ps. XLVII. 10. nec enim tantum corpora & facultates nostræ hoc validissimo muro cinguntur, sed etiam ecclesiæ munimentum præstatur, dum coercetur rabies eorum, qui omnia sacra eversa cupiunt, ut suis cupiditatibus libere indulgere possint. 4.) Quia magistratus pius & christianus est ecclesiæ *nutritius* Es. XLIX. 23. *Erunt reges nutritii tui, & reginae nutrices tuae.* Vt Bethlehema præsepium Christo nascenti præbuit, sic politiæ exhibent hospitium ecclesiæ. 5.) Quia Dei bonitas non minus elucet in beneficiis, quæ per magistratum humano generi præstat, quam in bonis, quæ per ministerium ecclesiasticum eidem confert. Propter peccatum protoplastorum non solum spiritualibus & æternis futuræ vitæ bonis, sed etiam corporalibus & externis hujus vitæ commodis genus humanum excidit; sed Deus ex miranda & nunquam satis prædicanda benignitate propter Filii interceſſionem non illa solum, sed etiam hæc restituit ac reparavit, ac media illis conservandis ordinavit, inter quæ eminet politicus magistratus.

Magistratus & ministerii convenientia.

§. II. Quid quod in multis magistratui politico cum ministerio ecclesiastico *convenit*? Conveniunt enim 1.) *Genere proximo*; ministerium ecclesiasticum est potestas, magistratus politicus itidem est potestas. 2.) *Causa efficiente principali*; quæ est Deus utriusque ordinis auctor & conservator. 3.) *Subjecto remoto*; utraque potestas ab hominibus administratur. 4.) *Causa finali generica*; utraque enim potestas ad ecclesiæ collectionem, conservationem ac propagationem, itemque ad Dei gloriam ordinata est. Mutuas etiam sibi tradunt operas: ministerium ecclesiasticum in temporalibus indiget cura ac defensione magistratus politici, ac vicissim magistratus in spiritualibus æternam salutem concernentibus indiget opera ministerii. Sine ecclesiastico ministerio commode quidem, at non pie; sine politica potestate pie quidem, sed non commode vivi potest. Interim tamen *differunt*

& differentia.

1.) *Causa efficiente instrumentali & mediata*, quia per alios vocat Deus ad ministerium, per alios ad magistratum. 2.) *Forma*; potestas politica est ἀρχικὴ καὶ δεσποτικὴ, prætoria, potestas ecclesiastica est διακονικὴ ministratoria. Illa habet auctoritatem condendi novas leges cum jure naturæ nequaquam pugnantes, hæc vero

vero ad præscriptum legum divinarum est adstricta. Illa armata est gladio corporali, hæc vero spirituali, verbo scilicet & clave ligante ac solvente. 3.) *Subjecto proximo*; aliæ enim personæ funguntur ministerio ecclesiastico, aliæ vero magistratu politico, neque enim *convenit unum habere duplicem professionem*, scribit Ambrosius in comment. 2. Timoth. 4.) *Objecto*; potestas ecclesiastica occupatur in rebus spiritualibus ad salutem consequendam immediate spectantibus: politica vero in rebus corporalibus & externis, ad salutem consequendam indirecte ac mediate duntaxat spectantibus. 5.) *Effectis*; per ministerium ecclesiasticum dispensat Deus beneficia spiritualia, remissionem peccatorum, tranquillitatem conscientiæ internam, donationem Spiritus sancti, & vitam æternam. Per magistratum politicum conservat pacem & tranquillitatem externam, administrat justitiam civilem, defendit facultates, famam & corpora nostra, atque externum ecclesiæ munimentum præstat. 6.) *Modo executionis & administrationis;* minister ecclesiæ non per quæstiones violentas & tormenta, sed per prædicationem legis in delicta inquirit, secus agit magistratus politicus. Minister ecclesiæ verbo, excommunicatione & clavis ligantis usu coercet delinquentes, atque arguit etiam interiora delicta, & absconditam cordis immunditiem: magistratus gladio punit peccantes, & externa duntaxat delicta in pœnis infligendis spectat. Deut. XVII. 4. & seqq.

Utilitas & necessitas hujus doctrinæ.

§. III. Cæterum non solum *utile*, sed etiam *necessarium* est, doctrinam de magistratu politico inter capita fidei christianæ tractari & explicari, tum propter eos, qui magistratum gerunt & imperant, tum propter eos, qui magistratui parent. Illorum conscientiæ erudiendæ & informandæ sunt, ut sciant, se versari in statu divinitus ordinato, ac proinde etiam Deo placente, nec turbentur fanaticorum disputationibus, huic divinæ ordinationi quovis modo detrahentibus, atque ut discant, quomodo in hoc statu sese gerere, & muneris sui partes recte administrare debeant. Exstat in tomo secundo operum germanicorum scriptum Lutheri de magistratu politico, deque obedientia illi præstanda, quod cum Fridericus, Saxoniæ dux, sapiens dictus, legisset, præ lætitia exsultavit, ac sublatis in cœlum manibus Deo gratias egit, quod *ex sacris literis jam cognitum atque exploratum teneret, se in ejusmodi ordine constitutum esse, qui Deum autorem habeat, & in quo bona conscientia versari, Deoque placere possit.* Hi ad debitam magistratui obedientiam præstandam incitandi, & quibus obedientia illa terminetur limitibus, erudiendi.

Titulus hujus doctrinæ.

§. IV. Notandum vero hoc loco, quod titulus de *magistratu* sit quodammodo angustior, cum non solum de magistratu, sed etiam de subditis in hoc articulo sit tractandum. Duplices enim personæ ad constitutionem reipublicæ concurrunt tanquam essentialia & integrantia ejusdem membra, videlicet *magistratus & subditi*; illi præsunt, hi subsunt, illi imperant, hi parent: cum respublica nihil aliud sit, quam *ordo imperantium ac parentium certis invicem legibus devinctorum.* Aristoteles lib. I. polit. cap. 3. Rectius igitur de politiis, vel de ordine politico hic articulus inscriberetur, sed nolumus a recepta in ecclesia loquendi consuetudine recedere; interim tamen evidentioris ordinis causa duas principales hujus articuli constituemus partes, quarum prior aget de *magistratu*, posterior de *subditis*.

PARS

PARS I.
TRACTATIONIS DE MAGISTRATV.
CAPVT I.
QVOD
ONOMATOΛOΓIAN HVIVS ARTICVLI EXPLICAT.

Ονοματολογία. 1.) Ἐτυμολογία.

§. V. Vt in reliquis fidei christianæ articulis explicandis, ita quoque in hoc ipso primum locum obtinet ὀνοματολογία, secundum πραγματολογία, quia per notitiam nominum deducimur ad cognitionem rerum. Ad ὀνοματολογίαν pertinet 1.) ἐτυμολογία, 2.) ὁμωνυμία, 3.) συνωνυμία. Circa *etymologiam* notandum, quod nomen *magistratus* plerique derivent a *magistro*, quia apud Romanos is, qui dictator erat, ac supremam potestatem gerebat, magister adpellari solebat, ut ex Cicerone, Livio, & aliis historiæ Romanæ scriptoribus constat, atque adhuc hodie in civitatibus, præsertim liberis & imperialibus, qui ad clavum reipublicæ sedent, vocantur magistri civium, magistri tribuum, *Bürgermeister*, *Stadtmeister*, *Ammeister*. Cælius Rhodiginus libr. VII. antiquar. lection. cap. 17. multis ostendit, magistrum pro dictatore in epist. Ciceronis ad Gallum esse positum: „Quod „magistrum (*inquit*) pro dictatore accipiamus, „forte ridiculum sciolis haud ita multa versantibus videatur. Cæterum scribit Seneca, „eum, quem modo dictatorem dicimus, & „in historiis ita nominari lectitamus, apud „antiquos magistrum populi vocatum, & id „in libris adnotatum auguralibus, præterea „esse argumento, quod qui ab illo nominaba„tur, magister equitum erat & dicebatur. Por„ro Titus quoque Livius dictatorem refert mo„deratorem atque magistrum consulibus adpo„situm, sed de finibus. *Item III. libro de „sapiente*: rectius, *inquit*, adpellabitur ma„gister populi, is enim est dictator, quam „Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum lu„xuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit.„ Hactenus Rhodiginus. Ipsum vero nomen *magistri* Sextus Pompeius deducit ab adverbio *magis*, unde *magisteria* (inquit idem) *dicuntur in omnibus rebus, quae magis caeteris praesunt, ut magisterium equitum, vicorum*, &c. Cicero in libr. de senect. *Me magisteria delectant a majoribus instituta.* Suetonius in Augusto: *Magisteria municipiorum ἀρχὰς* municipales vocat. Magisterare apud Festum est regere & moderari sumtum. Alii vero deducunt ab adpellatione illa, qua sapientes Persarum honorabantur. Dicebantur enim apud Persas magi, qui Græcis erant philosophi, Latinis sapientes, Gallis druydes, Ægyptiis sacerdotes, ut magister sit quasi Μαγίας ἴσως. Magia enim olim honesta vox erat, & magorum adpellatio erat amplissima & honestissima. Cicero lib. de div. *Sapientum & doctorum genus magorum habebatur in Persis.* Herodotus lib. I. hist. p. 26. *Magi fuerunt sapientes Persarum.* Plato in Alcibiade dicit: *Magos Persicos fuisse divini & humani juris interpretes & universae philosophiae professores.* Suidas scribit, illos fuisse *philosophos & philotheos*, dicti sunt ab מגה quod est *inquirere, scrutari, meditari.* Et quia in illorum scholis informabantur, qui ad rerum gubernacula evehendi, quin & ipsi quandoque regnorum habenas obtinebant, teste Cicerone libr. I. de divin. inde factum, ut *magistri* nomen ab illis deductum ad personas imperium gerentes adcommodaretur. Musculus in locis p. 620. deducit a Græco μέγιστος, quæ sonat maximum & amplissimum, sed hæc etymologia est nimis dura ac remota.

Μεγισάνες.

§ VI. Magistratus nomini apud Græcos respondent μεγισᾶνες, proceres, Marc. VI. 21. *Herodes convivium instruxit τοῖς μεγισᾶσιν αὐτοῦ*, Apoc.

VI. 16. *Reges terrae καὶ οἱ μεγισᾶνες abſconderunt ſe.* cap. XVIII. 23. *Mercatores tui erant μεγισᾶνες τῆς γῆς*, ex quibus locis colligitur, *μεγισᾶνας* eſſe inferiores magiſtratus, cum a regibus tanquam ſuperioribus diſtinguantur, dicuntur a *μέγιϛος maximus*, ſicut a *magnus* dicuntur *magnates*, eo quod auctoritate, dignitate & poteſtate alios antecellant. LXX. interpretes utuntur pro אַדִּירִים *illuſtres, magni, robuſti*; Jerem. XIV. 3. Dan. III. 25. Nahum. II. 6. Zach. XI. 2. pro גְּדֹלִים *magni, magnates*; Jon. III. 7. ex decreto *regis & magnatum* jejunium indicitur. Nahum. III. 10. *Omnes magnates ſive optimates ejus ſunt adligati compedibus*; pro chaldaico רַבְרְבִים *principes*, Dan. IV. 33. V. 1. quos partem imperii obtinuiſſe, patet ex Dan. VI. 7. & pro שָׂרִם principes 2. Paral. XXXVI. 18. Prov. VIII. 16. Eſ. XXXIV. 12. &c. Alexander Aphrod. in topic. *ὁ τιμῆς ὀρεγόμενος παρὰ βασιλέως ἢ παρὰ μεγισᾶνων.* Suetonius in vita Caligulae & Cornelius Tacitus dixerunt Latine itidem *megiſtanes. οἱ ἄρχοντες καὶ αἱ ἀρχαὶ* dicuntur *παρὰ τὸ ἄρχειν*, quod eſt *imperare, mandare, edicere.*

Politiae. §. VII. Magiſtratus politicus dicitur a *politiis*. Politia *ἀπὸ τῆς πόλεως* dicta plerumque notat regimen, ſive adminiſtrationem reipublicae, ab Ariſtotele libr. III. politic. cap. 4. dicitur *πόλεως τάξις*. Iſocrates *πᾶσα πολιτεία ψυχὴ πόλεως ἐϛι, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις.* Politica eſt *civilis ſcientia*, ut ſubintelligatur *δύναμις*, vel *τέχνη, peritia reipublicae adminiſtrandae, & ars juſtam politiam inſtituere & adminiſtrare docens.* Plato: *ἡ πολιτικὴ ἔϛιν ἐπιϛήμη, καθ' ἣν αἱ πόλεις εὖ οἰκοῦνται.* Πόλις civitas (dicta tanquam civium unitas) tum pro urbe muris cincta vicisque & aedificiorum ſerie diſtincta, tum pro ipſis civibus uſurpatur, quae poſterior ſignificatio eſt ipſi maxime propria; *non enim in parietibus, aut in muris, ſed in ipſa hominum multitudine poſita eſt civitas*, ut loquitur Pompejus apud Dionem, cum quo congruit illud Thucydidis libr. VII. hiſt. p. 260. *ἄνδρες γὰρ πόλις καὶ οὐ τεῖχη ἄδειν ἀνδρῶν κενά.* Reſpectu hujus poſterioris ſignificationis definitur ab Auguſtino libr. XIX. de civit. Dei cap. 23. quod ſit *coetus multitudinis juris conſenſu & utilitatis communione ſociatus.* Ex pluribus hominibus ſimul habitantibus familiae, ex pluribus familiis pagi, ex uno, vel pluribus pagis urbes originem duxerunt. Cum enim homines per conjugium multiplicati vicinis inter ſe locis propter commoditatem ac ſociabilitatem natura inſitam habitarent, ex pluribus familiis ſimul collectis orti ſunt vici, a via ſic dicti, ſive pagi a graeco *πηγὴ* dorice *παγὴ*, qui fons eſt Latinis, unde pagani dicti eodem & communi fonte utentes, ſed in agris absque muro cingente habitantes. Poſt multiplicatis familiis propter metum tum hominum, tum ferarum, urbes exſtrui & muris circumcingi coeperunt, dictae ex eo, quod *olim in orbem circumducerent aratrum, dum moenia urbis primum deſignarent*, teſte Varrone, & ex eo Caelio Rhodigino libr. XIV. antiquit. cap. 1.

§. VIII. Circa *ὁμωνυμίαν* obſervandum, quod nomen *magiſtratus* dupliciter ſumatur: 1.) *Abſtracte* pro ipſa poteſtate & auctoritate, qua divinitus inſtructi ſunt, quibus regimen eſt commiſſum, unde vulgatae illae apud Ciceronem formulae, *gerere magiſtratum, inire magiſtratum, fungi magiſtratu, abire magiſtratu.* Livius ex Demoſthene dicit: *Magiſtratus oſtendit virum, ἢ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυϛι.* In hac ſignificatione ſemel duntaxat in codice biblico uſurpatur: 1. Maccab. VIII. 16. *Romani committunt uni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſae terrae, & omnes obediunt uni*; ubi intelligitur dictatura, ſuprema illa poteſtas in ſenatu populoque Romano. 2.) *Concrete* pro perſonis, quae gerunt magiſtratum, & poteſtate imperandi ſunt inſtructae. Cicero lib. I. offic. *Eſt proprium munus magiſtratus, hoc eſt eorum, qui cum imperio ſunt, intelligere*

Magiſtratus.

Ὁμωνυμία.

telligere se personam gerere civitatis, debemus ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, & fidei suae commissa meminisse. Hæc significatio in sacris literis est frequentissima : Esdr. IX. 2. Nehem. II. 16. Jerem. LI. 23. Luc. XXII. 11. &c. Pari ratione vox ἐξουσίας accipitur 1.) *Abstracte*: Luc. IV. 6. *Dabo tibi τὴν ἐξουσίαν ταύτην*, hoc est, *τὰς βασιλείας*, ut ex v. 5. colligitur; Luc. XIX. 17. *habens* ἐξουσίαν *super decem civitates*; Luc. XXIII. 7. ἐκ τῆς ἐξουσίας *Herodis*. 2.) *Concrete*: Matth. VIII. 9. Εἰμὶ ὑπὸ ἐξουσίαν. Luc. VII. 8. Ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος, Rom. XIII. 1. *Omnis animas subdita sit* ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις; ubi non sine gravi consilio apostolus *abstractiva* locutione uti voluit, ut ostenderet subditos non debere ad personas imperantium respicere, sed ad ipsorum officium & ad potestatem, qua divinitus sunt instructi. Quos enim apostolus hoc loco vocat ἐξουσίας, eos Christus adpellat ἐξουσιάζοντας Luc. XXII. 25.

Ἐξουσίας.

Πολιτεία in abstracto significat 1.) *Statum reipublicae*, ut quando Philosophus dicit libr. VIII. polit. cap. X. πολιτείας ἐστὶν εἴδη τρία, & postea: εἰσὶ δὲ αἱ μὲν πολιτεῖαι, βασιλεία δὲ, καὶ ἀριστοκρατία καὶ ἡ δημοκρατία. 2.) *Regimen & administrationem reipublicae*, ut quando idem adserit, πολιτείαν εἶναι βίον τῆς πόλεως, 3.) *Jus civitatis in republica*, quod alias vocatur πολίτευμα, Act. XXII. 28. πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. Huc referri etiam potest illud apostolicum: Eph. II. 12. *abalienati a politia Israelis.* 4.) *Institutum ac rationem vitae quamcunque.* Sic apud Basilium ἡ κατὰ Θεὸν καὶ ἡ κατ' εὐαγγέλιον πολιτεία dicitur piorum conversatio, referente Budæo p. 766. Et ἀποστολικὴ πολιτεία apud Suidam. *In concreto* significat *coetum hominum*, certo jure & ordine consociatorum.

Πολιτείας.

§. IX. Ad *Synonymiam* pertinent adpellationes *hebraeae*, *graecae*, & *latinae*, quarum quædam sunt *propriae*, quædam vero *metaphoricae*, quædam ipsis tribuuntur ratione *causae efficientis*, quædam respectu *formae*, quædam respectu *finis & officii*, quædam ratione *adjunctorum*, *&c.* Hebræis dicuntur 1.) אֲדֹנִים *domini*, Gen. XLV. 8. Esa. XXII. 18. ab אָדֶן *basis*, quod instar basis aut columnæ sustentent politiam. 2.) אַדִּירִים *illustres*, *magnifici*, *sublimes*: Jud. V. 25. 2. Paral. XXIII. 20. Jer. XIV. 3. 3.) אַחַשְׁדַּרְפְּנִים *magnates*: Esth. III. 12. VIII. 9. Dan. III. 27. &c. Est vox septem literarum in singulari, composita ex אַחַשׁ *magnus*, דַּר *manens* & פָּנִים *facies*, principes magni, qui semper manent apud regem, ejusque faciem vident. 4.) אֵילִים *fortes*, penes quos est facultas aliquid faciendi: Exod XV. 15. Job. XLI. 16. Ezech. XXXI. 11. 5.) אַלּוּפִים *ductores*, *principes*, *duces*, qui non sunt coronati ut reges Genes. XXXVI. 15. ab אֶלֶף *millenarius*, *mille viri*, quia populus judaicus oppidatim distributus erat in chiliades seu millenarios, hinc, quod Mich. V. 1. dicitur בְּאַלְפֵי *in millibus Juda*, ἐν χιλιάσιν id Matth. II. 6. redditur, ἐν τοῖς ἡγεμόσιν inter *duces*. 6.) גְּדוֹלִים *magni*, *magnates*: 2. Sam. III. 38. וְנָדוֹל, & *magnus cecidit*. Targum וְשַׁלִּיט & *princeps*. 2. Regum X. 6. apud גְּדוֹלֵי הָעִיר magnates urbis, quorum magna est auctoritas & potentia. Jerem. LII. 13. & *omnem domum* הַגְּדוֹל *magnatis*, *combussit igni*. Targum בָּתֵּי רַבְרְבַיָּא domus magnatum, ad radice גדל *magnus fuit*, quod refertur tum ad quantitatem, tum ad qualitatem. 7.) מֹשְׁלִים *dominatores*, *domini*, a radice מָשַׁל *dominatus est*, auctoritatem, potestatem, & jus habuit in rem, vel personam aliquam. 1. Reg. V. 21. 2. Paral. VII. 18. 8.) מְלָכִים *reges*, quod nomen usurpatur vel γενικῶς pro quovis dominatore, qui vel ditioni, vel urbi alicui cum imperio præest; vel εἰδικῶς, pro eo, qui summam habet potestatem non solum in subditos, qui mere & absolute tales sunt: sed etiam in proceres regni, qui limitate sunt subditi, & partem aliquam imperii obtinent: Gen. XIV. 2.

Adpellationum
1.) *Hebraicarum.*
a.) *Propriarum.*

3.) Συνωνυμία.

& 18. ex quo loco intelligitur, reges eo tempore dictos fuisse, qui vel uni duntaxat urbi imperarunt, cum illis, qui nostro tempore dicuntur reges, nulla ex parte respectu potentiæ comparandi. 9.) נְגִידִים *duces, capitanei, antistites*, 1. Sam. IX. 16. 2. Paral. XXXII. 22. נָגִיד dicitur is, qui populo in rebus tam politicis, quam ecclesiasticis præstat, a radice נָגַד *nunciavit*, eo quod populus ad illum omnia referat, eumque in omnibus respiciat. 10.) נְדִיבִים Job. XII. 21. Ps. XLVII. 10. CVI. 41. a radice נָדַב *sponte & libere largitus est*, fuit benefícus, eo quod principes esse *beneficos & liberales* exhibere debeant, unde & Christus eos vocat *evergetas*; Luc. XXII. 11. 11.) נְסִיכִים principes *constituti & ordinati*, a radice נָסַךְ *perfudit aliquo liquore*, constituit, inauctoravit, eo quod reges unctione inaugurabantur: Jos. XIII. 21. Ps. LXXXIII. 12. Ezech. XXXII. 29. 12.) נְשִׂיאִים *primates, praelati*, a radice נָשָׂא *elevavit, sustulit*, eo quod sint super alios elevati & evecti: Genes. XXV. 16. c. XXXIV. 2.) 13.) סְגָנִים *magnates, praepositi, praefecti*: Nehem. IV. 19. Jer. LI. 57. Dan. III. 27. cognationem habet cum radice שָׂגָה *multiplicatus, auctus fuit*. 14.) סָרָנִים Judic. XVI. 5. 1. Sam. VI. 4. ita adpellarunt Phœnices suos principes, sicut Hebræi eos שָׂרִים & Persæ satrapas vocabant. Jos. XIII. 3. *Quinque erant principes Philistaeorum*, videlicet juxta quinque urbes celebriores, quas rexerunt, utpote Asdod, Gaza, Gad, Ascalon, Ekron. 15.) פַּחוֹת *duces, principes*, 1. Reg. X. 15. 2. Paral. IX. 14. פַּחָה vox est peregrina Assyriis, Syris, Chaldæis & Persis communis, significans ducem, præfectum, terminatione fœminina, sed significatione masculina. Ex *Hagg.* I. 14. colligitur, eos, qui post Babylonicam captivitatem fuere dominati, non fuisse dictos סְגָנִים reges, sed פַּחוֹת duces, quia erant sub potestate gentium. 16.) פְּקִידִים *praefecti, praepositi*, usurpatur de inferioribus magistratibus, sive officialibus, quibus quædam præfectura est commissa: Gen. XLI. 34. Num. XXXI. 14. Esa. LX. 17. 17.) קְצִינִים *capitanei, gubernatores*: Esaj. I. 10. c. XXII. 3. a nomine קָצָה *extremitas*, quia in principio & fine negotii gerendi tales præsto esse oportet. 18.) רַבְּנִים *optimates, magnates*, Dan. IV. 33. c. V. 1. a radice רָבַב *multiplicatus, auctus, magnus fuit*. 19.) רוֹזְנִים *principes*, qui proximum habent gradum post regem, consiliarii: Jud. V. 3. Ps. II. 2. Prov. X. 16. Quidam Hebræi deducunt a רָזָה *emaciavit*, quod rex aut princeps sine subditis macie adteratur, vel quod consiliarii habeant gracilem intellectum & subtilem in judicandis causis. Quidam a רָז in plurali רָזִים *secretum, arcanum*, deducunt, quod illis secreta imperii concedantur: sed quia רָז est chaldaicum, ideo vix potest commode ab eo deduci. 20.) שְׁטָרִים *praefecti* Deut. XVI. 17. c. XX. 9. LXX. interpretes reddiderunt γραμματοεισαγωγεῖς, de quorum officio dicemus inferius. 21.) שַׁלִּיטִים *domini, praefecti, principes, dynastae*: Gen. XLII. 6. Dan. II. 10. a radice שָׁלַט *dominatus est, potestatem habuit, auctoritate polluit*. Chaldaice שַׁלְטָנִים ex quo Saraceni reges suos vocant *sultanos*, sicut Ægyptii, *Pharaones & Ptolomaeos*. Pharaonis nomen in Ægypto omnibus Regibus commune fuisse, testantur Augustinus libr. XVI. de civit. Dei cap. 45. *Nomen Pharaonis* (inquit) *in Ægypto omnium regum fuit*; & Hieronymus, libr. IX. in Ezech. *Pharao apud Aegyptios nomen est regiae dignitatis*, sicut apud Amalekitas *Agagi*, ut monet Moses Gerundensis. Num. XXIV. 8. post. Alexandrum *Ptolemaei*, apud Romanos *Caesares & Augusti*, apud Philistæos *Abimelech*, &c. Originem adpellationis exponit Ludov. Vives in comment. August. d. l. *Pharaones dicti sunt quasi Pharaones a Pharo insula regione Alexandriae, olim Carpathos dicta, ubi regnavit Proteus.* 22.) שֹׁפְטִים *judices*: Exod. II. 14. Mich. V. 1. Jud. II. 16. a radice שָׁפַט *judicavit, imperavit*, jus dixit & exsecutus est bonos defendendo, malos puniendo. 23.) שָׂרִים & בָּרִים *principes, domini*, 2. Sam. XIX. 6. Es. III. 4. c. XLIX.

c. XLIX. 23. (*) Fuerunt autem in populo Israelitico varii principes, de quibus dicemus inferius, quando species magistratuum enumerabimus.

b) *Metaphoricarum.* α) *Dii.*

§. X. *Metaphoricae* ac periphrasticae adpellationes sunt, quod vocantur I.) אֱלֹהִים Exod. XXII. 28. אֱלֹהִים *non maledices* quod ἐζηγητικῶς, sic exponitur וְנָשִׂיא *& elevato in populo tuo non maledices.* Ibidem v. 8. *Accedet Dominus domus* עַד־הָאֱלֹהִים *ad Deos*, sive judices. Ps. LXXXII. 1. *Deus stans in congregatione deorum.* v. 6. *Ego dixi: Vos dii estis.* Vox אֱלֹהִים usurpatur tum pro *vero Deo*, propter personarum pluralitatem: Gen. I. 1. c. XX. 13. Deut. V. 26. &c. tum pro *idolis*, quæ vana superstitio in locum Dei evehit: Jos. XXIII. 16. Es. XXXVI. 18. tum pro *angelis*, quorum opera Deus utitur in operibus suis perficiendis: Ps. LXXXVI. 8. *Non est similis tui* בָּאֱלֹהִים Targum בְּמַלְאָכַיָּא מְרוֹמָא, *inter angelos excelsos*; tum denique pro *hominibus magnis & divinis*, dignitate præstantibus, notitiam Dei habentibus, ejusque in terris vicariis, ut sunt principes, prophetæ & judices: Exod. XXI. 6. XXII. 28. Ps. LXXXII. 1. Quidam huc referunt Psalm. CXXXVIII. 1. *Psallam tibi coram* אֱלֹהִים ubi etiam de angelis accipi potest. Ambrosius lib. V. de fide cap. 5. *Deus secundum scripturas aut verus est Deus, ut Pater, Filius & Spiritus sanctus, aut nuncupativus, ut angeli, judices: aut falsus, ut daemones & simulachra.* Dicuntur autem אֱלֹהִים 1.) Quia *sermo Dei ad eos factus est*, ut exponit Christus Joh. X. 35. hoc est, quia divinitus sunt vocati ad officium illud divinum, ut in imperio administrando sint Dei in terris vicarii. 2.) Quia *non hominis, sed Dei judicium administrant*; Deut. I. 17. 2. Paral. XIX. 6. 3.) Quia *Deus ipsis adest* in negotiis imperii & judicii gerendis: Ps. LXXXII. 1. 2 Paral. XIX. 6. Justinus in qq. & resp. ad orthod. q. 142. p. 78. *Et angelis & hominibus propter commissum sibi munus datum est obtinere Dei & dignationem & adpellationem*, τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν, *quo munere obito desinunt vocari dii, principes dixit deos pro eo, quod est, dedi vobis honorem, dignitatem & adpellationem meam*, τιμὴν καὶ τάξιν καὶ κλῆσιν, *itaque perinde judicate populum, ac si ego ipse judicarem.* Divinitas ergo principum ac judicum non quærenda est in ipsorum personis, quæ sunt una cum reliquis hominibus humanæ fragilitati obnoxiæ, sed 1.) in eo, cujus sunt ministri, & a quo ad illam sublimitatem sunt evecti: 2.) in ipso imperandi ac judicandi munere, quod ob sapientiam, justitiam & æquitatem vere divinum: 3.) in fructu & effectu hujus muneris, cui tranquillitatem publicam, quæ est beneficium vere divinum, maxime debemus. Observandum vero, quando magistratui nomen *dei* tribuitur, id non fieri absolute, sed certa cum *limitatione* & respectu, nec proprie, sed *figurate* & nuncupative. Sic de Mose dicitur Exod. IV. 16. *Tu eris ipsi* (Aharoni) לֵאלֹהִים *in Deum.* Tragum לְרַב *in principem.* cap. VII. 1. *Ecce constituite deum Pharaonis*, ubi Moses non simpliciter & absolute, sed κατὰ τὶ respectu Aaronis & Pharaonis dicitur deus, & quidem *constitutus*, sive factus deus propter divinam auctoritatem ac potestatem, qua erat munitus. Irenæus libr. III. cap. 6. p. 17. *Cum eos, qui non sunt dei, scriptura nominat, non in totum ostendit illos deos, sed cum aliquo additamento & significatione, per quam ostenduntur non esse dei.* Ibidem p. 176. *Moses homo Dei existens, deus* (inquit) *datus est ante Pharaonem, non autem vere dominus adpellatur, nec deus vocatur a prophetis, sed fidelis Moses famulus & servus Dei dicitur a Spiritu, quod & erat.* Gregorius homil. VIII. in Ezech. *Deus in scripturæ sacra aliquandò essentialiter, aliquando nuncupa-*

(*) 24) שָׁלִישִׁים *duces* LXX. τριστάται Exod. XIV. 7. Radice שָׁלַשׁ in Piel *tertiavit, tertio fecit*, hinc שָׁלִישׁ & שָׁלִשׁ magnus *dux, princeps, trium vir*, sic dictus, ut quidam volunt, quod tertius a rege, ut primo sit מֶלֶךְ *rex*, post hunc מִשְׁנֶה *secundus* & post hunc שָׁלִישׁ a rege *tertius*. Alii alias adferunt derivationes. vid. Hieronymum in Ezech. XXIII. GERHARDVS.

tupative dicitur, licet enim cum Deo communicemus multis nominibus & operationibus, in essentia tamen nunquam communicamus, hinc Moses ait: Deus tuus Deus unus est. Inde est, quod apostolus distinguit inter verum Deum, qui est unus, & inter λεγομένους θεούς, qui sunt multi, 1. Cor. VIII. 5. & 6. inter eum, qui est φύσει θεός, & eos, qui θέσει Gal. IV. 8. constitutione & nominis participatione sic vocantur.

β.) *Filii excelsi.*

§. XI. II.) בְּנֵי עֶלְיוֹן *filii excelsi, sive* Dei, quia Deus est *excelsus super omnem terram, & valde exaltatus super omnes deos*, Ps. LXXXII. 6. *Ego dixi: dii vos & filii excelsi vos omnes.* Ps. LXXXIX. 7. *Quis in cælo aequabitur Domino, adsimilabitur Domino* בִּבְנֵי אֵלִים *in filiis deorum?* Targum, Symmachus & Aquila huc etiam referunt locum Gen. VI. 2. *Filii Dei viderunt filias hominum*, quia Targum reddidit בְּנֵי רַבְרְבַיָּא, Symmachus & Aquila: υἱοὶ δυναστευόντων: sed circumstantiæ textus, præsertim quod conjugium inter filios Dei & filias hominum inter scelera, propter quæ diluvium fuit immissum, connumeratur, manifeste ostendunt, per *filios Dei* hic intelligi posteros sanctorum patriarcharum, qui cum *filiis hominum*, id est, Cainiarum progenie a vera ecclesia aliena conjugium inierunt. Augustinus lib. XV. de civit. Dei cap. 23. *Dicuntur filii Dei, vel quia olim tales fuerant, vel quia majores ipsorum, ex quibus oriundi erant hanc adpellationem obtinuerunt*: constat enim ex Suida, Setham inter homines deum adpellatum fuisse. Cainitarum filiæ dicuntur filiæ אָדָם, ut significetur, ipsas gessisse imaginem illam, secundum quam Adamus, primus generis humani parens, liberos genuit, non autem fuisse Spiritu Dei regeneratas. Posset tamen chaldaica paraphrasis hoc sensu accipi, non quod absolute & per se peccatum fuerit, quod filii dynastarum ignobiles in conjugium adsciverint, ut rabbini nugantur, sed quod magnatum ac principum liberi sua potentia freti quasvis oppresserint, & vagam libidinem exercuerint. Dicuntur autem magistratus filii Dei, non quod natura sint, tales quo sensu solus Christus filius Dei unigenitus, proprius ac naturalis dicitur, Joh. I. 14. V. 18. Rom. VIII. 32. nec quod sint filii Dei adoptivi, quo sensu vere pii & credentes tales dicuntur: Joh. I. 12. Rom. VIII. 16. 1. Joh. III. 2. &c. Sed propter eminentiam, auctoritatem ac potestatem, quam præ promiscua hominum multitudine obtinent. Quidam addunt, magistratum id nominis sortiri ex eo, quod sit Deo carus & acceptus, ut eum filiorum loco habeat; sed quia in illo psalmo propter abusum potestatis reprehenduntur, ideo non potest absolute & simpliciter dici, quod Deus omnes magistratus etiam impios paterno amore, ut filios suos, amplectatur; sed in generali duntaxat amoris paterni significatione, juxta quam omnes homines ob beneficia ad articulum creationis pertinentia dicuntur Dei filii, & Deus dicitur ipsorum pater: Mal. I. 6. sic ergo magistratus dicerentur Dei filii, quia Deus præ reliquis plura beneficia corporalia in illos contulit. Huc pertinet, quod magistratui tribuitur nomen *angelorum*, qui & ipsi dicuntur filii Dei. Job. I. 6. XXXVIII. 7. Quemadmodum enim beati illi spiritus ideo dicuntur angeli, quod Deus ipsorum legatione & officio in perficiendis operibus suis utitur: sic magistratus etiam dicuntur angeli, quia Deus eorum opera in administrandis mundi imperiis, in defendendis bonis & puniendis malis utitur. Adde quod splendore, auctoritate ac majestate cœlestes illos angelos repræsentent, ac sapientia, bonitate, justitiæ amore illos imitari debeant, 2. Sam. XIV. 17. *Sit nunc verbum Domini mei regis ad requiem, quia sicut angelus Dei es, sic dominus meus rex, ut audiat bonum & malum.* v. 20. *Dominus meus sapiens secundum sapientiam angeli Dei.* 2. Sam. XIX. 27. *Dominus meus rex, sicut angelus Dei.*

γ.) *Patres.*

§. XII. III.) אָבוֹת *patres.* Gen. XLI. 43. cum Joseph nunciaretur gubernator Ægypti, qui regis locum obtinere debeat, præco ante ipsum clamavit: *Abrech.* LXX. interpretes in versione illud prorsus omi-

serunt.

ferunt. Rabbini quidam exponunt verbaliter, & præconi tribuunt, ac si esset *imperativus* in hiphil: *Flecte genua* per ἀντίσοιχον א pro ה qualis permutatio occurrit Num. I. 50. Esa. LXIII. 3. Jer. XXV. 3. Alii existimant esse *futurum* in kal, quali quilibet obvius clamasset: *Flectam genua*, cum videret, Josephum in tantum honoris fastigium evectum. Vtraque expositio deducit hoc verbum a radice בָּרַךְ quod inter alia significat *genu flectere*. Onkelos, Jonathan BenUziel & Targum Hierosolymitanum dividunt in אַב, quod patrem & רָךְ quod מַלְכָּא regem, sive regnum significare volunt, quod ex parte etiam secutus videtur Lutherus in versione germanica. Hieronymus in tradit. hebraicis super Genesin tom. III. p. 390. componit ex אַב *pater*, & רָךְ *mollis*, ut Abrech sit tener ac mitis pater. Gen. XLV. 8. dicit ipse Josephus: *Dominus me constituit patrem Pharaonis*, inde in voce *Abimelech*, (quæ fuit communis omnibus regibus Philistinis, teste Hieronymo lib. IX. in Ezech. quod etiam constare potest ex cap XXI. & XXVI. Gen.) nomen *patris* & *regis* pulcerrime conjunguntur. Jud. V. 7. Debora, quæ judicabat populum Israeliticum, vocatur אֵם, *mater in Israel*, 1. Sam. XXIV. 12. David ita adloquitur Saulem: *Pater, mi rex* 1. Sam. XII. 15. *erat manus Domini in vobis & in patribus*, id est, principibus, vel magnatibus vestris. LXX. interpretes: καὶ ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν R. D. *in rege & magnatibus vestris*. Job. XXIX. 16. dicit Jobus, quem regio munere fuisse functum, plurimi non sine probabili conjectura censent: *Pater eram pauperum*. Ideo autem magistratui *patris* adpellatio tribuitur, quia, ut Xenophonteum illud docet, *bonus princeps non differt a bono patre*; οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρός. lib. VIII. παιδ. admonetigitur hæc adpellatio magistratus, ut paternam dilectionem subditis præstent. Vt pater amat, fovet, defendit, nutrit ac curat liberos, sic bonus princeps suos subditos. Ostendit etiam hæc adpellatio, magistratus honorem in quarto decalogi præcepto a subditis requiri, &c.

§. XIII. IV.) רָאשִׁים, *capita*: 3.) *Capita*. Num. I. 16. XVII. 2. *Capita tribuum*. XIV. 4. *Dabimus* רֹאשׁ, *caput*: LXX. interpretes ἀρχηγὸν, *constituamus principem*, & *revertemur in Aegyptum*. Jud. XI. 8. *Eris nobis* לְרֹאשׁ, *in caput*: LXX. εἰς ἄρχοντα, *in principem*, pro quo v. 6. & *eris nobis* לְקָצִין Targum לְרַבָּא *in principem*. Deut. I. 15. *Tuli de tribubus vestris* רָאשִׁים *capita*, & *constitui eos principes, tribunos*, &c. Targum רֵישִׁין עֲלֵיכוֹן, *principes super vos*. LXX. interpretes ἐφ' ὑμῶν ἡγεμένας ὑμῶν, *super vos duces vestros*. Dicuntur autem magistratus *capita* 1.) Propter *sublimitatem*; ut enim caput in corpore humano est summum & honoratissimum membrum, sic magistratus dignitate & sublimitate reliquis antecellit. Deut. XXVIII. 44. *Dabit te Dominus* לְרֹאשׁ, *in caput & non in caudam*; quod paulo post sic exponitur: *eris tantum superius, & non eris inferius*. 2.) Propter *potestatem*; ut caput imperat reliquis membris, & eorum actiones dirigit, sic magistratus præest subditis. 3.) Propter *utilitatem*; ut ex capite motus & sensus per organa convenientia in membra corporis influit: sic a magistratu varia omnino beneficia ad subditos promanant. Cumque magistratus dixerimus esse capita rerumpublicarum, non possumus, quin huc referamus locum pulcherrimum ex Plutarcho, in quo rempublicam comparat corpori, in libr. de doctr. princ. ad Trajan. „Caput omnium *(inquit)* est prin„ceps, penes quem imperii summa est. Oculi „quibus videmus, sunt viri boni in republi„ca, quorum ductum sequimur: aures, quæ „audiunt, quæ dicimus, sunt subditi, qui im„perata faciunt. Lingua, qua loquimur, sunt „eruditione præstantes viri, ex quibus leges & „disciplinas audimus. Capilli de capite pen„duli sunt injuria adfecti, qui opem regis im„plorant. Manus & brachia sunt equites & „nobiles, qui hostem reprimunt. Pedes, qui „omnia sustinent, sunt agricolæ, qui victum „omnibus ordinibus subministrant. Ossa dura, „quæ

„quæ fragilem carnem fulciunt, ſunt viri ſa-„pientes, qui onus reipublicæ ſuſtinent. Cor-„da, quæ palam non videmus, ſunt familia-„res intimi, qui in arcano conſilium dant ſe-„natu. Denique collum, quo corpus capiti „cohæret, eſt amor regis & regni, ex quibus „conſtat civitas.

ε.) *Vertices.* §. XIV. V.) Huic cognata adpellatio eſt, qua magiſtratus vocatur קָדְקֹד, *vertex* capitis. Deut. XXXIII. 20. *rapiet brachium etiam verticem.* LXX. interpretes metaphoram explicantes verterunt ἄρχοντα, *principem.* Eſaj. III. 17. *& decalcavit Dominus verticem filiarum Sion.* LXX. interpretes reddiderunt ταπεινώσει ὁ θεὸς ἀρχούσας θυγατέρας Σιὼν. Comparatur namque magiſtratus vertici itidem propter ſublimitatem. Vt enim caput reliquis membris ſublimius, ſic vertex ipſius capitis ſublimior pars eſt.

ζ) *Clypei.* §. XV. VI.) מָגִנֵּי אֶרֶץ, *clypei*, ſive *ſcuta terrae*: Pſ. XLVII. 10. *Optimates populorum adgregati ſunt populo Dei Abraham, quoniam Deus vehementer elevatus eſt apud ſcuta terrae.* LXX. interpretes reddiderunt οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς. Hoſ. IV. 18. *Dixerunt: adferte ignominiam,* מָגִנֶּיהָ *clypei ejus, principes, ſive duces ejus.* Hieronymus, *protectores ejus.* LXX. interpretes: ἐκφρυάγματος αὐτῆς, legerunt מִגְּאוֹנָה ſubſtitutis aliis punctis. Clypei & ſcuta dicuntur alias שְׁלָטִים Jeſ. LI. 11. & in regimine שִׁלְטֵי Cant. IV. 4. quæ vox deſcendit ab eadem radice, a qua שַׁלִּטִים, quod ſignificat principes ac dominos, ut hac ratione ipſa adpellatione officii ſui moneantur. VII.) Huic adpellationi cognata ſunt ſcripturæ dicta: Pſ. LXXXII. 5. Eſa. XL. 21. Mich. VI. 2. in quibus principes vocantur מוֹסְדֵי אָרֶץ *fundamenta terrae.* Vocantur autem magiſtratus ſcuta & fundamenta terræ propter *defenſionem* ac protectionem, quam & pacis & belli tempore ſubditis præſtant.

η.) *Fundamenta terrae.*

θ.) *Portae.* VIII.) שְׁעָרִים *portae*: Ruth. III. 11. *Novit tota porta populi mei,* hoc eſt, ſenatus & judices in porta ad judicium conſidentes, quamvis non incommode accipiatur συνεκδοχικῶς pro tota civitate. Pſ. XXIV. 7. & 9. *Elevate portae capita*, ſive ſuperiora limina *veſtra, & elevate vos portae ſeculi, & introibit rex gloriae.* LXX. interpretes ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. Pſ. CXLVIII. 14. beneficia, quæ Deus per magiſtratum politicum nobis confert, ſic deſcribuntur: *Qui confortat ſeras portarum tuarum.* Comparantur autem magiſtratus portis: 1.) Quia olim in portis exercebantur judicia: Deut. XXV. 7. Ruth. IV. 1. &c. 2.) Propter robur & fortitudinem, quia portæ & muri ſunt munimentum civitatis, ſic magiſtratus eſt munimentum ſubditorum. 3.) Quia per portas in urbem itur: ſic principes debent aditum Chriſto patefacere, doctrinam ejus recipiendo & propagando, ac diſciplinam externam conſervando. Quod portæ jubentur *levare capita*, Flacius in clav. col. 918. exiſtimat eſſe colluſionem ad cataractas, quæ propendent ex turribus ſupra portas, quæ levari & demitti ſolent.

κ.) *Paxilli.* §. XVI. Hi comparantur יָתֵד, *paxillo*, ſive clavo: Eſaj. XXII. 23. de Eliacim dicit Dominus: *Figam illum* (quaſi) *clavum in loco ſtabili, & erit in ſolium gloriae domus patris ſui.* Targum: *Conſtituam eum gubernatorem fidelem miniſtrantem in loco firmo.* LXX. interpretes: Καὶ στήσω αὐτὸν ἄρχοντα. יָתֵד eſt clavus, qui infigitur vel terræ, ut ad eum adligentur funes tentorii, vel parieti, ut ex eo aliquid ſuſpendatur. Comparatur autem magiſtratus clavo parieti infixo 1.) Propter *ſtabilitatem*; ut enim clavus parieti infixus fortiter hæret; ſic Deus magiſtratus auctoritatem ac regna ſtabilit, ideo additur, quod ſic clavus fixus ſit *in loco ſtabili.* 2.) Propter *utilitatem*; quemadmodum enim clavus parieti infixus multiplicem uſum præſtat, ſic magiſtratus ſalutaris eſt ſubditis. 3.) Propter *laborum gravitatem*; quemadmodum enim clavus cuivis cogitur eſſe obvius ac promtus, a quo ſuſpendantur quævis ponderoſiora, ſic magiſtratus plurima negotia ſuſtinet, quilibet ſubditus ad eum properat, ut

ut suarum difficultatum pondera apud ipsum deponat, inde apud Esajam additur v. 24. *Et suspendetur super illum omnis gloria domus patris sui.* Zach. X. 4. *Ex ipso angulus* פִּנָּה, *ex ipso paxillus* יָתֵד, *ex ipso arcus belli.* Quidam referunt ad magistratus hoc sensu: *Ex ipso erit angulus*, hoc est, fortissimi duces, qui impetum hostium sustinere possint, quemadmodum anguli ædium omnem externum impetum primum omnium sustinent, & ab ædibus arcent. *Ex illo paxillus*, hoc est, fortis ac fidelis magistratus, qui reipublicæ onera portare possit, quemadmodum paxillus ferendis oneribus parieti est infixus. *Ex ipso arcus praelii*, hoc est, fortes bellatores, qui potestati hostium possint occurrere. Targum retulit ad Christum, unde hoc modo reddidit: *Ex illo rex ejus, ex illo Messias ejus*, quia in Christo habemus omnia ad spiritualem victoriam necessaria, & ab ipso ecclesia omne fulcimentum suum accipit, ab illo etiam reges & principes suam obtinent dignitatem.

z.) Anguli. §. XVII. X.) Non solum in dicto illo prophetico Zach. X. 4. sed etiam Jud. XX. 2. 1. Sam. XIV. 39. Esa. XIX. 13. primates in populo dicuntur פִּנּוֹת, *anguli*, ubi Targum vertit רַבְרְבַיָּא *duces*, *magnates*. Vt enim anguli ædium ex majoribus constant lapidibus, sic magistratus reliquis hominibus sunt eminentiores. Vt angulares lapides sustentant ædificium, sic gubernatores conservant & fulciunt politiam. Vt angulares lapides duplicem quasi faciem continent, sic gubernatores suis consiliis ad quævis latera respiciunt, in eorum conspectu sunt omnia, & vicissim omnium oculi in eos sunt defixi.(*)

λ.) Annuli sigillares. §. XVIII. XI.) Comparantur etiam חוֹתָם, *annulo sigillari.* Hag. II. 24. ad Zerubabel, ducem Juda inquit Dominus: *Ponam te* כְּחוֹתָם *sicut signaculum*, vel annulum, quo literæ obsignantur. Targum: *sicut sculpturam annuli super manu.* Jer. XXII. 24. *Si fuerit Conias, filius Jojakim regis sigillum in manu dextra tua, quod inde non removetur, tamen removebo eum.* Ezech. XXVIII. 12. de principe Tyri dicit Dominus: *Tu signaculum exquisitissime sculptum plenus sapientia & perfectus decore.* Consistit autem collatio magistratus cum annulo sigillari: 1.) In *decore*, splendore & pretiositate, quibus sigillaris annulus reliquos præcedit. *Sigillum*, scribit Flacius in clavi col. 1137. *pro re valde grata pretiosave ponitur, sive quia sigillo in rebus maximi momenti confirmandis utimur, sive quia sigillum plerumque in annulo habemus, quem semper in digito circumferimus.* 2.) In peculiari *cura* ac providentia divina. Annulum sigillarem quam diligentissime adservare solemus, sic magistratus pios Deus sibi peculiariter habet commendatos, in periculis variis eos protegit, &c. 3.) In subditorum ad magistratum *conformatione.* Quemadmodum annuli sigillaris character ceræ imprimitur, sic subditi plerumque sequuntur mores magistratus. Eccl. X. 2. Sedulo igitur curent magistratus, ut characterem pietatis subditis suis imprimant.

(*) Thren. IV. 1. duces ac primates dicuntur אַבְנֵי קֹדֶשׁ, *lapides sanctitatis*, sive sancti. Ezech. XXVIII. 14. magistratus vocantur *cherubim*, 1.) Quemadmodum hi ponebantur in sanctum sanctorum: sic magistratus curet, ut sit veræ ecclesiæ membrum, nec infima in ea occupet subsellia, sed primas non ratione imperii, sed cultus & pietatis in ea obtineat. 2.) Cherubim pulchras habuerunt facies, sicut angeli: sic magistratus mitem ac humanum se præbeat erga subditos. 3.) Cherubim convertebant facies suas ad arcam, in qua erant tabulæ legis: sic magistratus semper respiciat legem Dei. Deut. XVII. 18. Jos. I. 7. 4.) Cherubim respiciebant propitiatorium, quod erat typus Christi Rom. III. sic magistratus vera fide Christum respiciat. 5.) Cherubim arcam tegebant suis alis: sic magistratus ecclesiam defendat. Esaj. XLIX. 23. hic potest addi comparatio ecclesiæ cum arca. 6.) *Dominus erat super cherubim:* 1. Sam. IV. 4. sic magistratus supra se habet cœli ac terræ dominum, qui delinquentes graviter ulciscitur. Rungius in Exodi XXV. Rex *Tyri vocatur cherub extentus & protegens, quod in morem cherub alas suas longe extendat, & ditionem proferat.* Imperia in sacris dicuntur *cornua*, ut sciant magistratus, robore suo utendum pro salute subditorum, non autem sæviendum rapinis, exactionibus, expilationibus. GERHARDVS.

μ.) *Montes.* §. XIX. XII.) Dicuntur הָרִים *montes*: Jer. LI. 25. de rege Babylonis dicit Dominus: *Ecce ego ad te*, הַר הַמַּשְׁחִית, *mons perditionis*. Mich. VI. 2. *Audite montes*, הָרִים, *judicium Domini*, hoc eſt, vos reges & magnates; quo pertinent illa ſcripturæ dicta, in quibus montes pro regnis & imperiis ponuntur. Pſ. LXXVI. 5. *Mons Sion illuſtrior eſt & glorioſior, quam montes rapinae ſive praedae*, hoc eſt, in potentiſſimis regnis Aſſyrio, Babylonio, Ægyptiaco, &c. quæ alias nationes ſub jugum miſerunt, & opes earum diripuerunt. Pſ. XXX. 8. *Domine juxta beneplacitum tuum conſtituiſti montem meum robore*, hoc eſt, confirmaſti me in regno. Comparantur autem reges & regna montibus: 1.) Propter *ſublimitatem*; ut enim montes ſunt editiores collibus, ſic reges & principes ſunt reliquis hominibus ſublimiores. 2.) Propter *robur* & fortitudinem; arces, caſtella & munitiones regionum in montibus ſolent collocari, ſic magiſtratus eſt munimentum ſubditorum. 3.) Propter multiplicem *utilitatem*, quam & montes vitæ ſuſtentationi & magiſtratus humanæ ſocietati præſtant; modo caveant, ne fiant הָרִים הַמַּשְׁחִית, *montes peſtiferi torrumpentes & perdentes omnia*, Jer. LI. 25. הָרִים טֶרֶף, *montes praedæ* ac rapinæ, Pſ. LXXVI. 5. qui omnia deprædantur ac depopulantur, ſicut quandoque latrones occupant arces & caſtella in montibus ſita, & ex illis homines opprimunt. *Quid ſunt aliud imperia remota juſtitia, quam magna latrocinia?* inquit Auguſtinus lib. IV. de civ. Dei c. 4. Caveant, inquam, ne fiant הָרֵי גַּבְנֻנִּים, *montes gibboſi*, faſtus & inſolentiæ gibbo tumentes, & rectum juſtitiæ tramitem in gibbos iniquitatis & injuſtitiæ commutantes.

ν.) *Salvatores.* §. XX. XIII.) מוֹשִׁיעִים, *ſalvatores* & opitulatores. Jud. III. 9. *Filii Iſrael* (ab hoſtibus oppreſſi) *clamarunt ad Dominum, ac ſuſcitavit illis* מוֹשִׁיעַ *ſervatorem*, qui ſcilicet ex manu hoſtium illos liberaret, qui poſtea magiſtratus officium in populo exerceret. 2. Reg. XIII. 5. *Dedit illis ſalvatorem.* Neh. IX. 27. *Secundum eos, & miſerationes tuas multas dediſti eis ſervatores, & ſervaverunt eos de manu hoſtium ſuorum.* In vulgata verſione Gen. XLI. 45. Joſeph a Pharaone dicitur adpellatus *ſalvator mundi*, ſed in Hebræo eſt צָפְנַת פַּעְנֵחַ *revelator mundi*, vel conſiliarius ſecretior. Dicuntur autem ſalvatores propter corporalem ſalutem & incolumitatem, quam per magiſtratum Deus generi humano confert. XIV.) ξ.) *Medici.* רָפָאִים *medici, robuſti*: Gen. XIV. 5. *Et percuſſerunt* רְפָאִים *in Aſtaroth*, quaſi dicas רוֹפְאִים a radice רָפָא medicatus eſt, ſanavit, quia tales volunt haberi σωτῆρες & medici reipublicæ. Targum: גִּבָּרַיָּא *fortes & robuſtos*, quidam tamen exponunt pro gigantibus, prout accipitur Deut. II. 11. quidam pro Rephæis, populis ex poſteris Canaan oriundis Gen. XV. 20. Huc referri poteſt locus Eſaj. III. 6. *Adprehendet vir fratrem domus ſuae dicens: Sis nobis* קָצִין *gubernator*, v. 7. *ſed ille reſpondebit: Ego non ſum medicus,* חֹבֵשׁ *adligans*, non poſſum eſſe curator adflictæ reipublicæ. Targum: בַּעַל לְמֶהֱוֵי רֵישׁ *non ſum idoneus, ut ſim caput*. LXX. interpretes ἰατρός, quo modo etiam vertit Lutherus. XV.) מְשִׁיחֵי יְהוָה, *uncti Domini* 1. Sam. XXIV. 7. dicit David de Saule rege: *abſit a me*, ο.) *Uncti Domini.* *ut ponam manum meam contra unctum Domini*. 2. Sam. XIX. 21. *Simei maledixit unctο Domini*. Cyrus Eſ. XLV. 1. vocatur *Chriſtus*, ſeu *unctus Dei*, quia reges unctione inaugurabantur ad regnum ex ipſius Dei mandato: 1. Sam. IX. 16. XV. 1. Vbi probe notandum, quod licet Cyrus non acceperit externam unctionem oleo ſacro peractam, quo modo reges Iſraelitici ſolebant inaugurari; nihilominus tamen dicatur *unctus Domini*, nimirum quia imperium divinitus ipſi erat datum, cujus vocationis major habenda eſt ratio, quam exterioris unctionis. XVI.) π.) *Paſtores.* רֹעִים, *Paſtores*: Num. XXVII. 17. cum Moſes in officio regiminis idoneum ſucceſſorem ſibi deſignari petit, ſic orat: *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis virum ſuper congregationem, qui egrediatur ante eos, & ingrediatur ante eos, qui educat eos, & introducat eos*, (hoc eſt, qui pacis ac belli

belli tempore illos regat, in terra patria & extra eam illos deducat) *& non ſit cœtus Domini ſicut pecudes, quibus non eſt paſtor.* (*) Eſaj. LXIV. 28. Deus ad regem Cyrum dicit: *Tu paſtor meus es, & voluntatem meam perficies.* Jerem. XLIX. 19. *Quis paſtor ſtabit contra me*, id eſt, quis rex ſuos ſubditos coram me tueri poterit? Zach. X. 3. *Contra* הָרֹעִים, *paſtores exarſit ira mea.* Targum: מַלְכַיָּא *contra reges;* unde paſcere uſurpatur pro regere & gubernare, 2. Sam. V. 2. 1. Paral. XI. 2. Pſalm. LXXVIII. 71. &c. *Similia enim ſunt opera paſtoris ac regis, παραπλήσια ἔργα ἐστι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ*, ut ait Xenophon. Paſtor procurat gregi ſalubria paſcua, defendit eum a feris: ſic bonus princeps ſubditis de ſuſtentatione ac defenſione proſpicit. Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere, ut habet dictum Tiberii imperatoris: ſic bonus princeps exactiones moderatur. Sicut paſtor ovibus præſtat, ſic illi, qui magiſtratu funguntur, debent ſubditis meliores & præſtantiores eſſe. (**) XVII.

g.) *Nutritii.* אֹמְנִים, *nutritii, curatores:* Eſaj. XLIX. 23. *Erunt reges* מְלָכִים אֹמְנֶיךָ *nutritii tui, & reginae eorum,* מֵינִקֹתֵיהֶם, *nutrices, ſive lactatrices tuae.* Eſt ſuaviſſima deſcriptio magiſtratus ab officio deſumta, debet proſpicere ſubditis de rerum neceſſariarum copia, debet docentibus in eccleſiis & ſcholis conſtituere ſtipendia, &c. Huc etiam pertinet viſio Nebucadnezari oblata Dan. IV. 8. & ſeqq. ubi beneficia, quæ per magiſtratum ſubditis præſtantur, depinguntur ſub ſpecie arboris exceſſæ, ſuppeditantis eſcam univerſis, umbram beſtiis, nidos & habitationem volucribus, quia magiſtratus ſuſtentationem, defenſionem & quietam habitationem ſubditis procurat.

§. XXI. Qui exercent tyranni- a.) *Venatores.*
dem, vel violenta & illegitima regnorum occupatione, vel crudeli & injuſta eorum adminiſtratione, dicuntur in ſacris literis צַיָּדִים *Venatores.* Gen. X. 9. *Nimrod* fuit גִּבּוֹר־צַיִד *potens venatione, fortis venator coram Domino.* Aben Ezra accipit in bonam partem, quod feras venatus fuerit, quas Domino immolaret, ſicut & LXX. interpretes exponunt κυνηγὸν, ſed contextus oſtendit, non de venatione ferarum, ſed hominum ibi eſſe ſermonem, præcedit enim v. 8. *Ipſe cœpit eſſe potens in terra*, ac ſequitur v. 10. *principium regni ejus Babel*; ſic 1. Paral. I. 10. *Nimrod cœpit eſſe* גִּבּוֹר, *potens in terra.* Senſus igitur eſt, quod violente homines oppreſſerit, ac ſub jugum ſuum redegerit, ſicut venatores ſolent feras capere & conſtringere, atque hoc modo adpellatio venatorum etiam uſurpatur ab oppreſſoribus Jer. XVI. 16. Thren. III. 5. Ezech. XXXII. 20. Poteſt etiam adpellationis ratio inde peti, quod Nimrodus venationibus liberius indulſerit, & tandem e ſylvis ac luſtris ferarum ad pugnas cum hominibus progreſſus, de ſumma rerum cum illis concer-

taverit

(*) Amos I. 2. *Lugebunt habitacula paſtorum*, id eſt, palatia primatum evertentur. Mich. V. 4. *Statuemus eum ſuper ſeptem paſtores & octo principes hominum.* GERHARDVS.

(**) Reges dicuntur *habere claves regnorum*, quia ad illos pertinet per legum æquitatem conſtituere, aperiendo nimirum & claudendo, id eſt, præcipiendo quaedam, quaedam vetando, privilegia bene de republica meritis concedendo, neſarios pœnis ac ſupplicüs a ſceleribus cohibendo, probos autem præmiis ac honoribus indies amplificando. Denique habent claves regni, quia ex regis cujusque vel æqua, vel iniqua adminiſtratione pendet omnino regni ſalus, vel everſio Eſaj. XXII. 22. *Dabo clavem domus Duvid ſuper humerum ejus.* Apoc. III. 7. *qui habet clavem Davia, qui aperit & nemo claudit.* Reges etiam ſunt veluti *aurigae regnorum*, unde Zach. VI. quatuor mundi imperia quatuor quadrigis exprimuntur, quia reges ſunt veluti aurigæ, qui ſuorum regnorum habenas vel ad ſalutem, vel ad perniciem moderantur. Hieronymus in comm. ſuper Habacuc in verba c. 3. *Fluvios ſcindes terrae*; exiſtimat, eo loco reges ad literam fluvios terræ nominari, ut ſit ſenſus: *Reges terrae adverſus populum tuum dimicantes dividis ac diſperges. Ratio vero ea eſt, quia fluvii terras, quas abluunt, aut opportunis irrigationibus fœcundant, aut intempeſtivis inundationibus evertunt, unde in ſacris literis regionum felicitas, aut infelicitas ad regum bonitatem, aut malitiam referuntur.* Eccl. X. 16. *Vae tibi terra, cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt.* Sap. VI. 26. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi.* GERHARDVS.

taverit, sicut experientia testatur, eos, qui venationibus perpetuo occupantur, sanguinarios ac crudeles ut plurimum effici, ut Domitianus stylo interficiens muscas, crudelitatem ex illo quotidiano exercitio didicit. Quod *coram Domino* venator dicitur, id ad detestationem tyrannidis spectat, quod palam excusso omni Dei timore violentia & fraudibus alios oppresserit, sicut Gen. VI. 11. terra dicitur *corrupta coram Domino*, vel quod in ecclesiam exercuerit suam crudelitatem, sicut Cain dicitur abiisse *a facie Domini*, id est, ab ecclesia. Gen. IV. 16. Idem probant targumicæ paraphrases. Sic enim Jonathan: *Hic fuit heros rebellis coram Jehova, propterea dictum est: a diebus creati mundi non exstitit velut Nimrod, potens in venatione & rebellis coram Domino.* Hierosolymitanum: *Hic fuit potens in venatione in peccato coram Jehova, quia fuit venatus filios hominum linguis suis & dixit eis: Discedite ab institutis ritibus Dei, & adhaerete institutis Nimrodi, propter ea dictum fuit, sicut Nimrod, heros potens in venatione & peccato coram Jehova,*

2.) *Græcarum.* §. XXII. II.) In *Græca* vet. test. versione illi, qui cum imperio sunt, vocantur βασιλεῖς, *reges*, quasi βάσεις τῆ λαῆ, *fulcra*, seu fundamenta populi, ἄρχοντες καὶ ἀρχηγοὶ, *principes*, μεγισᾶνες, *magnates*, δυνάσαι, δυναςεύοντες, *potentes*, ἡγεμενοι καὶ ἡγεμόνες, *duces*, ἔντιμοι, *honorati*, ἔνδοξοι, *glorioſi*, ἐυεργέται, *benefici* (sicut apud Euripidem etiam rex placidus & bonus dicitur ἐυεργέτης βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος) ἐυγενεῖς, quod e præstantibus orti majoribus, ἐπισάται, *praefecti*, σατράπαι, quæ vox origine est Persica, Persæ enim principes suos adpellarunt satrapas, τοπάρχαι, *praefecti* provinciales &c. (*) Paulus Rom. XIII. 1. & seqq. pulcerrimam descriptionem magistratus proponit: respectu causæ efficientis vocat διαταγὴν θεῦ, *Dei ordinationem*, v. 2. θεῦ διάκονον καὶ λειτεργὸν, *Dei ministrum*; v. 4. & 6. respectu causæ formalis adpellat ἐξεσίας ὑπερεχέσας, *potestates sublimiores*, v. 1. ἄρχοντας, *principes*; v. 3. respectu causæ finalis vocat ἔκδικον εἰς ὀργὴν, *vindicem ad iram* illi, qui malum agit. 1. Cor. XV. 24. adpellat ἀρχὴν, ἐξεσίαν καὶ δύναμιν. 1. Tim. II. 2. ὄντας ἐν ὑπεροχῆ. Tit. III. 1. vocat ἀρχὰς καὶ ἐξεσίας. Petrus 2. ep. II. 10. κυριότητα καὶ δόξας. Apud scriptores ethnicos vocantur ποιμένες λαῶν, *pastores*. Homerus Iliad. β. ἤπιοι πατέρες, *blandi patres*, νόμος ἔμψυχος, *lex animata*, φύλακες, *custodes*, σωτῆρες, *servatores*, ἐπίκυροι *auxiliatores*, κοσμήτορες, *ordinatores*, seu ornatores, quia multitudini ordinem præstant; quo nihil pulcrius: κυβερνήται, *gubernatores*, vocabulo a navibus translato, ut enim navis in mari sine industria gubernatoris periclitatur, sic respublica absque fido nauclero evertitur; ἔφοροι, *observatores*, quia diligenter inspicere debent mores & actiones subditorum &c. *Tyrannus* vox græca est, & olim significabat regem, ut constat ex illo Maronis:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Hodie vero tantum in malam partem accipitur pro crudelibus & sanguinariis. Nomine tyrannorum utuntur etiam LXX. interpretes diversimode, nam in bonam partem pro *ducibus*, magnatibus, satrapis persicis, Dan. III. 2. Esth. IX. 3. atque in genere pro quovis magistratu accipitur Prov. VIII. 16. τύραννοι δι ἐμῦ κρατῦσι γῆς, sed pro crudelibus potestate sua abutentibus & ecclesiam persequentibus usurpari videtur Hab. I. 10. Τύραννοι παίγνια αὐτῦ. Act. XIX. 9. est nomen proprium: *Docebat Paulus Corinthi in schola cujusdam tyranni.* Schindlerus nomen tyranni deducit ex Chaldæo טוּרָן *dux*, *princeps*. Vide omnino Sanfordum lib. I. de desc. Christi ad inferos p. 50. Aristoteles lib. V. ethic. c. 6. ἔςιν ὁ ἄρχων φύλαξ τῆ δικαίε, ἢ δὲ τῆ δικαίε καὶ τῆ ἴσε. Plutarchus: *Bonus princeps est vivum*

(*) Præsidem, seu rectorem provinciæ Græci modo ἡγούμενον, vel ἡγεμόνα vocant, modo ἐπισάτην, vel ἐπισατοῦντα, aliquando & δικαιοδότην. In evangeliis & actis ἡγεμὼν est modo Romanus imperator, modo procurator cæsaris in Judæa. GERHARDVS.

vivum Dei simulachrum. Plato: *Principes id sunt reipublicae, quod canes gregi.*

§. XXIII. Apud Romanos, 3.) *Latinarum.* *patres conscripti, senatores*, quod senili prudentia reliquis antecellere debeant, sicut poëta canit:

A senibus nomen mite senatus habet.

Imperator Romanus ῥωμαίων αὐτοκράτωρ vocatur *caesar* & Augustus Matth. XXII. 17. *Caesar* dictus fuit Julius, primus imperator, quod ex utero esset cæsus, vel a cæsarie, ut quidam volunt. Secundus fuit *Augustus*, quibus nominibus hodie imperatores Romani utuntur. Quidam tamen existimant, dictos esse augustos ab officio, quod imperii pomœria extendere, & fines ejus augere debeant, sicut etiam in vernacula lingua dicuntur *allzeit Mehrer des Reichs.* Augusti nomini apud Græcos respondet vox Σεβαστὸς, Act. XXV. 21. a σέβομαι, ὦ σεβάζομαι, *veneror*, quod sit veneratione dignus. Possunt autem hæ adpellationes de multis necessariis & utilibus rebus admonere tum magistratum, tum subditos. Illum quidem: 1.) Vt intelligat, quæ sui sint officii, nec nudis titulis superbiat, rebus omnibus, quæ hisce adpellationibus notantur, destitutus. 2.) Vt caveat sibi ab injuria subditis inferenda, cogitans, magistratus propter subditos constitutos esse, ut illorum saluti serviant, non autem subditos propter magistratum, ut illius libidini sint expositi. 3.) Vt consoletur se honorificis illis adpellationibus in mole periculorum, negotiorum & adversitatum, ac animo æquiore gubernationis molestias toleret. Hos vero, ut ad obedientiam magistratui præstandam sint eo promtiores, quo sublimiorem in locum illum a Deo evectum esse audirent. (*)

CAPVT II.

TO OTI PERTRACTAT, AN SCILICET DETVR MAGISTRATVS POLITICVS?

An detur magistratus? §. XXIV. Dari regimen politicum confirmant 1.) Variæ illæ *adpellationes*, periphrases, & encomia magistratus hactenus adnumerata. Quorsum enim in sacris & profanis literis tot non solum nomina, sed & encomia magistratui adsignarentur, si non exstaret talis quædam potestas ac vitæ status? 2.) Divina hujus ordinis *institutio*, quam in sequenti capite comprobatam dabimus. 3.) *Conservatio* ejusdem inter tam efferatos diaboli furores, motus bellorum, molitiones hominum seditiosorum, jugum illud excutere unice contendentium, quæ est opus divinæ providentiæ & mirandæ potentiæ. Nisi enim Deus ex immensa bonitate mirabiliter hunc ordinem conservaret, & contra diaboli rabiem, qui est spiritus ἀταξίας καὶ ἀκαταστασίας, potenter custodiret, impossibile esset adhuc aliquam constare honestam politiam. Δίχα θεὸ συσῆναι τοιαύτην ἡγεμονίαν ἀδύνατον, inquit Josephus. 4.) *Series* quatuor præcipuarum ac potentissimarum monarchiarum, quæ hospitium præbuerunt ecclesiæ, ex quibus quarta, quæ est Romana, usque ad ultimum Christi adventum conservabitur Dan. II. & VII. 5.) Omnia illa scripturæ dicta, in quibus & magistratus & subditi *officii* sui admonentur, ac vitia eorum corriguntur. 6.) Denique ipsa *experientia* confirmat, varias exstare politici regiminis species & formas in diversis regnis, provinciis, regionibus ac civitatibus.

§. XXV.

(*) Lutherus germ. f. 154. *Ein frommer Regent soll mit Ehren die drey gœttliche Amt und Nahmen haben, daß er hilffet, nehret und rettet, und darum ein Heyland, Vater, Retter heissen. Dann durch die erste Tugend, so er das Wort GOttes fœrdert, hilfft er vielen zur Seligkeit, daß sie von Sünden und Todt erlœset, das Heil erlangen. Durch die andere Tugend, so er das Recht handhabet, ernehret er alle seine Unterthanen, wie ein Vater seine Kinder, wo das Recht nicht stünde, da behielt man nichts für andern. Durch die dritte Tugend, so er dem Frevel steuret, die Armen schützet und erhælt den Friede, ist er ein rechter redlicher Retter, oder Ritter, und führet billig gelbe Spohren, &c.* GERHARDVS.

An regimen politicum etiam in statu innocentiae locum habuerit?

§. XXV. Pertinent ad hunc locum duæ quæstiones; prior: *an regimen politicum etiam in statu innocentiae locum habuerit?* Posterior: *an in statu corruptionis post lapsum illud sit necessarium?* Ad priorem quæstionem Augustinus negative respondere videtur lib. XIX. de civit. Dei cap. 15. *Deus* (inquit) *rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori, inde primi justi pastores pecorum magis, quam reges hominum constituti sunt, ut etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori, proinde nusquam legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* Confirmari potest hæc Augustini sententia ex eo: 1.) Quod homo erat conditus ad imaginem Dei, cum qua non potest consistere subjectio, siquidem pars divinæ imaginis erat dominium. 2.) Quod Deus bruta homini subjicit, non autem homines hominibus subesse jubet. 3.) Quod post lapsum demum, adeoque post diluvium instituitur magistratus Gen. IX. 6. 4.) Quod in statu innocentiæ nulla fuerit necessitas legum civilium, cum lex naturalis & innata cuilibet ad recte agendum sufficiens fuisset; nulla necessitas judiciorum, cum nullæ injuriæ, aut discordiæ locum habuissent; nulla necessitas suppliciorum, cum malefacta omnia ibi penitus exsulassent. Jam vero sublatis legibus civilibus, judiciis & suppliciis, tollitur magistratus officium. 5.) Quod magistratus imperium cum onere subditorum est conjunctum; jam vero a statu innocentiæ exsulasset, quidquid est grave, acerbum & adversum. 6.) Quod in vita æterna, in qua fiet ἀποκατάστασις πάντων, Act. III. 20. non erit amplius locus magistratui: 1. Cor. XV. 24. *Cum tradiderit Christus regnum Patri, evacuabit omnem principatum, potestatem & virtutem.*

§. XXVI. Atque hæc argumenta firmiter probant, talem quamdam despoticam dominationem & servilem subjectionem, cum repugnantia voluntatis & molestia conjunctam, qualis post lapsum in imperiis politicis adparet, in statu innocentiæ locum haudquaquam habuisse; ex eo tamen inferri nequit, omnem omnino ordinem, omnem gubernationem & subjectionem, ἁπλῶς & late acceptam, ab innocentiæ statu semotam fuisse. Nam 1.) multiplicato genere humano diversæ ac plures ortæ fuissent familiæ, quæ non potuerunt carere capite, alias defuisset ordo, ad pulcritudinem & constitutionem universi omnino requisitus. Vt enim singulas familias oportuisset habere quoddam caput, ita quoque plures familiæ non potuissent esse ἀκέφαλοι καὶ ἄτακτοι. Τὸ ἀναρχον inquit Nazianzenus lib. III. de theol. ἧσι ἄτακτον. *Sine ordine*, inquit Scaliger exerc. II. de subtil. *natura constare non potest, nihil enim absque ordine meditata est, vel effecit. Quae multa sunt, per ordinem unum fiunt quoddammodo.* 2.) Inter ipsos angelos est quidam ordo divinitus constitutus. Sunt ibi *sedes*, sunt *dominationes*, sunt *principatus*, sunt *potestates &c.* Damascenus lib. II. orthod. fid. cap. 3. Διαφέρουτές εἰσιν ἄγγελοι ἀλλήλων τῷ φωτισμῷ καὶ τῇ φάσει, εἴτε πρὸς τὸν φωτισμὸν τὴν φάσιν ἔχοντες, ἢ πρὸς τὴν φάσιν τὸ φωτισμὸ ἔχοντες, ubi postea ex Dionysio de div. nom. distinctos angelorum ordines recenset. 3.) Quemadmodum subjectio maritalis, qua in statu etiam innocentiæ uxor voluntati & dominio mariti fuisset subjecta, non pugnat cum imagine Dei, ad quam fœminæ non minus, quam viri conditæ, ita quoque civilis subjectio, certo ac determinato modo sese habens, non pugnasset cum statu primævæ libertatis. 4.) Homo ita conditus est a Deo, ut φύσει, natura, sit animal sociabile, unde interno naturæ instinctu atque impetu fertur ad societatem; jam vero, ubi societas est, ibi regimen aliquod esse oportet, unde in ipso quoque innocentiæ statu aliquod regimen & ordinem poli-

politicum fuisse, verisimile est. Distinguendum igitur inter subjectionem servilem & filialem, inter regimen δεσποτικὸν & πατρικὸν, inter imperium coactum & spontaneam submissionem, inter regimen conjunctum cum libidine dominandi, & conjunctum cum animo consulendi, illud, non autem hoc a statu innocentiæ abfuisset. Thomas lib. I. q. 9. art. 3. Gabr. Biel. L. IV. sent. dist. 15. q. 5. *Fuisset in statu innocentiae praelatio in officio consulendi & diligendi, non dominium servituti oppositum.* Arminius disput. theol. 25. thes. 8. p. 246. *Quamquam politicae potestatis usus ante peccatum non fuit, eo quod duo tantum essent homines, qui unica familia continebantur, tamen arbitramur, & in primaeva hominum integritate locum habituram fuisse, id quod ex natura hominis, qui animal sociale est, ex finibus ipsius potestatis, ex causis, quae Deum ad illam instituendam moverunt, ex ipsa lege naturali & morali, denique ex potestatis ipsius in cordibus hominum impressione evinci posse putamus, siquidem aliqua hominum multitudo ante peccatum propagata fuisset.*

An post lapsum magistratus officium sit necessarium?

§. XXVII. Ad *posteriorem* quæstionem respondemus, in statu corruptionis post lapsum non ipsam modo hominum societatem & naturalem rerum ordinem, sed summam quoque necessitatem postulare magistratus politici officium, adeo ut illius inter homines non minus, quam aquæ, panis, solis & aëris usus sit necessarius, quod hisce confirmatum damus argumentis. 1.) Deus ipse constitutione magistratus manifestum fecit, summam illius esse in genere humano necessitatem. Nisi enim conservatio humanæ societatis officium magistratus postulasset, Deus, qua est φιλανθρωπία, illum ordinem multis cum molestiis conjunctum non instituisset, nec jugum ejus subditis imposuisset. 2.) Experientia testatur, quantæ confusiones oriantur, quanta scelerum inundet copia, si in republica magistratus contemnitur, leges & honesta decreta neglectui habentur, judicia vel non exercentur, vel injustitia contaminantur. Prov. XI. 14. juxta versionem vulgatam: *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Testatur historia sacra, miserrimum fuisse Israelitici populi statum eo tempore, quo magistratu & judice caruit, hinc illa querela Spiritus sancti Judic. XVII. 6. *In diebus illis non erat rex in Israel, & faciebat quilibet, quod rectum in oculis suis*, quæ repetitur Jud. XXI. 25. Contra vero pio magistratu fasces imperii obtinente, & publicam pacem adferente quilibet *sub vite & ficu* sua tranquillus habitat 1. Reg. IV. 25. Socrates in procem. lib. V. histor. *Cum respublica turbulentis motibus jactatur, ecclesiae etiam status ejusdem quasi morbi contagione infectus vehementer conturbatur. Nam si quis diligenter observare voluerit*, (inquit) *eisdem temporum articulis & rempublicam fluctibus calamitatum, & ecclesiam rerum adversarum procellis agitatam pro certo comperiet.* Stobæus serm. XLII. memorat, legem perficam fuisse, *defuncto rege* ἄνευ ἀνομίαν πένθ' ἡμερῶν, *ut cuilibet quinque diebus a morte regis proximis facere liceret, quod vellet*, ut, quia viderent pacem publicam turbari, subditi regno denuo constituto leges & magistratum revereri, ac maximi beneficii loco habere discerent. Magistratus est illud *vinculum, per quod respublica cohaeret; est spiritus ille vitalis, quem haec tot millia trahunt; nihil ipsa per se futura, nisi onus & praeda, si mens illa imperii subtraharetur.* Seneca libr. I. de clement. cap. 4. 3.) Absque magistratus præsidio non posset coërceri rabies delinquentium, qui suis cupiditatibus illecti, & diaboli furore impulsi res alienas diripere, castitatem matronarum expugnare, vitæ proximi insidias struere pro ludo ac joco habent. Illis igitur oppositum Deus freni & repaguli loco magistratum. Theodoretus orat. VII. de provid. οἷόν τι φάρμακον ἀλεξικακον τοῖς τῆς ἀνομίας ἕλκεσιν τὴν τῶν ἀρχόντων οἰκονομίαν ἐπιτέθεικεν ὁ Θεός. *Deus velut pharmacum quoddam mali expulsivum iniquitatis ulceribus imposuit magistratus administrationem.* Lutherus in Genes. II. p. 30. *Politia est necessarium remedium corruptae naturae.* 4.)

Absque magistratu si esset, distinctio dominiorum, tranquillitas publica & externa disciplina sarta tecta conservari ac subsistere non posset, ac proinde nec ecclesia posset ex genere humano per verbum colligi, si in eo essent omnia inordinata, confusa & cataclysmo flagitiorum obruta atque immersa. Ambrosius in Rom. XIII. in principio: *Quoniam cœlestis justitiae legem sequendam mandavit apostolus, ne ab hac praesenti dissimulare videretur, hanc commendat, quippe cum nisi haec fuerit observata, illa custodiri non possit, haec enim quasi paedagogus est, quae parvulos imbuit, ut possint potioris justitiae viam sequi, nemini enim potest imputari misericordia, nisi habuerit justitiam.* 5.) Vt ecclesiasticum ministerium sublato magistratu destitueretur nutritio ac defensore, sic patria potestas & œconomiæ administratio absque magistratu non posset subsistere, quia filii & servi ἀπειθεῖς a parentibus coërceri non possent, sed suo indulgerent genio & ingenio, atque omnia in familia aliorum prædæ ac direptioni essent exposita. Cicero lib. III. de legibus: *Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.* 6.) Nondum versamur in cœlesti patria, sed peregrinamur adhuc in via, atque in hac peregrinatione magistratus subsidiis indigemus vel maxime.

§. XXVIII. *Anabaptistae* rei evidentia convicti agnoscunt magistratus necessitatem *extra ecclesiam*, sed apud christianos & *in ecclesia* officium illius esse necessarium negant. (*) Anabaptistæ Transylvani in antithesibus Christi veri & falsi, editis anno 1568. albæ Juliæ, antithesi VII. dicunt, *Christum falsum habere in sua ecclesia reges, principes, magistratus gladios: Christum verum nihil tale in ecclesia pati posse.* 1.) *Magistratus constitutus est*, (inquiunt) *ut sit minister justitiae, vindex* ad

Antitheses anabaptistarum.

1.) *Apiorum justitia.*

(*) Paucis heic notamus, *Anabaptistas* tum veteres, tum recentiores, non tantum necessitatem magistratus politici in ecclesia christiana negare, ut supra observavit GERHARDVS; sed & statuere, officium magistratus a veri nominis christiano, qui secundum præcepta sanctissimi servatoris vitam suam instituit, nec geri posse, nec debere. Palam hoc ipsum professi sunt in colloquio *Franckenhalensi*, anno MDLXXI. habito *actione XXIV.* Quibus consona sunt, quæ in eorum confessionibus, speciatim ea, quæ a Jo. RISIO & LVBBERTO GERARDI, verbi divini ministris, suit concinnata, atque e Belgico latinitate donata, a HERMANNO SCHYN vero *historiae Mennonitarum, part. I.* inserta est, *artic. XXXVII. p. 214.* Idem SCHYN, quem modo nominavimus, edidit quoque *plenioremdeductionem historiae Mennonitarum*, in cujus *cap. III.* de dogmatibus, quæ *Mennonitis*, speciatim in loco de officio magistratus politici sunt propria, copiose agitur. Vid. præcipue *p. 42. seqq.* Notantur ac rejiciuntur ista dogmata a majoribus nostris in *formula concordiae, artic. XII.* eoque ultimo, ubi inter alios errores, speciatim quoque ii, qui ad *statum civilem* spectant, recensentur. Lectu digna sunt, quæ ad hunc locum adnotavit Jo. GEORG. WALCHIVS, celeberrimus jenensium theologus, in *introduct. in libros eccles. Luther. symbol. p. 892. seqq.* Conferenda, quæ post b. LVTHERVM *tom. III. oper. Altenburg. f. 128. a.* hanc in rem scripserunt non tantum GERHARDVS, partim supra §. XXVIII seqq. partim autem infra §. XLVIII. *seqq.* sed & alii theologi, veluti Jo. MÜLLERVS, in brevi, sed egregio libro, germanico sermone edito, qui inscribitur: *anabaptismus, das ist, Wiedertauffer Irrthum &c. cap. XIX. p. 328.* Jo. BOTSACCVS in *anabaptismo reprobato, cap. XLVI.* Jo. CROCIVS, reformatæ ecclesiæ theologus, in copioso opere, quod titulum fert: ANTI-WEIGELIVS *&c. part. II. cap. IX. qu. I. p. 157.* DAN. COLBERGIVS in *dem platonisch-hermetischen Christentum, part. II. cap. XVI. §. 2. p. 742. seqq.* & ex recentioribus GEORG. GVSTAV. ZELTNERVS in *breviario controvers. cum fanaticis p. 422. seqq.*

Vt complures alios, qui de hocce argumento contra *Mennonitas* scripserunt, taceamus. Nec sane quisquam dubitaverit, hominem vere christianum officium magistratus politici illibata conscientia administrare posse, qui consideraverit, illud in se spectatum nil quidquam in se continere, quod Deo displiceat, aut vitium aliquod involvat, quin potius ita comparatum esse, ut iis, qui vere christiani sunt, & munere suo recte funguntur, amplissimam suppeditet occasionem, actiones suas ad præscriptum optimi servatoris conformandi, præceptisque de amore erga Deum & proximum, quin & erga inimicos, satisfaciendi. Copiosius ostendi hoc posset, nisi instituti nostri id prohiberet brevitas. Conferenda tamen, quæ GERHARDVS infra §. *XXXVII.* hanc in rem scripsit.

ad iram, illis, qui male agunt; Rom. XIII. 4. *at christiani ultro justitiae student*: Ps. CX. 3. *reguntur enim Spiritu Dei, a quo aguntur, ut bene agant*: Rom. VIII. 14. *Quemadmodum igitur justis non est lex posita*; 1. Tim. I. 9. *ita quoque non est illis opus magistratu, legis custode & transgressionis vindice.* Resp. 1.) Πρῶτον ψεῦδος hujus erroris est, quod anabaptistae sibi fingunt ecclesiam solis bonis constantem, & ab omni malorum consortio plane liberam; jam vero Christus contrarium docet Matth. XIII. ubi variis parabolis ostendit, in agro dominico conjuncta esse triticum & zizania, in sagena praedicationis verbi concludi pisces bonos ac putres &c. Falsum igitur est, quod omnes, qui se adgregant visibilis ecclesiae coetui, sint praediti Spiritu Christi, a quo ita regantur, ut ultro justitiam sectentur. 2.) Praeterea, qui renati sunt & Spiritu Christi praediti, illi adhuc aliquid de vetustate carnis circumferunt, nec tanta perfectione in hac vita sunt donati, ut ab omni peccandi periculo sint liberi; ergo illorum etiam respectu magistratus officium suum habet usum, ut concupiscentias carnis recalcitrantis, & adversus Spiritum concupiscentis, memoria & intuitu poenarum delictis constitutarum mortificent. 3.) Certe Romani, ad quos apostolus scribit, professione erant christiani, ac multi ex illis Spiritu Christi praediti; nihilo tamen minus etiam illorum respectu magistratum vocat *Dei ministrum*, Rom. XIII. 4. ac notanter addit: *Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem male egeris, time.* Ergo etiam christianis magistratus est minister Dei in bonum, & fieri potest, ut christianus etiam male agat, alias frustra apostolus diceret: *Si male egeris, time.* 4.) Denique si vel maxime boni non indigerent magistratus gubernatione & ad bonum directione, propterea quod sponte ad illud ferantur; tamen propter malos, quibus in hac vita immixti vivunt, magistratus defensione indigerent, ut sub illius tutela ac patrocinio *quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate & honestate*: 1. Tim. II. 2.

§. XXIX. Sed regerunt Anabaptistae: II.) *Christiani vivunt sub cura & defensione Dei, scientes ne pilum quidem e capite, nec passerculum e tecto absque illius voluntate decidere*: Matth. X. 29. 30. Luc. XII. 7. *Ergo non indigent defensione magistratus.* Resp. 1.) Defensio Dei & defensio magistratus non sunt oppositae, sed subordinatae, quia magistratus est *minister Dei bonis in bonum*, hoc est, ut bonos defendat ab improbis, & illis praemia, his vero poenas decernat; quando igitur hoc officium divinitus sibi demandatum magistratus exsequitur, eo ipso curae ac protectioni divinae bonis promissae inservit: proinde potest christianus magistratus defensionem implorare, eaque uti, ac nihilominus fiduciam cordis in Dei patrocinium ac defensionem unice collocare. 2.) Sicut defensio Dei & angelorum non pugnant invicem; ita quoque defensio Dei & magistratus non sunt pugnantia. Deus promisit nobis defensionem, sed eam non vult *immediate* nobis praestare, verum *mediate*, videlicet per אֱלֹהִים coelestes, sive angelos, & אֱלֹהִים terrestres, sive magistratus. 3.) Tempore eo, quo apostolus Romanis scribebat, magistratus erat a fide christiana alienus; nihilo tamen minus apostolus eum vocat *Dei ministrum bonis in bonum*: Rom. XIII. 4. ipse quoque provocavit ad caesarem Romanum, qui tum temporis erat ethnicus. Act. XXV. 10. Quod si ethnicus magistratus usui esse potuit christianis, ut ad defensionem ejus confugerent; quomodo christiani ac pii magistratus auxilio & patrocinio non liceret uti? 4.) Quod si contingat, ut proh dolor saepius accidit, magistratum contra normam divinitus praescriptam agere, & eos, quibus defensionem debet, opprimere; tunc pii promissionibus illis de divino patrocinio etiam immediate in casu necessitatis praestando sese solari possunt ac debent: ut enim divina potentia in agendo non est adligata ad causas medias, sic & defensio Dei non est adstricta ad defensionem magistratus, quo minus, requirente ita nominis sui

2.) *A Dei clementia.*

gloria, etiam absque magistratus opera nobis subvenire & patrocinari possit.

3.) *Piorum tribulatione.* §. XXX. III.) *Magistratus hoc fine constitutus est, ut sub eo quietam & tranquillam vitam agamus*; 1. Tim. II. 2. *sed piorum sors & conditio in hoc mundo est, ut non vivant quiete & tranquille, sed variis tribulationibus exerceantur, per quas regnum Dei ingrediuntur.* Act. XIV. 22. *Ergo non magnopere indigent magistratus opera & praesidio.* Resp. 1.) Adversitates & tribulationes piorum non sunt unius generis: quædam immediate a Deo immittuntur, quæ non possunt magistratus opera præcaveri, neque enim ad illas tollendas institutus est magistratus; quædam vero a malis hominibus inferuntur, ab illis Deus pios immunes præstare, vel liberare vult per magistratum, qui constitutus est *vindex ad iram illi, qui male agit.* Rom. XIII. 4. Potest igitur christianus operam & auxilium magistratus in posteriore tribulationum genere implorare, & cum gratiarum actione hoc beneficium usurpare, perinde ut in morbis utitur medicina. 2.) Quod si vero magistratus in officio sit negligens, nec coerceat malos, qui in nos sunt injurii; non debemus ex privata vindicta quidquam agere, sed *in patientia animas nostras possidere*, Luc. XXI. 19. memores prædictionis, *quod per multas tribulationes oporteat nos ingredi regnum cælorum.* 3.) Quo magis vere pii malorum injuriis sunt expositi, eo magis indigent patrocinio & præsidio magistratus, perinde ut oves in medio luporum constitutæ pastoris præsidium requirunt. 4.) Apostolus disertis verbis pios hortatur, *ut orent pro regibus & omnibus in sublimitate constitutis*, & fine quidem eo, *ut quietam ac tranquillam vitam agant in omni pietate & honestate*, 1. Tim. II. 2. ac notanter addit, *hoc esse bonum & acceptum coram Deo servatore nostro.* v. 3. Ergo non pugnat cum Dei voluntate, magistratus operam expetere ad vitam quietam & tranquillam in pietate exigendam.

4.) *A divini cultus conditione.* §. XXXI. IV.) *Verus Dei cultus est interior ac spiritualis, quia veri Dei cultores & adoratores invocant eum in Spiritu & veritate.* Joh. IV. 23. *Ergo non indiget constitutionibus magistratus.* Resp. 1.) Concedimus, non esse absolute & simpliciter ad verum Dei cultum in ecclesia conservandum necessarium, ut magistratus sit christianus, & salutaribus suis constitutionibus eumdem promoveat, quia Deus per verbum & Spiritum ecclesiam suam regere & potenti brachio suo contra hostes eam defendere potest, si vel maxime magistratus suo desit officio. 2.) Interim manet verissimum ac certissimum, quod instituerit Deus magistratum hoc fine, ut conservetur externa disciplina & pax publica, absque qua ecclesia non ita commode propagatur & conservatur, ut magistratus sit custos utriusque tabulæ, ut sit nutritius ecclesiæ, ut lupos arceat a dominico ovili, ut una cum ministerio ecclesiastico ritus ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην spectantes ordinet, & externa interioris divini cultus adminicula introducat. 3.) Quod si igitur ecclesia pii & christiani magistratus officium & præsidium obtinere potest, nequaquam illud repudiet, sed grata mente utatur; sin minus, firmiter statuat, Deum etiam in gravissimis persecutionibus & perturbatissimis temporibus posse aliquos veros sui cultores conservare, qui magistratus & omnium hominum præsidio desituti extraordinaria Dei benignitate incolumes serventur.

CAPVT III.

DE CAVSA EFFICIENTE MAGISTRATVS POLITICI.

Causa efficiens magistratus. §. XXXII. Demonstratum fuit hactenus, esse in terris magistratum, cujus officium generi humano in peccati εὐταξίαν prolapso summe fuerit necessarium; restat

restat explicandum, a quo illud magistratus officium, status ac potestas originem habeat: an solo rationis humanæ dictamine, vel sapientum consilio ac deliberatione constitutus sit magistratus, ut vagam ac tumultuantem hominum multitudinem utcunque intra limites obedientiæ & officii continerent? an vero divina auctoritate & mandato introductus sit? Quod est principale ac primarium hujus doctrinæ caput, cujus diligens explicatio requiritur, tum propter *magistratus*, ut conscientiæ eorum certum habeant consolationis fundamentum in omnibus periculis, difficultatibus & adversitatibus; tum propter *subditos*, ut agnoscant parendum esse magistratui non solum propter *iram*, sed etiam propter *conscientiam*; Rom. XIII. 5. tum propter *fanaticos*, qui huic divinæ ordinationi variis modis detrahunt. Vt autem in ministerii ecclesiastici constitutione ad causam efficientem *principalem & instrumentalem* respiciendum esse diximus, cum Deus non omnes *immediate*, sed quosdam *mediate* ad ministerium vocet; ita quoque ad utrumque genus causæ in magistratus politici constitutione respiciendum, cum Deus itidem quosdam *immediate*, quosdam vero *mediate* ad magistratus officium vocet,(*) ex quo duæ hujus capitis sectiones nascuntur, quarum prior *de causa principali*, posterior de *causa ministeriali & instrumentali* tractabit.

(*) In veteri quidem testamento Deus homines aliquando *immediate* ad officium magistratus vocavit, prout constat exemplo Mosis, *Exod. III. IV.* itemque Josuæ, *Num. XXVII. 18. Deut. III. 28.* immo Saulis quoque atque Davidis, *1. Sam. IX. 15. seqq. XVI. 12.* Licet vero hoc ipsum recentiori ævo non amplius fiat, nec vocatio quædam immediata ad munus magistratus politici sit exspectanda, dubitare tamen haud licet, quin Deus, qui provida sua cura res omnes mortalium sapientissime dirigit atque disponit, ad collationem quoque imperii providentia sua specialiori quadam ratione ita concurrat, ut jure meritoque affirmare liceat, eundem summum imperium *mediate*, intercedente nimirum hominum consensu, conferre. Suffragantur heic nobis luculenta sacræ scripturæ loca, veluti *Prov. VIII. 15, seqq. Dan. IV. 32. Sap. VI. 4.*

Atque ex his, quæ modo diximus, facile judicari potest, quid sentiendum sit de controversia, seculo superiori ad finem vergente inter viros quosdam eruditos exorta, & subsequenti ævo continuata: *an majestas summorum imperantium sit immediate a Deo?* Occasionem eidem dedit Hector Godofr. Masius, theologus quondam Hasniensis, edito libro hac inscriptione insignito: *interesse principum circa religionem protestantium*; qui Hasniæ MDCLXXXVII. in 4. prodiit. Quum enim auctor *cap. IV.* hujus libri comprobandum sibi sumsisset, nullam religionem tam honorifice de summis imperantibus ac magistratu politico sentire, quam Lutheranam, siquidem illa majestatem imperantium a Deo *immediate* dependere, nec populo, nec pontifici maximo obnoxiam esse statuat, mox contra eundem insurrexit Christian. Thomasius, Jureconsultus Halensis, inque *cogitationibus menstruis*, germanico sermone conscriptis, & quidem mense decembr. ann. MDLXXXVIII. *p. 734. seqq.* sententiam Masii de *immediata* majestatis origine a Deo, acerbiori dictione perstrinxit, postea vero eandem uberius confutavit in *institut. jurisprudentiae divinae, libr. III. cap. VI. §. 72. seqq.* ubi & ad ea sacræ scripturæ loca, quæ ipsi erant objecta, respondit, ac speciatim ostendere adnisus est, loca illa divinam quidem majestatis *originem* probare, neutiquam vero ejusdem immedietatem adstruere. Bina tamen scripta germanico idiomate concinnata prodierunt, in quibus caussa theologi Hafnienfis fuit defensa. Alterum nomen Petri Schippingii fronti inscriptum gerit, hacque gaudet inscriptione: *abgenærbigtes Gespræch von dem Bande der Religion und Societæt, worinnen D. Masii* interesse principum circa religionem evangelicam *gegen eines neulichen Scribenten ernsthafte Gedanken vertheidiget wird.* MDLXXXIX. 8. Brevis hicce libellus Thomasii *colloquiis menstruis* modo excitatis postea insertus, variisque adnotationibus fuit adauctus. Sequebatur vero mox alterum scriptum, quod titulum fert: *Bedenken über die scherz- und ernsthafte alberne und unvernünftige Gedanken einer seltsamen neuen Gesellschaft der Mæßigen, gedruckt zu Aho in Finnland.* Cumprimis vero huc pertinet ipsius Masii *orthodoxia Lutherana de origine imperii divina & immediata Rom. XIII. 1, 2.* quæ *tom. II. dissert. acad. p. 113.* exstat. Ex reliquis scriptoribus, qui argumentum de divina magistratus origine discusserunt, cumprimis laudari heic merentur Hertius in libro *de modo constit. civit. sect. II. §. 2.* Kulpisius in *collegio Grotiano, exercit. II. §. V. p. 14.* Vitriarius in *institut. juris publici, libr. III. tit. 13. §. 2.* Hvbervs *de jure civitatis, libr. I. sect. II. cap. I. §. 27. seqq.* itemque *sect. VII. cap. IV. §. II. seqq.* Boehmervs in *jure publ. universs. libr. I. cap. II. §. 24. seqq. p. 181. seqq.* Noodt in *orat. de*

SECTIO I.

DE CAVSA EFFICIENTE PRINCIPALI MAGISTRATVS.

Principalis causa est ipse Deus, quod probatur.

§. XXXIII. Quamvis saniori-bus ethnicis ex naturæ lumine quodammodo notum fuerit, magistratum esse institutum divinum, unde illud poëtæ Asræi: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες; tamen plena ac certa hujus rei cognitio est beneficium solius ecclesiæ proprium; in ea enim sonat Dei verbum, quod longe certius, firmius ac solidius docet, magistratum esse a Deo institutum, & esse sanctam Dei ordinationem. Atque hæc verbi divini testimonia diligenter sunt expendenda. Quando enim ratio nostra lumine gratiæ destituta considerat tum ambitionem eorum, qui ad dominatum & imperia adspirant, tum fastum, injurias, tyrannidem & vim injustam multorum, qui imperio funguntur, tum judiciorum civilium perversitatem & corruptelas, simulque cogitat, omnes homines æquales nasci; tunc valde labefactatur illa persuasio ex rectæ rationis lumine & dictamine orta, quod magistratus sit divinum institutum; cogitamus enim, magistratum ex cupiditate dominandi omnibus innata & ex injusta aliorum oppressione ortum esse, nec Dei ordinatione, nec lege naturæ constare. Contra has cogitationes muniendus est animus auctoritate verbi divini, quod testatur, vitia *personarum* ab ipso *officio* esse prudenter discernenda, ac potestatem magistratus esse a Deo, quamvis abusus potestatis ab ipso non sit, nec ipsi placeat. Constituemus autem certas argumentorum classes, primam dabimus *expressis scripturae dictis*: secundam *rationibus legitima & immota consequentia ex scriptura deductis*: tertiam *probatis exemplis*, quibus παρεισάγματος loco *piorum veterum dicta* subjicientur.

I.) *Scripturae dictis.*

§. XXXIV. I.) igitur classis continet *expressa scripturae dicta*, in quibus verbis claris & perspicuis adseritur, magistratum esse divinam ordinationem, & potestatem magistratus a Deo esse ipsi datam, ubi merito I.) collocamus dictum apostolicum Rom. XIII. 1. & seqq. πᾶσα ψυχὴ (inquit) ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ, αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν. Irenæus libr. V. cap. 20. p. 346. de quibusdam commemorat, quod hunc locum apostolicum *de angelis* exposuerint, qui itidem dicuntur ἐξουσίαι, Eph I. 21. III. 10. Col. I. 16.

1.) *Rom. XIII. 1. seqq. Omnis anima &c.*

de jure summi imperii & lege regia. Buddeus in dissertat. *de concordia religionis christianae, statusque civilis cap. IV. §. V. & seqq.* itemque in *disquisit. theolog. de moderamine inculpatae tutelae in controversiis theologicis p. 12. seqq.* & in *institut. theolog moralis, part. II. cap. III. sect. VII. §. XV. p. m. 676.* Hochstetterus, theologus quondam Tubingensis, in *collegio Pufendorfiano exerc. XI. §. IV. p. 456.* & Walchius, theologus Jenensis, in *dem philosophischen Lexico*, voce *Majestaet p. 1731.* Prætermittimus alios auctores, in *bibliotheca juris imperantium quadripartita p. 145. seqq.* adiegatos.

Jam quod ad rem ipsam, de qua heic quæritur: num scilicet magistratus, seu summa in republica potestas, *immediate*, an vero *mediate*, sit a Deo? adtinet, existimamus, eandem facile solvi posse, si inter magistratum in *abstracto* & in *concreto* heic, prout par est, distinguamus. Si magistratus spectetur in *abstracto*, h. e. ratione *officii*, sive ratione potestatis legislatoriæ, judiciariæ & vindicativæ, procul dubio *immediate* est a Deo. Docet hoc gentium apostolus *Rom. XIII. 1.* ubi ait: *nulla est potestas, nisi a Deo; & quae sunt potestates, eae a Deo sunt institutae.* Quod si vero magistratus consideretur in *concreto*, quatenus denotat personas hocce munere fulgentes, illæ non *immediate*, sed *mediate*, intervenientibus nempe hominum consiliis eorumque opera voluntaria, constituuntur a Deo; verb. grat. quando homines magistratum eligunt, adeoque spontanea submissio accedit; vel ubi per haereditariam successionem in aliquem potestas summa devolvitur. Quod ipsum tamen non impedit, quo minus ejusmodi magistratus a Deo quoque sit. Aliud quippe est *potestas ipsa*, aliud *potestatis adquisitio* atque *usurpatio*, illa semper est a Deo *Rom. XIII. 1.* haec non item. His consona sunt, quæ ipsemet Gerhardus *p. 247.* tradit.

16. 1. Pet. III. 22. Sed illis recte opponit Irenæus, quod apostolus de talibus ἐξουσίαις loquatur, quibus *tributum & vectigalia debeamus*. *Haec* (inquit) *non de angelicis potestatibus, nec de invisibilibus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere, sed de his, quae sunt secundum homines potestates, ait, propter haec enim & tributa praestatis &c.* Ethnici inter cæteras calumnias, quibus evangelii doctrinam prægravabant, christianos accusabant, quod seditiones adversus magistratum excitarent, quærebant adcusationi suæ colorem ex eo, quod christiani docerent, quamdam *libertatem* a Christo sibi partam, quod recusarent *decretis* magistratus ad ethnicam idololatriam cogentibus obedire &c. Apostolus igitur, huic adcusationi obviare, subditos officii sui monere, & anabaptistarum furores antevertere cupiens, ex professo de obedientia magistratui jure divino a subditis debita hoc loco disserit, & argumento fortissimo ex divina magistratus ordinatione petito ad obedientiam illi præstandam singulos subditos, etiam illos, qui Christo nomen dederant, hortatur. Considerandum autem verborum emphasis: *Non est potestas, nisi a Deo.* Adcurate distinguit inter *abusum potestatis* & *ipsam potestatem*. Imperatores Romani, qui tunc rerum potiebantur, & eorum præsides in provinciis abutebantur potestate ad ὕβριν, cogere volebant christianos ad idolomaniam ethnicam &c. hunc abusum potestatis nequaquam a Deo esse apostolus dicit, sed potestatem ipsam. Distinguit etiam inter *personam*, quæ officio & potestate magistratus fungitur, & inter ipsum *officium* ac potestatem magistratus. *Persona* sæpius vi, fraude, malis artibus, vel etiam crudelitate ac tyrannide magistratum occupat & administrat, ac proinde a Deo ad magistratum ordinata dici nequit; sed pertinet ad eam dictum propheticum: Oseæ VIII. 4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me, principes exstiterunt, & non cognovi eos*; interim ipsum officium ac potestas magistratus Dei ordinatio esse non desinit. Tyranni ipsi, qui pravis cupiditatibus & ambitionis æstro impulsi atque perciti regna invadunt, eaque non ex præscripta justitiæ regula, sed propria libidine administrant, hactenus & hoc respectu non sunt a Deo missi, nec ordinati, tum propter *violentam occupationem*, tum propter *tyrannicam administrationem*, nec actiones ipsorum Deo probantur; interim ipsa magistratus potestas & officium Dei est, ab injustis illis possessoribus vi & fraude occupatum. Sic ministri ecclesiæ, qui legitima vocatione destituti proprio ausu sese ministerio ingerunt, non sunt a Deo missi, nec ordinati: Jer. XXIII. 21. *Currebant, & non mittebam eos*; interim ministerium ipsum non desinit esse ordinatio divina. Huc referri etiam potest, quod abstracta voce *potestatis* Romani, ad quos apostolus scribit, utebantur pro concreto, ut ex Plinio lib. XXIX. cap. 4. Suetonio in Claud. cap. 23. monet Barel. lib. III. de monarch. cap. 10. *Deinde* apostolus non dicit indefinite, *potestas ὑπερέχουσα est a Deo*, sed universaliter & exclusive: *Non est potestas, nisi a Deo.* Fuerunt procul dubio, qui statuerent, ethnicorum imperium non esse legitimum & ex Deo, sicut fuerat imperium regum Israël, ideoque non convenire, ut christiani ethnicis magistratibus obediant; talia enim semina fermenti pharisaici Matth. XXII. 17. procul dubio adhæserunt quibusdam ex judaismo ad Christum conversis, sed apostolus ad eorum repressionem notanter dicit: *Non est potestas, nisi a Deo*, hoc est, non solum regum Israëliticorum potestas fuit a Deo, sed omnis omnino potestas a Deo est. *Tertio* apostolus non utitur tantum universali: *Omnis potestas est a Deo*; sed exclusiva: *Non est potestas, nisi a Deo*; q. d. nulla potestas magistratus inter homines nominari, vel cogitari potest, quæ non sit a Deo, quæ *exclusiva* omnem omnino limitationem ac determinationem excludit, quasi scilicet superior tantum potestas sit a Deo, non inferior, quasi bonorum tantum potestas sit a Deo, non malorum &c. *Quarto* non simpliciter a Deo dicit esse potestatem, *sed a Deo ordinatam*, sic enim subjungit: *Quae vero sunt potestates, a Deo ordinatae sunt.* Distinguit

stinguit igitur inter permissionem & ordinationem Dei. Cogitari potuisset, potestatem magistratus esse duntaxat a Dei permissione, quasi permittat tantum, superiores imperium exercere in subditos; sed apostolus huic cogitationi occurrit dicens, potestatem magistratus esse a Dei ordinatione. Peccata Deus permittit, eadem vero proprie loquendo non ordinat, quia non sunt ab ipso, ut ostendimus in tract. de provid. §. CV. sed magistratus potestas dicitur a Deo ordinata. Quæ & ordinantur, & a Deo sunt, ea ex ipsa ordinatione divina habent, ut sint justa, salutaria & utilia, secus est de illis, quæ permittuntur; ergo etiam magistratus potestas propter fines utiles ac salutares est divinitus instituta. Elucent autem in hac divina ordinatione quatuor potissimum Dei adtributa: *bonitas in magistratus constitutione*; mirandæ siquidem bonitatis est, quod Deus in usum generis humani politiarum & imperiorum constitutionem introduxit. *Potentia in ejusdem conservatione*; ecquis enim non intelligit & auctoritatem & firmitatem magistratus non esse ex hominibus, sed ex Deo? certe tot populorum millia in sancta erga unum quandoque monarcham obedientia etiam cum vitæ dispendio conjuncta retineri non possent, nisi Deus ipsorum corda potenter flecteret, & magistratum auctoritatis ac firmitatis robore circumdaret. *Sapientia in legum promulgatione & magistratus administratione*; absque singulari quadam prudentia imperia administrari, & tot negotia impedita & intricata in illis expediri neutiquam possent, jam vero quidquid est in homine sapientiæ, sive spiritualis, sive civilis, id omne a Spiritu sapientiæ ad ipsum descendit. *Justitia in judiciorum constitutione ac pœnarum exsecutione*; quidquid enim in legibus est justum ac salutare, id ex fonte justitiæ æternæ & immotæ, quæ in Deo est, promanat, & quando juxta rigorem justitiæ facinorosis irrogantur supplicia, in eo relucet justitia divina, quæ bonis constituit præmia, improbis vero supplicia. Eo collimant, qui institutione & conservatione hujus ordinis tria adtributa divina consideranda monent, *potestatem Dei αὐτεξούσιον*, *voluntatem optimam & potentiam maximam*. *Potestas* nititur creatione & ex ea orto dominii jure, quod Deus, ut in omnia creata, ita & in hominem obtinet. *Voluntas* instituendi est ex quadruplici ejus amore, nimirum ordinis inter omnia creata, inde ipsorum hominum, tum eorum, qui præficiuntur aliis, tum præsertim subditorum, tertio obedientiæ erga legem suam, denique illius submissionis, quam natura pares præstant iis, qui puro Dei arbitratu sunt superiores. *Potentia* vero, eaque maxima, etiam necessaria fuit, tam propter adfectum excellentiæ, qui in hominibus est, quam propter infinitæ multitudinis potentiam, & usurpata est a Deo per internam necessitatis istius ordinis in cordibus hominum impressionem, & per externam ejusdem defensionem. Jac. Arminius disput. XXV. theol. th. 4. p. 244. *Denique συμπεράσματος* loco apostolus infert, *qui resistit potestati, ordinationi divinae resistit*, & postea: *necessitate subditi esse non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Quod si enim potestas magistratus a Deo est, utique qui huic divinæ ordinationi resistit, conscientiam suam vulnerat, & pœnas sibi adcersit, velut Cœcias nubes.

§. XXXV. Huic classico apostoli loco adjungimus alia scripturæ dicta, in quibus magistratus a Deo constitutus adseritur. II.) Prov. VIII. 15. inquit sapientia: בִּי מְלָכִים יִמְלֹכוּ וְרוֹזְנִים יְחֹקְקוּ צֶדֶק: *Per me reges regnant, & principes decernunt justitiam.* v. 16. בִּי שָׂרִים יָשֹׂרוּ וּנְדִיבִים כָּל־שֹׁפְטֵי אֶרֶץ: *Per me principes habent principatum*, & *evergetae sunt omnes judices terrae.* Loquitur hic æterna, increata & hypostatica Dei sapientia, quæ est ipse λόγος, seu Filius Dei, ut colligitur ex v. 22. cui versiculo conjungenda sunt nov. test. dicta: Matth. XI. 19. Joh. I. 1. 1. Cor. I. 24. &c. Ergo ipse Dei Filius *μεσίτης καὶ ἱκέτης* imperiorum constitutionem & conservationem sibi tribuit, quia propter Chri-

2.) *Prov. VIII. 15. Per me reges regnant etc.*

Christum mediatorem non solum æterna & spiritualia, sed etiam corporalia & temporalia beneficia generi humano sunt reddita, inter quæ eminet constitutio magistratus. Neve quis cogitet, superiores quidem magistratus, non autem inferiores a Deo esse, ideo & *regum & principum* fit mentio, ac utrorumque regimen divina sapientia sibi tribuit, tum ratione constitutionis, tum ratione conservationis, quia utroque modo accipi potest illud: *Per me reges regnant, & principes obtinent principatum*; quin imo non constitutionem tantum & conservationem magistratus, sed etiam salutarem ac prudentem gubernationem esse divinum beneficium, notanter adserit sapientia, quando addit: *per me principes, sive consiliarii, justitiam decernunt, & benefici sunt omnes judices terrae.* III.) Dan. II. 20. propheta coram rege Nebucadnezar consistens inquit: *Sit nomen Dei in secula benedictum, quia sapientia & fortitudo est ipsius.* v. 21. *Ipse mutat tempora & aetates, ipse removet reges, & stare facit reges, dans sapientiam sapientibus, & scientiam intelligenti disciplinam.* Docet propheta, utrumque esse opus divinum, quod reges removet, & stare facit sive stabilit, ac quod regibus addit prudentes consiliarios, in priore Dei potentiam sive fortitudinem, in posteriore sapientiam elucere. Quia vero multi reges verbis quidem profitentur, *se Dei gratia* imperium obtinere; interim occulto cordis fastu & re ipsa illud negant, ideo Deus Nebucadnezarem superbe se efferentem horribiliter punit, ut agnoscat, *quod dominetur altissimus in regno hominum, & tradat illud, cui voluerit:* Dan. IV. 29.

3.) *Dan. II, 20. Ipse removet & stare facit reges.*

4.) *Sap. VI. 4. A Domino data est vobis potestas.*

§. XXXVI. IV.) Ex apocryphis vet. test. libris huc referri possunt sequentia dicta: Sap. VI. 2. *Audite reges & intelligite, discite judices finium terrae.* v. 4. *quoniam a Domino data est vobis ἡ κράτησις, potestas, & ab altissimo ἡ δυναστεία, dominatus, qui exquiret vestra opera, & cogitationes scrutabitur.* Cui aliquando rationem suæ administrationis reges & judices cogentur reddere, ab illo potestas & dominatus ipsis est datus. Sed Deo omnipotenti & altissimo rationem suæ administrationis reges & judices cogentur reddere, Ergo. Eccles. X. 4. *In manu Domini potestas terrae, ἡ ἐξουσία τῆς γῆς, & utilem suscitabit ad tempus super eam.* v. 17. *Sedes imperantium destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis intus.* c. XVII. 13. *Omnis homo a juventute ad mala, & non valuerunt corda sua pro lapideis facere carnea.* v. 14. *In omni divisione gentium terrae totius unicuique genti constituit ducem, ἡγούμενον, praeposuit ei rectorem.* Lutherus: *in allen Landen hat er Herrschaften geordnet.* Exponit sapiens finem, propter quem singulis gentibus præfecerit Deus magistratum, nimirum inter cætera etiam fine eo, ut malitiæ hominum obviam iri & disciplina externa conservari posset.

Eccl. X. 4. In manu Domini potestas terrae cap. XVII. 14. constituit ducem.

§. XXXVII. V.) Ex nov. test. huc referri posse videtur dictum Christi ad Pilatum: Joh. XIX. 11. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset e supernis*; hoc est, nec adversus me, nec ullum omnino hominem aliquam haberes potestatem, nisi ea divinitus tibi esset concessa. Quæ explicatio fidei quidem analogiæ conformis est, & utilem præbet doctrinam; sed ostendimus in harmonia pass. cap. XI. p. 531. textui esse conformius, si verba Christi non in genere de magistratus potestate, sed in specie de potestate Pilati contra Christum aliquid statuendi accipiamus; unde etiam Chrysostomus hom. LXXXIV. in Joh. *τὸ δεδόμενον συγχωρητικῶς* ac permissive exponit. Commodius huc refertur dictum Christi Joh. X. 35. *Si illos* (lex divina Ps. LXXXII. 6.) *dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura &c.* Ad eos, qui vocantur dii in Ps. LXXXII. hoc est,

5.) *Joh. XIX. 11. Non haberes potestatem &c.*

Joh. X. 35. Ad quos sermo Dei factus.

esi, ad magistratus dicit esse factum sermonem Dei, hoc est, habere eos divinam vocationem, esse divinitus in hoc officio constitutos, versari in statu Deo placente. His enim verbis vocatio divina ad munus propheticum describi solet: *Factum est verbum Domini ad Esaiam, ad Jeremiam &c.* Rom. XII. 8. apostolus præfecturas (tum in specie illas, quibus ecclesiæ ædificationi ministri Christi inserviunt, tum in genere omnes) inter dona Dei refert. Quidam etiam addunt locum propheticum: Zach. XIV. 20. *Id quod est super frenum equi, sanctum erit Domino.* Sed rectius generaliter accipitur, quod absque ullo personarum & vasorum levitico discrimine incolæ civitatis in nov. test. futuri sint sancti. Posset etiam haud incommode huc referri, quod reges *sacro oleo* Dei jussu fuerunt uncti, quod fuit evidens signum divinæ vocationis & confirmationis. 1. Sam. X. 1. XVI. 13. 1. Reg. XIX. 15.

II.) *Rationum momentis.* 1.) *A judicii divini administratione.*

§. XXXVIII. Transitum proinde facimus ad *alteram* argumentorum classem, quam tribuimus *rationibus* legitima consequentia ex scriptura deductis, quarum complures adferri possunt. I.) Qui Dei judicium exercent, illis etiam potestas judicandi a Deo est data. Sed magistratus Dei judicium exercere dicitur. Ergo magistratui potestas judicandi & per consequens etiam imperandi a Deo est data. *Majoris* connexio est manifesta. Quomodo enim Dei loco ac vice judicium exercere possent, nisi potestatem judicandi a Deo accepissent? Quemadmodum ecclesiæ ministri, *quia ministerium Spiritus* tractant, a Deo potestatem ministerii accepisse recte dicuntur: ita quoque magistratus, quia Dei judicium exercent, a Deo judicandi & consequenter etiam imperandi potestatem accepisse recte creduntur. *Minor* probatur: Deut. I. 17. Moses ad judices dicit: *Non respicietis personas in judicio*, quia מִשְׁפַּט לֵאלֹהִים הוּא *judicium est Dei & Deo*; utroque enim modo reddi potest, commendatum vobis est a Deo, & Dei nomine illud administratis. 2. Paral. XIX. 6. dicit Josaphatus ad judices a se oppidatim constitutos: *Videte quid faciatis, quia non homini judicatis, sed Deo, & ipse vobiscum in judicio.* Quæ autem sit vis hujus phraseos, colligi potest ex cap. XX. 15. *Non vobis bellum, sed Domino*; hoc est, Deus ipse pro vobis pugnabit, ita quoque hoc loco, Deus ipse per vos judicat, & ab ipso judicium vobis est commissum.

§. XXXIX. II.) Qui in ipsa officii sui exsecutione Dei minister dicitur, illius officium est a Deo. Magistratus in ipsa officii sui exsecutione Dei minister dicitur. Ergo officium, & per consequens etiam potestas magistratus est a Deo. *Major* patet ex mutuo respectu causæ instrumentalis & principalis; qui enim alterius nomine aliquid agit, potestatem & mandatum agendi ab ipso habere, recte creditur. Doctores ecclesiæ quia dicuntur Dei ministri & legati, ideo ipsorum officium merito judicatur divinum. Idem statuendum de magistratu. *Minor* probatur Rom. XIII. 4. *Dei minister est* (magistratus) *tibi in bonum, si autem malum egeris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male egit* v. 5. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* v. 6. *Ideo enim etiam tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes & incumbentes* προσκαρτεροῦντες. Tribus distinctis vicibus apostolus repetit, quod magistratus sit Dei minister; in græco est non solum nomen διακόνου, sed etiam λειτουργὸς, quod significat eum, qui publicum aliquod officium administrat, ac notanter dicit, in eo ipso magistratum Deo servire, quando partes officii sui exsequitur, & vindex est in iram ei, qui male agit. Sap. VI. 5. ὑπηρέται ὄντες τῆς αὐτοῦ βασιλείας. Deo tribuit βασιλείαν, ipse est enim *rex regum & dominus dominantium*; 1. Tim. VI. 15. ipse est Dominus proprietarius & hæreditarius, Ps. LXXXII. 8. magistratibus duntaxat ὑπηρεσίαν adsignat,

2.) *Ab officii divini exsecutione.*

adsignat, quia Deo in administratione regni serviunt, & ad nutum ipsius regno abire coguntur. Lutherus: *Ihr seyd seines Reichs Amtleute.* Huc pertinent etiam illa dicta, in quibus magistratus dicuntur *dii*, quæ superius §. X. recensuimus; ideo enim sic dicuntur, quia divinum administrant officium, & Dei vicem in terris gerunt, sunt dii quidam terrestres. Nec incommode huc refertur, quod reges & principes dicuntur *οἱ δοκοῦντες ἄρχειν*, Marc. X. 42. quod non tam imperent, quam videantur imperare, cum solus Deus imperium perfecte obtineat, cujus vicarii duntaxat & ministri sunt reges mundani. Huic argumento adfine est illud: Qui propter officii eminentiam, dignitatem, utilitatem & necessitatem dicuntur *dii*, illorum officium est divinum, & a Deo institutum; quomodo enim Deus sui nominis communicatione illos dignaretur, quorum status & officium non esset ab ipso institutum? At magistratus propter officii sui eminentiam, dignitatem &c. dicuntur *dii*: Exod. XXII. 8. & 28. Ps. LXXXII. 6. Ergo &c.

3.) *A donorum ad officium necessariorum collatione.*

§. XL. III.) Quicunque omnia ad officii exsecutionem necessaria a Deo accipiunt, illorum officium & potestas est a Deo. Sed magistratus omnia ad exsecutionem officii sui necessaria a Deo accipit. Ergo magistratus officium & potestas est a Deo. *Major* est manifestæ veritatis; nisi enim officium ipsum esset a Deo, Deus non daret ea, quæ ad officii exsecutionem sunt necessaria. *Minor* per inductionem probari potest. 1.) Ad magistratum obeundum requiritur *sapientia*, ea vero a Deo datur magistratui: Num. XI. 16. cum Moses de difficultate regiminis conquereretur, Deus mandat, ut eligat *septuaginta viros* ex senioribus Israël, eosque constituat principes & præfectos, quibus promittit donationem Spiritus, qui erat *Spiritus consilii, sapientiæ & intellectus*, per quem idonei ad capessendum magistratus officium fuere reddili. Jud. III. 10. *Spiritus Domini erat in Athniele, & judicabat Israel.* 1. Sam. X. 6. cum Saul in regem Israëlis electus esset, *Spiritus Domini requiescit super eum, & convertitur in virum alterum.* 1. Sam. XVI. 13. cum David a Samuele in regem esset unctus, *directus est Spiritus Domini a die illa in David ac deinceps*, hoc est, consecutus est excellentia Spiritus sancti dona. Prov. XX. 12. *Aurem audientem & oculum videntem Dominus fecit utrumque*, hoc est, ut subditi obediant magistratui, & ut magistratus salutaria decernat, utrumque est Dei beneficium. 2.) Ad magistratum rite gerendum requiritur *auctoritas*, illa vero itidem est donum Dei: 1. Sam. X. 26. *Ibant cum Saule exercitus, quorum cor Deus tetigerat*, hoc est, quorum corda ad reverentiam & obedientiam Sauli præstandam inclinaverat, iisque præclaram de Saule existimationem instillaverat, Job. XII. 18. *Vinculum regum solvit, & ligavit cingulum in renibus eorum.* Illud cingulum regum est auctoritas, qua divinitus sunt circumdati, per quam etiam subditi ad obedientiam illis devinciuntur; sed propter peccata magistratus Deus illud cingulum & vinculum quandoque dissolvit, hoc est, ut Jobus ipse exponit v. 21. *Effundit despectionem super principes, & fortitudinem fortium debilitat.* 3.) Ad magistratum etiam requiritur *νομοθεσία*, salutarium legum constitutio, ea vero itidem absque divino numine locum habere nequit. *Per me*, inquit divina sapientia, Prov. VIII. 15. *consiliarii decernunt justum.* 4.) Ad magistratus officium requiritur, ut facinorosi puniantur & pro ratione delicti etiam capitali supplicio adficiantur. Jam vero Deus gladium tradidit magistratui, Gen. IX. 5. *De manu hominis, de manu viri fratris ejus*, dicit Dominus, *requiram animam hominis.* Neve quis existimet, Deum semper immediate id facturum, ideo v. 6. instituitur magistratus officium, per quem ordinarie fieri debeat supplicii exsecutio: *Qui effuderit sanguinem humanum, per hominem sanguis ejus effundetur, quia ad imaginem suam Deus fecit hominem.* Latina versio vulgata illud: *per hominem*, in quo est magna emphasis, plane

omittit, ac frustra Bellarminus nobis persuadere conatur, lib. II. de verbo Dei cap. 12. particulam illam: *per hominem*, nullius esse momenti, cum emphatice magistratus officium hic constituatur. Græca obscurius reddit: ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχεθήσεται. Pagninus, Arias Montanus & alii illud בָּאָדָם referunt ad subjectum, sive prius membrum sententiæ: *quicunque effuderit sanguinem hominis in homine*, sive per *hominem*; sed rectius refertur ad prædicatum, supra ponitur enim proxime præcedenti verbo דָּמָיו accentus *Zakephkathon*, qui incisum majus constituit, & in versu proxime præcedente impositus verbo אֶרֶץ distinctionem facit, ב igitur est nota instrumentalis causæ, per quam homicidæ sanguis iterum sit effundendus, videlicet per hominem, sive magistratum. Vnde Onkelos paraphraseos loco adjecit: *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, sive per testes, juxta sententiam judicum sanguis ejus fundetur.* Jonathan sic reddit: *Qui effuderit sanguinem hominis per testes, condemnabunt eum judices ad necem. Et qui effuderit absque testibus, Dominus mundi olim vindictam ab eo sumet in die judicii magni.* Christus hanc sententiam in nov. test. adlegans eam sic reddit: *Omnes, qui gladium acceperint, gladio peribunt*, Matth. XXVI. 52. ubi gladii nomen generaliter accipitur pro quibusvis suppliciis a magistratu, cui gladius a Deo datus est, irrogatis, quo sensu etiam apostolus inquit Rom. XIII. 6. *Non sine causa* (magistratus) *gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* 5.) Ad magistratus officium etiam requiritur, ut subditi census & tributa dent, atqui Christus quæsitus, an liceat censum dare cæsari, respondet verbis προσαπτικοῖς, *reddite, quæ cæsaris sunt, cæsari*: Matth. XXII. 21. Deus ipse per apostolum tributa magistratui dare mandat Rom. XIII. 7. 6.) Magistratus insuper est bello subditos defendere, & hostium injurias propulsare, jam vero peritiam belligerandi & victoriose pugnandi solus Deus largitur: Ps. CXVIII. 35. *Dominus docet manus meas ad bellum, & conteretur arcus aeneus brachiis meis.* v. 48. *Deus dat mihi vindictas.* Ps. XLIV. 4. de victoriis Israëlitarum dicitur: *Non in gladio possederunt terram, & brachium eorum non servavit eos, sed tua dextra & tuum brachium &c.* Ps. CXLIV. 1. *Dominus rupes mea, docens manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum.* v. 10. *Dans salutem regibus.* Et quid multis? Salomon in genere dicit Prov. XXI. 1. *Sicut rivi aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.*

§. XLI. IV.) Qui expressum mandatum magistratum constituendi, ejus ordinatio est magistratus. At Deus expressum dat mandatum constituendi magistratus. Ergo. Deut. XVI. 18. Moses Dei nomine & auctoritate præcipit Israëlitis: *Judices & praefectos dabis tibi in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi in tribubus tuis, & judicabunt populum judicio justitiae.* Exod. XVIII. 21. Jetro consilium dat genero suo Mosi, ut ex omni populo eligat *viros fortes, timentes Deum, veridicos, odio habentes avaritiam, eosque ponat tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos.* At hoc consilium non fuisse humanum, sed divinum, ex eo apparet, quod Deus ipse illud ratum ac gratum habet, & septuaginta ex senioribus in magistratum electos Spiritu suo implet. Samuel & alii prophetæ expressum a Deo mandatum acceperunt, certas personas ungendi in reges super Israël, ut exempla, quæ postea adducentur, manifestum facient. 4.) *A magistratus institutione.*

§. XLII. V.) Quo contemto ac spreto Deus ipse contemnitur & injuria adficitur, ille est a Deo constitutus & divinum gerit officium. Sed contemto ac spreto magistratu Deus ipse contemnitur & injuria adficitur. Ergo. 1. Sam. VIII. 7. cum Israëlitæ Samuelem divinitus sibi præpositum rejicerent, & formam regiminis a Deo ipso constitutam repudiarent, dicit Dominus: *Non te, sed me rejecerunt;* 5.) *Ab injuriae magistratui illatae vindicatione.*

osten-

ostenditur igitur, politiarum administrationem non tam magistratui, quam ipsi Deo tribuendam esse, & injurias magistratui illatas in ipsum Deum ordinis hujus auctorem redundare. Apostolus Rom. XIII. 2. generalem proponit regulam, *quisquis resistit, Dei ordinationi resistit.* Quemadmodum 1. Thess. IV. 8. de suo ac doctorum ecclesiæ ministerio dicit: *qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis;* nimirum quia ecclesiæ doctores sunt Dei ministri ac legati: ita quoque de magistratu recte dicitur: Qui magistratui resistit, Deo ipsi resistit, nimirum quia magistratus est *Dei minister*, ut apostolus αἰτιολογικῶς addit v. 4.

6.) *A partium officii determinatione.*

§. XLIII. VI.) In quocunque statu viventibus Deus certa præscribit ac determinat munia, ille utique est a Deo. Nisi enim talis status a Deo ordinatus esset; nec præscriberentur viventibus in illo certa munia & officia, nec personæ in eo viventes Deo placere possent. Atqui Deus in politica societate viventibus certa præscribit ac determinat munia. Ergo politica societas est a Deo institutа, ac consequenter etiam magistratus, absque quo politica societas consistere nequit. *Adsumtum* probatur: 1.) Ex omnibus dictis, quæ magistratum sui officii admonent: *Intelligite reges, & erudimini judices terrae*; inquit propheta regius Ps. II. 10. Non dicit, deponite imperandi ac judicandi majestatem, sed intelligite & servite Domino. Si magistratui non esset locus in Christi regno, Spiritus sanctus reges a regnandi & judicandi functione avocasset. 2.) Ex inductione partium; ad politicam societatem constituendam duo hominum genera necessario concurrunt, eorum scilicet, qui parent, & qui imperant. Justinus in qq. &c. resp. ad orthodox. q. 138. p. 376. *Sicut homo ex anima & corpore constituitur, ita regnum ex rege & eis, qui reguntur, coagmentatur.* Augustinus libr. XVIII. de civit. Dei cap. 2. *Factum est, ut non sine providentia Dei quidam essent regnis praediti, quidam regnantibus subditi.* Jam vero utrisque Deus sua præscribit munia & officia. Magistratui quidem, ut sit *nutritius ecclesiae, custos utriusque tabulae, pater patriae, & salutaris praeses & gubernator reipublicae in ordinando, judicando & vindicando*, leges scilicet salutares ferendo, judicia justa exercendo, præmia bonis & pœnas improbis distribuendo; subditis vero, ut magistratui exhibeant amorem & reverentiam, subjectionem & obedientiam, census & tributa, preces ac vota, de quibus magistratus ac subditorum officiis inferius suo loco plura dicentur.

7.) *A divina magistratus conservatione.*

§. XLIV. VII.) Quemcunque vitæ statum Deus sua benignitate ac potentia conservat, ille quoque est a Deo ordinatus, *conservatio* enim nihil aliud est, quam *essendi quaedam continuatio.* Esse & conservari eidem acceptum fertur auctori eidemque principio. Scaliger exerc. XXXI. & CCL. Atqui magistratum politicum Deus sua benignitate ac potentia conservat, ut monuimus superius, & adparet ex his scripturæ dictis: Ps. XXI. 1. *Domine, in fortitudine tua rex laetabitur*, hoc est, quia fortificasti ac stabilivisti meum regnum, ideo ex læto corde tibi gratias ago. Ps. XXX. 8. *Domine in voluntate tua,* בְּרְצוֹנְךָ, in beneplacito tuo, *stare fecisti in monte meo fortitudinem*, hoc est, stabilivisti ac roborasti meum regnum, ut monti firmiter stabilito ac fundato comparari possit. Dan. II. 20. *Domini est sapientia & fortitudo.* v. 21. *Ipse removet reges, ipse stare facit ac stabilit reges,* מַעֲבִיר מְלָכִים, ubi removere & stabilire sive conservare sibi invicem opponuntur, & utrumque respectu diversorum objectorum Deo tribuitur. Hagg. II. 23. dicit Dominus: *Ego subvertam solium regnorum, & disperdam fortitudinem regnorum gentium*; sed ad Zerubabel dicit v. 24. *ponam te sicut signaculum*, hoc est, stabiliam tuum principatum. Diabolus, Dei & humani generis hostis ἀντιθεος, odio divinæ ordinationis & salutis, quæ per eam generi humano confertur, quotidie excitat confusiones & turbas,

bas, ac natura humana propter corruptionem originalem est infirma ad ἀταξίαν & ἀκαταστασίαν propendens, legum contra ac disciplinæ vincula aversans; divinæ ergo bonitati & potentiæ acceptum ferendum, quod in tanta naturæ humanæ infirmitate inque tantis diaboli furoribus honestæ politiæ conservantur. Huc pertinet, quod Deus judicium suum exercet adversus turbatores ac seditiosos, qui eversum cupiunt hunc ordinem divinitus institutum. Prov. XXIV. 21. *Time Dominum & regem, & cum seditiosis ne misceas te.* v. 22. *Quoniam repente consurget exitium eorum.* Matth. XXVI. 52. *Qui gladium acceperit, &c.*

8.) *A naturae coordinatione.*

§. XLV. VIII.) Quicunque status juri naturæ congruit, ille etiam est juris divini, & per consequens a Deo ordinatus. Magistratus officium ac status congruit juri naturæ. Ergo. *Adsumtum* probatur: Cum tota rerum universitate, sive natura universali ita comparatum est, ut habeat rectorem & gubernatorem Deum optimum maximum, absque cujus directione si esset, ne quidem ad momentum persistere posset. Particularis etiam natura ostendit, in omni cœtu ac societate necessarium esse, ut aliquis sit rector ac ductor, qui reliquis præsit, eosque regat. Sic inter apes & grues unus tanquam rex & ductor reliquis eminet, qui ductatum illis præstat. In omnibus mundi partibus imperandi & parendi diversitatem deprehendere licet, ut ostendit Cæsus lib. I. politic. c. 5. ac Cicero inquit lib. II. de nat. deorum: *Omnem naturam, quae non est simplex, sed cum alio connexa, necesse est habere aliquem in se principatum.* Juri ergo naturæ congruum est, ut inter homines etiam sit talis ordo. Præterea saniores ethnici ex naturæ lumine agnoverunt, hominem esse ζῶν πολιτικὸν τῇ φύσει, Aristoteles lib. I. politic. cap. 2. jam vero ubi societas est, ibi quoque oportet esse aliquem ordinem ac regimen, proinde si homo per naturam ad societatem conditus est, utique etiam regimen naturæ juri congruit. Insuper natura humana instructa est notitiis practicis & discrimine honestorum ac turpium, quæ sunt divinæ imaginis, ad quam homo conditus est, ἐφέστια, rudera ac vestigia, ut quemadmodum in anima superiores vires imperant inferioribus, ita qui in genere humano aliis sapientia & auctoritate præstant, aliis præsint eosque regant, quo sensu ac respectu philosophus dixit, servitutem esse a natura.

III.) *Probatis exemplis.*

§. XLVI. *Tertiam* argumentorum nostrorum classem constituimus ex probatis exemplis, quæ itidem testantur, magistratus divinitus constitui. Sic videmus Siracidem c. XLIV. 3. inter viros sanctos & glorioses referre eos, *qui dominati sunt in potestatibus suis & imperarunt in populo.* Age vero rem paulo altius arcessamus. Specimen ac præludium aliquod politici magistratus propositum fuit tum in dominio, quod Deus primo homini concessit in cuncta terræ animantia, tum in potestate patria, quam ante diluvium pii patriarchæ in suis familiis exercuerunt. Molinæus lib. contra abusus papar. p. 128. demonstrare conatur, *patriarchas* & *judices* ante regum electionem potestate regia usos fuisse, alias enim nec bella gerere, nec in facinorosos gladio animadvertere potuissent, quorum tamen prius ab Abrahamo, posterius a Mose factum fuisse constat. Statim namque post diluvium usus *gladii* contra homicidas & facinorosos homini traditur; Gen. IX. 6. unde procul dubio ex illo tempore patres familiarum cum potestate patria etiam politicam gubernationem exercuerunt. Gen. XIV. 14. & seqq. Abraham expeditionem suscipit contra reges, a quibus Lothus, ipsius ex fratre nepos, injuria adfectus erat, gessit ergo divina auctoritate & mandato non œconomicum solum, sed etiam politicum officium, cujus ratione arripit arma non πολιορκητικὰ ad vim inferendam, sed ἀμυντήρια, ad injuriam propulsandam & quia dicitur armasse חֲנִיכָיו *initiatos domus suae*, ex eo intelligitur, quod vernas suos in re militari informaverit, testatur etiam eventus & bene-

benedictio Melchisedeci, bellum illud divinis auspiciis fuisse gestum. Josephum divina providentia constitutum fuisse totius Ægypti dominum ac præfectum Gen. XLI. 43. XLII. 6. testatur ipsemet, quando c. XLV. 8. ad fratres suos dicit: *Non vos me misistis huc, sed Deus, & posuit me in patrem Pharao & in dominum domui ejus, & dominatorem in omni terra Aegypti*; v. 9. referre jubet ad patrem, quod Deus ipsum posuerit *in dominum omni Aegypto.* Moses divina voluntate constituitur gubernator populi Israelitici, quem ex Ægypto auspiciis felicissimis educit, ac leges & statuta illi præscribit. Post mortem Mosis Josua constituitur dux populi, *quemadmodum fui cum Mose*, dicit ad eum Dominus Jos. I. 5. *ita ero tecum*; idem etiam mandato Dei prælia gerit contra hostes Israëlitici populi, quocunque abit victoriam habens comitem. Mortuo Josua Israëlitæ quærunt Dominum: *Quis adscendit nobis ad Cananaeum in principio ad pugnandum eum eo?* Jud. I. 1. quibus Dominus respondet v. 2. *Juda adscendet*; hic ergo Josuæ successor & princeps Israëlitici populi divinitus constituitur. Postea excitavit Dominus *judices*, qui eos salvarunt ex manibus inimicorum, Jud. II. 16. III. 9. IV. 4. & judicarunt eos temporibus suis. Progressu temporis mutata est reipublicæ forma, ac Israëlitis ita volentibus Deus dat regem Saulem, de quo Samuel dicit: 1. Sam. X. 24. *Num vidistis, quem elegerit Dominus?* & Deus ipse apud Oseam c. XIII. 11. *Dedi tibi regem in furore meo.* Sauli successit David, quem expresso Dei mandato Samuel ungit in regem, 1. Sam. XVI. 12. quam benignitatem ipse in psalmis prædicat: Ps. XXI. 4. *Praevenies eum* (regem) *benedictionibus bonitatis, ponens capiti ejus coronam auream.* 2. Sam. VI. 21. *Dominus praecepit mihi, ut essem dux super populum Domini in Israël.* 1. Paral. XXVIII. 4. *Elegit me Dominus Deus Israël de universa domo patris mei, ut essem rex super Israël.* Huc referenda exempla Salomonis, Josiæ, Josaphati & aliorum, de quibus expresse commemorat scriptura, quod Dei voluntate, consilio & arbitrio in solium regale sint collocati. De Salomone dicitur 1. Paral. XXIX. 23. *quod Deus ipsum elegerit, ut sedeat in throno regio*; & generaliter dicitur Ps. CXIII. 7. *Deus de stercore erigit pauperem*, v. 8. *ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Cyrus rex Persarum in publico edicto scribit 2. Paral. XXXVI. *Omnia regna terrae dedit mihi Dominus, Deus cæli.* Conjunge Dan. V. 18. &c. Ex quibus omnibus sic concludimus: In quemcunque statum Deus ipse homines evehit, ille utique est a Deo constitutus; sed in statum magistratus Deus ipse homines quosdam evehit. Ergo magistratus officium ac status est a Deo ipso constitutus.

§. XLVII. Ex piis veteribus multa huc adduci possent. Irenæus lib. V. adv. hær. cap. 20. p. 346. *Quoniam abscisens a Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum sibi hostem putaret, & in omni inquietudine & homicidio & avaritia sine timore versaretur, imposuit illi Deus humanum timorem; non enim cognoscebant timorem Domini, ut potestati hominum subjecti & legi earum adstricti aliquid adsequantur justitiae & moderentur ad invicem manifesto posito gladium timentes.* Et postea p. 347. *Ad utilitatem ergo gentium terrenum positum est regnum a Deo, sed non a diabolo, qui nunquam omnino quietus est, imo qui nec ipsas quidem leges vult in tranquillo agere, ut timentes regnum humanum non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam &c. Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur, apti iis, qui in illo tempore ab ipsis regnantur.* Tertullianus in apol. cap. 30. p. 59. *Inde est imperator, unde est & homo, antequam imperator, inde potestas illi, unde & Spiritus.* Et paulo ante: *Sciunt,* (imperatores) *quis illis dederit imperium, sciunt qua homines, quis & animam: Sentiunt Deum esse solum, cujus solius in potestate sunt.* Cap. 33. p. 61. *Maxime necesse est, ut suspiciamus imperatorem, ut eum, quem Dominus noster elegit, ut merito dixerim: noster est magis*

gis caesar, ut a nostro Deo constitutus. Eusebius lib. IX. præparat. evang. cap. 1. fol. 238. adlegat dictum Essæorum, ὑ δίκα θεῦ περιγίνεσθαί τινι τὸ ἄρχειν. Chrysostomus homil. XXIII. in epist. Rom. XIII. f. 258. sic adnotat: τὸ ἀρχὰς εἶναι καὶ τὰς μὲν ἄρχειν, τὰς δὲ ἄρχεσθαι, καὶ μηδὲ ἁπλῶς μηδὲ ἀνέδην ἅπαντα φέρεσθαι, ὥσπερ κυμάτων, τῇ δὲ κἀκεῖσε τῶν δήμων περιαγομένων τῆς τῦ θεῦ σοφίας ἔργον εἶναι φησὶ. *Quod magistratus sunt, quod hi quidem imperant, isti vero parent, quod non simpliciter ac temere cuncta feruntur, nec populi fluctuum instar huc atque illuc circumaguntur, divinae sapientiae opus esse dico.* Ambrosius in comm. Rom. XIII. tom. V. p. 232. *Vt jus & timorem legis naturalis* (Apostolus) *confirmet, Deum auctorem ejus testatur, & ministrantes eam Dei ordinationem habere.* Et postea: *Principes hos reges dicit, qui propter corrigendam vitam & prohibenda adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno sint caeteri.* Epiphanius lib. I. tom. III. hæres. 40. contra Archont. p. 131. ἐξουσία κοσμικὴ ἐκ θεῦ τέτακται καὶ μαχαίρας ἔλαβε τὴν ἐξουσίαν, ἐκ ἀλλαχόθεν δὲ πόθεν, ἀλλ' ἐκ θεῦ εἰς ἐκδίκησιν, ἵνα εἰς ἔυτακτον σύνταξιν τῆς τῦ παντὸς κόσμυ διοικήσεως τὰ πάντα ἐκ θεῦ καλῶς καταταχθῇ καὶ οἰκονομηθῇ. *Potestas mundana est ex Deo ordinata, quae gladii potestatem accepit non aliunde, sed ex Deo ad ultionem, ut ad bonum ordinem gubernationis universi mundi omnia ex Deo bene disponantur ac administrentur.* Hieronymus in enarr. Rom. XIII. tom. VIII. p. 185. *Constituitur potestas a Deo, ut juste judicet, & ut peccatores habeant, quod timeant.* Augustinus lib. XVIII. de civit. Dei cap. 2. *Factum est, ut non sine providentia Dei, in cujus potestate est, ut quisque bello aut subjugetur, aut subjugat, quidam essent regnis praediti, quidam regnantibus subditi.* Theodoretus orat. VII. de provid. *Deus velut pharmacum quoddam mali expulsivum iniquitatis ulceribus imposuit magistratus administrationem.*

Antithesis & argumenta 1.) Anabaptistarum.

§. XLVIII. Discedunt ab hac ὀρθοδοξίᾳ 1.) Anabaptistæ, qui negant magistratus officium esse Dei ordinationem. (*) Quod si expressis

(*) Quæ de *Anabaptistis* heic pronunciat GERHARDVS, de antiquioribus, maxime *Munzerianis*, nimirum ac *Monasterienſibus*, qui seculo XV. caput extulerunt, sunt intelligenda. Hi quippe, sublata prorsus magistratus politici auctoritate, novam rempublicam ineptis opinionibus & commentis suis consentaneam creare adgressi sunt, magnasque seculo XV. in republica christiana turbas excitarunt, prout ex historiarum monumentis abunde constat. Atque horum erroribus, iisque longe gravissimis, cumprimis opposita sunt ea, quæ in *formula concordiae art. XII.* hanc in rem leguntur. Aliter tamen pronunciandum de iis *Anabaptistis*, qui auctore MENNONE SIMONIS saniorem induerunt animum, atque *Mennonitarum* nomine alias insigniri solent. Hi enim, maxime ii, qui recentiori ævo floruerunt, facta veterum Anabaptistarum, speciatim *Monasterienſium*, serio improbarunt, seque de magistratus auctoritate haud quidquam docere, quod saluti publicæ noxium scripturisque divinioribus adversum sit, tum confessionibus & scriptis, tum factis suis moribusque, luculenter comprobarunt. Certe inde ab eo tempore, quo partim in Belgio, partim vero aliis in locis fortunarum suarum sedes fixerunt, tranquillitatem nunquam non sectati sunt, vitamque suam ad leges a magistratu politico præscriptas componere suarum duxerunt esse partium. Quod vero ad eorum scripta attinet, in confessionibus suis, speciatim ea, quam nobis exhibet HERMANNVS SCHYN in *historia Mennonitarum cap. VII.* suam de divina magistratus origine sententiam hisce declararunt verbis: *potestas, sive magistratus politicus, necessaria Dei ordinatio est, instituta ad gubernationem communis societatis humanae, & conservationem vitae naturalis & civiliter bonae, ad defensionem bonorum, & castigationem malorum. Agnoscimus, verbo Dei nos obligante, officii nostri esse, potestatem revereri, eique honorem & obedientiam exhibere omnibus in rebus, quae verbo domini non sunt contraria.* Nec possumus, quin hac ipsa occasione mentionem quoque faciamus recentioris cujusdam Anabaptistæ, cui nomen est: ANGELVS ARNOLDVS A DOOREGEEST, qui *epistolam* ad FRID. SPANHEMIVM scripsit, typis impressam, quæ ex sermone belgico in germanicum translata, inscribitur: *Sendschreiben an den Herrn Friderich Spanhemium, worinnen die Lehre der sogenannten Tauffgesinnten was naher an Tage gegeben und vertheidiget, auch von vielen*

preſſis ſcripturæ teſtimoniis convicti id ipſum coguntur concedere, reſpondent, *magiſtratum ea ratione eſſe ordinationem & miniſtrum Dei, ſicut Nabuchodonoſor fuit miniſter Dei in puniendis Iſraëlitis, in evertenda Tyro*, Jerem. XXV. 9. XXVII. 6. *& ſicut Attila flagellum Dei ſeſe nominabat, vel ſicut carnifex dicitur miniſter judicis*, Matth. V. 25. XVIII. 34. *ac diabolus eſt miniſter Dei, quando exſequitur ejus iram.* 1. Reg. XXII. 22. &c. *Quemadmodum enim angeli alii ſunt mali, alii vero boni, ita quoque alios Dei miniſtros dicunt eſſe bonos, alios vero malos.* Argumenta, quibus demonſtrare conantur, magiſtratum non eſſe bonam ac ſanctam Dei ordinationem, potiora hæc ſunt. *Prima* claſſis petita eſt ex ſcripturæ dictis: 1.) *Primus in terris monarcha fuit Nimrodus, de quo expreſſe dicitur, quod cæperit eſſe potens in terra, & quod principium regni ejus fuerit Babel.* Gen. X. 10. 1. Paral. I. 10. *atqui is fuit rebellis & ſeditioſus, Deo minime placens, quod arguit ipſum nomen deductum a* מָרַד *rebellare, deficere, unde dicitur* fortis venator coram Domino, *quia ut venatores ſolent feras capere, ſic ipſe homines oppreſſit*, ex quo tale formant argumentum: Quidquid a violenta & injuſta hominum oppreſſione originem trahit, ac malo nititur principio, illud non poteſt eſſe a Deo conſtitutum. Sed imperium monarchicum a violenta & injuſta hominum oppreſſione originem trahit, ac malo nititur principio, ut ex Nimrodi hiſtoria conſtat. Ergo &c. *Reſp.* 1.) Quidam de ferarum duntaxat venatione Moſen loqui exiſtimant, ſed contrarium oſtendimus ſuperius §. XXI. 2.) Quidam Nimrodi impe-

Nimrod cœpit eſſe potens.

1.) *Ex ſcripturis.*

1.) *Gen.* X. 10.

vielen ſchweren Beſchuldigungen geſæubert wird, anno MDCXCIV. 8. In hac enim epiſtola, iterum iterumque litteris deſcripta, prout ex titulo jam patet, id egit auctor, ut monſtraret, SPANHEMIVM in *elencho controverſiarum* dogmata Mennonitarum minus recte recenſuiſſe, interque alia perperam objeciſſe Mennonitis, quod nullos magiſtratus ferre atque ipſi populo præeſſe vellent. Reſpondit eidem inter alia: *ein jeglicher kan von ſich ſelbs aus unſerm Bekenntniß genugſam wiſſen, daß es nach unſerer Lehre GOtt iſt, der Kœnige und Regenten ab- und einſetzet; Daß weil GOtt ihnen das Obergericht anvertrauet, uns nichts anders als die Ehre des Gehorſams kan übrig bleiben. Daß man GOtt umb Obrigkeiten bitten, und wenn man ſie erlanget hat, dafür danken, und wie dieſelbe auch ſeyn mag, vertragen muß, weil die frommen Prinzen zu einem Seegen, aber die böſen zu einer Straffe über die Sünden ſeyn, und daß man denſelbigen auch ohne Widerſtand darum meß ſeyn.* Nemo non videt, hanc confeſſionem divinam magiſtratus originem diſertis verbis declarare, prorſusque egregiam eſſe. Plura ejusmodi loca in libello modo excitato paſſim occurrunt, quæ recenſuit b. BVDDEVS in *commentatione de concordia religionis chriſtianae ſtatusque civilis cap. VI. §. III. p. 218. ſeqq.* His prorſus ſunt conſentanea, quæ in Anabaptiſtarum confeſſione ab HERMANN. SCHYN in *hiſtoria Mennonitarum cap. VII. art. XXXVII. p. 214.* exhibita hanc in rem leguntur, atque ita habent: *poteſtas, ſive magiſtratus politicus, neceſſaria Dei ordinatio eſt, inſtituta ad gubernationem communis ſocietatis humanae, & conſervationem vitae naturalis & civiliter bonae, ad defenſionem bonorum & caſtigationem malorum. Agnoſcimus, verbo Dei nos obligante, officii noſtri eſſe, poteſtatem revereri, eique honorem & obedientiam exhibere omnibus in rebus, quae verbo Dei non ſunt contraria.* Dubitant tamen nonnulli, an genuina hæc ſit Anabaptiſtarum ſententia, quod magiſtratus ſit inſtitutum divinum, an vero hancce doctrinam duntaxat ſimulent? Quum enim non tantum vetuſtiores, ſed & recentiores Anabaptiſtæ communi conſenſu doceant, *hominem chriſtianum officio magiſtratus, ſalva & illaeſa conſcientia fungi non poſſe*, exinde recte colligi poſſe videtur Anabaptiſtas vere & ex animi ſententia haud credere, magiſtratum eſſe ordinem bonum ac ſalutarem ab ipſo Deo inſtitutum. Quidquid enim Deus conſtituit, id in ſe ſpectatum præceptis chriſtianiſmi adverſari neutiquam poteſt. Alii tamen ſententiam Anabaptiſtarum ita exponunt, ut ajant, eos non tam de eo loqui, quod eſt illicitum, quam potius de eo, quod bonum eſt ac ſalutare, prorſusque exiſtimare, conſultius eſſe, ut chriſtiani ab hocce munere abſtineant, quoniam tot pericula idem comitentur, omnesque magiſtratuum functiones ſectatoribus ſuis interdixerit Chriſtus, *Matth. XX.* 25, 26, 27. *Luc. XXII.* 25, 26. Vid. quæ hanc in rem diſſeruit ZELTNERVS in *breviario controv. cum enthuſ. & fanat. p.* 424. *ſeqq.*

imperium laudari existimant, cum addatur, quod fuerit fortis venator *coram Domino*, sive in conspectu Domini, hoc est, quod Dei jussu ac mandato instituerit certam politiæ formam, præscripserit honestas leges, & in officio continuerit homines ad tuendam rempublicam & ecclesiam, adeoque ad Dei gloriam; sed contrarium suadent ipsum Nimrodi nomen, ejusdemque periphrasis, quod fuerit *fortis* venator, quæ adpellatio solet tribui oppressoribus & persecutoribus: Jerem. XVI. 16. Thren. III. 5. Ezech. XXXII 20. expositiones targumicæ superius adductæ: item, quod turres ac munitiones ædificat, ac cum *principium regni ejus* dicatur fuisse Babel, procul dubio turris Babylonicæ exstruendæ fuit auctor, accedit, quod fuerit ex impia & maledicta Chami familia, unde omnes Hebræi, uno Aben-Ezra excepto, Nimrodum habent pro tyranno. Phrasin, *coram Domino*, exposuimus superius. 3.) Quidam negant, Nimrodum fuisse primum monarcham. Tolosanus lib. XIX. de republ. cap. 1. sect. 2, *Adamum* putat primum fuisse a Deo constitutum magistratum, tum quia ad imaginem Dei conditus fuit, cujus pars, vel certe consequens est dominium, tum quia jubetur *praeesse* piscibus maris, volatilibus cœli, adeoque universis animantibus, quæ moventur super terram, Gen. I. 28. Sed distinguendum inter dominium in *creaturas irrationales* & imperium in *hominem*; illud hujus præludium & specimen fuisse concedimus, alterum tamen ab altero est & manet distinctum: distinguendum etiam inter potestatem *patriam*, sive *œconomicam*, quam Adamus in sua familia exercuit, & *politicam*, quæ in republica locum habet. 4.) Quidam Cainum dicunt fuisse primum monarcham, cum *civitatem exstruxisse* dicatur Gen. IV. 17. sed distinguendum inter dominatum politicum *in genere*, ac regnum aliquod monarchicum *in specie*. Ab exstructione enim civitatis alicujus monarchicum regnum inferri nequit, cum ad illud plures omnino civitates requirantur, quæ tunc temporis nondum exstitere. Quod si omnino concedendum fuerit, Cainum regia & monarchica potestate in civitate a se exstructa fuisse armatum, prout censet Augustinus libr. XV. de civit. Dei cap. 20. „Eadem civitas, (inquiens) quam Cain in nomine Enoch filii sui condidit, longe lateque „regnare potuit, & reges habere non simul „plures, sed suis ætatibus singulos, quos genuissent sibi successuros, quicunque regnassent, horum regum primus esse potuit ipse „Cain, secundus filius ejus Enoch &c.„ Distinguendum tamen fuerit inter *latiorem* & *strictiorem* monarchiæ significationem. *Priore* modo accipitur pro qualibet reipublicæ administratione, cui unus aliquis cum imperio præest: *posteriore* modo pro uno ex quatuor illis summis in scriptura numeratis imperiis; Nimrodus fuit primus monarcha sensu posteriore, quia Babylonica monarchia in ipso originem habuit. 5.) Neque tamen ex eo inferri potest, *omnia imperia primum vi coaluisse*, quod vult Bodinus lib. I. de republ. cap. 6. multo minus, ea a Deo non esse constituta, ac proinde tollenda & abolenda, quod volunt anabaptistæ. Nam *primo* ante Nimrodum potestas politica *gladii* nomine significata, a Deo fuit instituta Gen. IX. 6. distinguendum igitur inter potestatem, & abusum potestatis. Tyrannis non est ipsa potestas politica, sed abusus potestatis; in Nimrodo tyrannis initium habuit, non autem ipsa potestas, ea enim ex divina institutione orta. *Deinde* a particulari non potest colligi universale. Etsi enim Babylonicum imperium a violenta oppressione cœperit; ex eo tamen nequit inferri, quod omnia imperia vi cœperint, siquidem & ante & post Nimrodum potestas politica ab aliis etiam fuit administrata, qui vel immediata divina vocatione, vel populi electione eam primitus obtinuerunt. Herodotus lib. I. hist. „Reges primum a populis elecți sunt, & quidem ii, qui opinione & lau„de tum prudentiæ, tum justitiæ præstarent „cæteris. Cicero lib. II. offic. Mihi quidem „non apud Medos solum, ut ait Herodotus, „sed & majores nostros justitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti. „Cum premeretur initio multitudo ab iis, qui „majo-

„majores opes habebant, ad unum aliquem „confugiebant, virtute præstantem, qui cum „prohiberet ab injuria tenuiores, æquitate „constituenda summos cum infimis pari jure „retinebat. Justinus lib. I. hist. Principio re„rum, gentium, nationumque imperium pe„nes reges erat, quos ad hujus majestatis fa„stigium non ambitio popularis, sed spectata in„ter bonos moderatio provehebat. Polybius „libr. VI. hist. Illi in reges primum electi „consensu populi, qui in alios fuerant bene„fici, velut qui eos ab incursu ferarum, vel ab „injuria aliorum hominum defendere vi cor„poris, aut prudentia animi solebant ac pote„rant. „ 6.) Præterea si vel maxime demus, Nimrodum fuisse omnium primum, qui dominatum politicum exercuerit; non tamen sequitur, magistratum non esse a Deo, propterea quod Nimrodus violenta hominum oppressione eum primitus occupaverit; distinguendum enim inter rem ipsam & modum, quo quis rem consequitur. Res ipsa sæpius est a Deo, licet modus, quo quis eam consequitur, non sit a Deo, nec Deo probetur. Sic divitiæ sunt & manent donum Dei, licet modus, quo avari eas sibi comparant, non sit a Deo; distinctiones dominiorum sunt a Deo, licet modus, quo multi sua dominia extendunt, Deo non probetur. Ministerium ecclesiasticum est sancta Dei ordinatio, licet modus sæpe sit vitiosus, quo aliqui sese illi ingerunt. 7.) Denique multo minus sequitur, imperia omnia esse abolenda & tollenda. Non enim omnia, quæ ex malo principio orta, sunt tollenda, si ipsa sint per se bona ac utilia. Ex malis moribus bonæ leges sunt ortæ, nec tamen bonæ leges propterea sunt abolendæ. Regii status in populo Israëlitico principium fuit malum, populi scilicet fastidium & κακοζηλία, nec tamen vel reges, vel statum regium postea abolere licuit. Multa matrimonia ex principio pessimo oriuntur, nec tamen eadem consummata licet rescindere.

§. XLIX. II.) 1. Sam. VIII. 7. *cum populus Israëliticus regem sibi dari peteret, iram Domini in se provocasse, atque ipsius Dei imperium sprevisse dicitur*: Non te rejecerunt, sed me, *dicit Dominus ad Samuelem*, ne regnem super eos; *quo pertinet etiam dictum propheticum* Oseæ c. XIII. 11. Dedi illis regem in furore meo. *Ergo magistratus politicus non est a Deo, nec Deo placet.* Resp. 1.) Est elenchus a dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter*. Non improbavit Dominus absolute & simpliciter, quod populus Israëliticus magistratum haberet, vel peteret, cum aliquot jam seculis magistratus officio judices a Deo excitati & constituti in illo populo fuerint functi: sed quod formam regiminis a Deo institutam proprio arbitrio mutaret, & ad imitationem gentilium regem aliquem monarcham sibi constitui, importune postularet. Seu, ut loquitur Sulpitius in hist. sacr. lib. I. *quod non sine exemplo amentiae praeoptaret, libertatem servitio regio mutare.* 2.) Subest etiam elenchus *causae & accidentis*. Non improbatur Deo *per se* postulatio regis, multo minus status & officium regum: cum Gen. XVII. 6. benedictionis loco Abrahæ promittat, fore, *ut reges ex ipso nascerentur*, cumque multi pii reges in populo Israëlitico Deo placuerint; sed *ex accidenti*, quia procedebat ex principio pessimo, & conjuncta erat cum pessimis accidentibus, qualia sunt κακοζηλία gentilium: *Constitue nobis regem*, (inquiunt) v. 5. *ut judicet nos, sicut & universae habent nationes.* & postea v. 20. *Erimus nos sicut omnes gentes, & judicabit nos rex noster*; fastidium & contemtus divinæ ordinationis: mutant enim privato arbitrio & libidine formam regiminis a Deo institutam, qua jam inde a Mose usque ad Samuelem usi fuerant, dum judices ex alia atque alia tribu extraordinaria plerumque Dei vocatione gubernationi præficiebantur; temeraria audacia in nova regiminis forma præscribenda; abjectio fidei & spei, qua ex Deo pendere & a sola ipsius voluntate judices expetere debebant. *Judicabit nos rex noster*, (inquiunt) *& egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra*; ex quibus verbis adparet, quod noluerint in speranda victoria

2.) 1. *Sam. VIII. 7. Non te rejecerunt, sed me.*

ctoria per judices fide a Deo pendere, sed regia potentia freti inposterum bella gerere; hæc scilicet erant, quæ Deo minime probabantur, nequaquam vero ipsa per se magistratus petitio. 3.) Invertimus argumentum: Quia Israëlitæ repudiando Samuelis & filiorum ejus imperium non Samuelem, sed ipsum Deum rejecisse dicuntur, utique ergo magistratus politicus est sancta Dei ordinatio, *cui qui resistit, Deo ipsi resistit*, & politiarum gubernatio non tam magistratui, quam ipsi Deo, cujus vicarias partes magistratus obit, est adscribenda. 4.) Deus ipse non solum permittit, sed etiam diserte mandat Samueli, ut Saulem ungat in regem Israëlitici populi, 1. Sam. VIII. 22. IX. 17. X. 1. & 24. atque illi dicuntur cum Saule abiisse, quorum *corda Deus tetigerat*, qui vero despexerunt eum, dicuntur *filii belial;* 1. Sam. X. 26. & 27. utique ergo Saulis imperium Deum auctorem habuit. 5.) Quid quod Deus diserte dicit 1. Sam. IX. 16. se ideo Saulem eligere in regem, *quia respexerit populum suum*, ex quo intelligitur, quod impiis quidem in isto populo, qui pravis adfectibus ducti regem postulabant, in furore suo regem dederit; interim piis, qui parati erant ad obedientiam, & negotium illud Deo unice commendabant, ex gratia dedit regem, qui eos contra Philistæos defenderet, & bella Domini gereret, ut Wellerus in comm. monet.

3.) *Oseae VIII. 4. Ipsi regnaverunt, & non ex me.*

§. L. III.) Oseæ VIII. 4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me; principes exstiterunt, & non cognovi eos. Ergo magistratus non est a Deo.* Resp. 1.) Repetenda est distinctio superius tradita inter rem ipsam, & modum rem consequendi. Res ipsa sæpius est a Deo, ac Deo probatur, licet modus eam adipiscendi non sit ex Deo, nec ipsi probetur. Sic hypocritæ accipiunt verum baptismum, licet hypocrisis, per quam illum obtinent, Deo non placeat; indigni veram accipiunt eucharistiam, quamvis indigna manducatio & bibitio Deo non solum non placeat, sed & maxime improbetur. 2.) Quemadmodum non licet inferre: quidam ministri ecclesiæ modis illicitis ministerium invadunt & occupant, non vocati nec missi a Deo; Jer. XXIII. 21. ergo ipsum ministerium ecclesiasticum non est a Deo; ita quoque non licet colligere: multi ex ambitione per vim, vel fraudes occupant principatuum administrationem non missi, vel ordinati a Deo; ergo ipse principatus ac magistratus non est Deo ordinatio. 3.) Verba in textu hebræo sic habent, הֵם הִמְלִיכוּ *ipsi regnare fecerunt, & non ex me:* הֵשִׂירוּ, *principem constituerunt, & non cognovi, vel adprobavi*, ita enim verba notitiæ apud Hebræos accipiuntur. Taxat propheta populi diffidentiam, quod ex præpostero periculorum metu reges gentilium in tutores & patronos eligat, Deo non consulto, an ipsi hoc placeat? modo enim Assyriorum, modo Ægyptiorum opem & auxilium implorabant, prætermissa vera & seria pœnitentia, per quam Dei gratiam & præsidium obtinere potuissent; qua vero specie ex eo inferri potest, quod magistratus non sit Dei ordinatio?

4.) *Joh. XII. 31. Diabolus est princeps hujus mundi.*

§. LI. IV.) *Diabolus vocatur princeps hujus mundi*, Joh. XII. 31. XVI. 11. *ac testatur, regna mundi suae potestati subjecta, seque ea dare, quibus voluerit*; Matth. IV. 8. Luc. IV. 6. *ergo magistratus & potestates non sunt a Deo.* Resp. 1.) Diabolus dicitur mundi princeps, non quod principatus hujus mundi suo dispenset arbitrio, contrarium enim superius ostendimus; sed quod impiorum, qui *mundi* voce denotantur, voluntates potenter regat & impellat ad malum. Eph. II. 2. Ενεργεῖ, *efficaciter operatur, in filiis incredulitatis*, quo sensu etiam ὁ θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ vocatur 2. Cor. IV. 4. ubi non absolute, sed *mundi*, hoc est, impiorum & infidelium *Deus* dicitur, nimirum quia infideles ipsi obtemperant, serviunt & obsequuntur, interprete Augustino lib. XXI. contra Faustum cap. 9. & Cyrillo apud Oecumenium in comm. illius loci. Glossa in Apoc. XI. sic distinguit: *Est mun-*

mundus, cujus Deus est creator, est mundus, cujus Deus est redemtor, est mundus, cujus Satan est seductor. 2.) Quando diabolus impudenter gloriatur sibi regnorum terrenorum distributionem competere, tunc ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, & splendide mentitur; Joh. VIII. 44. unde etiam Christus ipsum increpat & abire jubet Matth. IV. 10. Irenæus lib. V. cap. 20. p. 347. *Manifestum est, quoniam mentitur diabolus dicens*: mihi tradita sunt, & cui volo, do ea. *Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur.* 3.) Sic ergo procedimus: Solus Deus est hujus mundi & omnium in mundo regnorum dominus ὄντως ac vere, ratione *creationis, conservationis, gubernationis, distributionis & haereditariae possessionis*; diabolus autem vocatur *princeps mundi & Deus seculi*, tum respectu sui, tum respectu hominum. Respectu sui dupliciter: primo ratione *falsae gloriationis*, secundo ratione *injustae usurpationis*. Gloriatur enim, se esse regnorum omnium dominum, & subjicit sibi maximam hominum partem, qui cupiditatibus ipsius promte inserviunt, hoc vero non est regnum *naturae*, sed *malitiae*, inquit Cyprianus in serm. de jejun. & tentat. Neque enim sic vocatur diabolus, quod ipse sit hujus mundi dominus, *sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne, quod transit, ut ei subjaceant, qui negligunt aeternum Deum & diligunt instabilia & mutabilia.* Augustinus lib. de agone Christ. *Non tribuitur illi hoc nomen*, inquit Gregorius Nazianzenus orat. III. de rect. doct. sent. *quod totum in mundum & universos homines imperium obtineat, sed quod peccati sit auctor & princeps eorum, qui sub peccato quasi rege sponte degunt.* Respectu hominum tum ratione *perversae opinionis*, tum ratione *vitiosae & inordinatae subjectionis*. Quem enim mundus pro Deo colit, eique servit, is respectu illo relativo est mundi dominus & princeps, quo sensu etiam *venter* pseudodoctorum Phil. III. 19. & *aurum* avarorum Deus dicitur Jobi XXXI. 24.

§. LII. V.) *Petrus magistratum vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν, humanam creaturam, sive ordinationem*; 1. epist. II. 13. *ergo magistratus non est a Deo constitutus.* 5.) 1. Pet. II. 13. Magistratus est humana κτίσις.

Resp. vocatur humana ordinatio non respectu primæ originis & principalis causæ efficientis: sed 1.) respectu *causae instrumentalis*, quia per homines sæpius constituitur magistratus. Oecumenius in comm. humanam κτίσιν exponit per θέσιν, quod *constitutus & positus sit magistratus ab hominibus*, Deo tamen sic jubente & sanciente. Verba sic habent: Κτίσιν ἀνθρωπίνην τὰς ἀρχὰς λέγει τὰς χειροτονηθὰς ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ καὶ αὐτὰς τὰς βασιλείας, καθότι καὶ αὗται ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐτάχθησαν, ἤτοι ἐτέθησαν, οὕτω γὰρ ἡ γραφὴ καὶ τὴν θέσιν κτίσιν καλεῖν. Repetit scilicet Petrus præceptum apostolicum, quod obediendum sit magistratui, utpote *divinae ordinationi*, Rom. XIII. 2. ac monet, non ad *causam instrumentalem*, ad homines scilicet, per quos magistratus constituitur, sed ad *causam principalem*, Deum scilicet, a quo est omnis magistratus, in hac obedientia unice esse respiciendum; unde notanter addit διὰ τὸν κύριον, *propter Dominum*, q. d. non ad homines, per quos magistratus constituitur, sed ad Deum, a quo est magistratus, oculos convertite, ac propter Dominum, auctorem principalem, ipsis obedientiam esse præstandam cogitate. Subjicit etiam distinctas magistratus species: *sive regi, tanquam praecellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis*, hoc est, si vel maxime duces & quivis inferiores magistratus a rege & superiore magistratu constituantur, tamen propterea non debetis illis obedientiam denegare, sed in illis regem, tanquam superiorem, in rege autem Deum ipsum intueri ac revereri. Quidam illud δι' αὐτοῦ referunt non ad proximquius, quod *a rege* mittantur duces, sed ad remotius, quod *a Deo* mittantur, qui sensus concinnus quidem est & fidei analogiæ maxime congruus, sed contra pertinacem adversarium vix obtineri potuerit. Similis ergo loquendi ratio est in dicto Petrino, quæ est in

dicto Paulino: 1. Tim. II. 15. *Saluabitur mulier διὰ τῆς τεκνογονίας*, hoc est, *non obstante liberorum procreatione, modo manserit in fide*; sic *subjecti estote omni humanæ ordinationi*, hoc est, magistratui, non obstante, quod sit humana ordinatio. 2.) Respectu *subjecti recipientis*, sive *materiæ in qua*, quia hominum opera in magistratus administratione Deo uti placuit. Quemadmodum enim ministerium ecclesiasticum non angelis, sed hominibus commendatum est, ita quoque regimen politicum non per angelos, sed per homines Deus administrari voluit, inde paraphrasis syriaca reddidit: *Estote subjecti* לְכָל־חִין בְּנֵי־אֲנָשָׁא, *omnibus filiis hominum.* Denuo igitur tacitæ objectioni occurrit apostolus. Quamvis homines sint & humanis nævis atque infirmitatibus obnoxii, qui magistratus locum obtinent, illis tamen subditi estote *propter Dominum*, hoc est, quia non humanum, sed divinum officium sustinent, ac Dei vicem in terris obtinent. 3.) Respectu *finis cui*, quia magistratus in hominum salutem & commodum est ordinatus. *Subjecti estote magistratui*, quia est κτίσις ἀνθρωπίνη, hoc est, in vestram ipsorummet salutem & commodum a Deo est ordinatus. (*) Sic ergo magistratus dicitur *humana ordinatio* sive *creatura*, (ita namque κτίσεως vox hic accipitur, sicut etiam apud Latinos magistratus creari dicitur) non respectu *fundamenti*, nec respectu *termini a quo*, sed respectu termini *ad quem.* Quidam vertendum censent, *omni humano statuto*; sed species subjectæ ostendunt, ipsum magistratum hoc verbo denotari, ac ratio adpellationis est pulcerrima, κτίζειν usurpatur non solum de primæva creatione, in qua Deus omnia pulcerrimo ordine disposuit, sed etiam de ædificii exstructione, in qua omnia apte & ad usus inhabitantium commode ordinantur. Sensus igitur est, quod Deus noluerit genus humanum bestiarum more esse confusum, sed velut in mundi fabrica & in ædificio apte dispositio singulos status in genere humano suo loco ordinatos ac dispositos esse voluerit.

§. LIII. *Alteram* argumentorum classem petunt ex rationibus. 1.) *Quod pugnat cum primæva hominis conditione ac statu, in quo est creatus & divinitus constitutus, illud non est a Deo. Magistratus pugnat cum primæva hominis conditione, quia Deus creavit hominem liberum, subjectionis omnis expertem.* Resp. 1.) Ostendimus superius, cum libertate illa, in qua primus homo fuit conditus, non pugnare omnem omnino subjectionem, quia uxor marito, liberi parentibus fuissent subditi, sed ea, quæ cum molestia & voluntatis repugnantia est conjuncta. 2.) Quia homo per lapsum excussit Dei imperium, ideo in pœnam lapsus hominis in hominem constitutum est dominium, quod tamen ad hominis utilitatem ac commodum cedet, si reverenter sese illi subjiciat, honestis legibus obtemperet, & ad finem rectum magistratus officio & præsidio utatur, ne sit ei *terrori*, sed *honori*, quod fiet, si in id incumbat, ut sub magistratu *quietam & pacatam vitam ducat in omni pietate & honestate.* 1. Tim. II. 2. 3.) Distinguendum igitur inter naturam *institutam* ac *destitutam.* Si vel maxime magistratus officium, quale est hodie, pugnaret cum natura instituta; non tamen pugnat cum natura destituta, quin potius ἀταξίαν naturæ destitutæ voluit Deus per magistratus institutionem corrigere & in ordinem redigere. Vnde sic concludimus: Quodcunque ad generis humani salutem & εὐταξίαν est non solum utile, sed etiam necessarium, illud nec cum natura hominis, qualis est post lapsum, pugnare adserendum, nec Deum auctorem habere, est negandum. Sed officium magistratus ad generis humani salutem & εὐταξίαν est non solum utile, sed & necessarium. Ergo. *Imperare & parere sunt ex genere necessariorum*

II.) *Ex rationibus.*
1.) *A primæva hominis dignitate.*

(*) Lutherus tom. II. f. 181. *Obrigkeit wird weltliche Ordnung genennet, weil solcher Stand zu menschlicher, weltlicher, politischer Ordnanz von GOtt, geordnet, nit aber in geistlichen himmlischen Sachen, wie der Lehrer Stand.* Non ratione originis, vel termini a quo, sed ratione subjecti & termini ad quem. GERHARDVS.

rum & utilium, ait philosophus lib. I. politic. cap. 5. Alii aliis inter homines prudentia & dotibus animi ad imperandum necessariis præcellunt, quos natura, vel potius Deus ipse ad imperium formavit. *Sunt, quibus, quod rectum & justum est, ipsis in mentem venit, sunt, qui ipsi quidem per se id non intelligunt, tamen recta monentibus obtemperant*, ut ex Hesiodo Cicero pro Cluent. adserit, illi igitur hisce veluti duces ac præsides a natura sunt dati.

2.) *A nostra per Christum parta libertate.*

§. LIV. II.) *Quod pugnat cum libertate, quam Christus in nov. test. nobis promeruit, illud in nov. test. non habet Deum auctorem.* *Sed officium magistratus pugnat cum libertate, quam Christus nov. test. nobis promeruit.* Ergo. *Non convenit* (inquiunt) *inter homines spirituales, quos veritas, videlicet ipse Christus in libertatem vindicavit*, Joh. VIII. 32. *magistratus usus.* Resp. 1.) Huic argumento jamdudum respondit apostolus Petrus 1. epist. II. 13. *Subditi estote omni humanae ordinationi propter Deum*, v. 15. *quia haec est voluntas Dei*, v. 16. *tanquam liberi, sed non ut velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei*; docet igitur, eos, qui prætextu libertatis per Christum partæ magistratui debitam obedientiam derogant, libertatem habere pro velamine malitiæ, ac proinde eadem turpissime abuti. 2.) Libertas, quam Christus nobis peperit, non est carnalis licentia, sed spiritualis libertas & a peccati damnatione liberatio, sive manumissio. 3.) Quemadmodum igitur libertas illa non tollit obedientiam mandatis divinis debitam, quia ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας *servi facti sumus justitiae*, Rom. VI. 18. *ut Deo serviamus*; v. 22. ita quoque non tollit obedientiam magistratui, utpote divinæ ordinationi, debitam. Lex divina non pugnat cum libertate, quia Adam liber creatus, & tamen lex illi fuit imposita. Ergo nec lex humana magistratus. 4.) Hinc apostolus Paulus, qui de libertate a Christo parta tam præclare disserit, nihilominus *potestatibus sublimioribus omnem animam subjectam esse* jubet, Rom. XIII. 1. servos officii sui monet, Col. III. 23. ac spiritualem libertatem cum servitio ipsorum hominibus præstando consistere posse docet. 1. Cor. VII. 22. Pulcre Augustinus libr. XIX. de civit. Dei cap. 17. *Civitas cœlestis dum apud terrenam civitatem velut captivam vitam suae peregrinationis agit, jam promissione redemtionis & dono spirituali tanquam pignore accepto legibus terrenae civitatis, quibus haec administrantur, quae sustentandae mortali vitae adcommodata sunt, obtemperare non dubitat &c.* 5.) Tantum abest, ut leges honestæ magistratus opponantur libertati christianæ, ut potius eamdem promoveant. Cum enim vera libertas in eo consistat, ut possimus eligere bonum, & rejicere malum, manifestum est, legem non pugnare cum libertate; non enim impedit, quo minus possimus eligere bonum, & rejicere malum, sed contra potius juvat, nam præbet materiam exercendæ libertatis. (*)

3.) *A regiae tyrannidis gravitate.*

§. LV. III.) *Reges & principes plerumque superbiam & tyrannidem in subditos exercent, & in magna rerum omnium licentia vivunt. Ergo ipsorum status non est a Deo institutus.* Resp. 1.) Accidentia personarum prudenter ab officio sunt distinguenda; neque enim officium ipsum desinit esse divinum, licet illi,

(*) Bellarminus lib. de laicis cap. 3. respondet: 1.) *Ideo in nov. test. de magistratu politico non multum tractari, quia Christo & apostolis propositum fuerit tractare de re no spirituali, non de politica.* 2.) *Posse ex dictis nov. test. per indirectum & bonam consequentiam haberi, de quo directe agit quaestio. Si enim christiano licet subesse regi ethnico, multo magis regi christiano; & si licet christiano subesse, multo magis praeesse, quia illud magis videtur esse contra libertatem christianam quam hoc.* 3.) *Si christianae libertati repugnaret subjectio, vel praefectura civilis, magis repugnaret ecclesiastica, quia christiana libertas magis pertinet ad christianum, ut est civis ecclesiae, quam ut est civis mundi. At non repugnat christianae libertati praefectura, vel subjectio ecclesiastica*, Matth. XXIV. 45. Rom. XII. 8. Hebr. XIII. 17. *Ergo nec repugnat subjectio, vel praefectura politica.* GERHARDVS.

illi, qui officium administrant, non humanis solum infirmitatibus, sed gravioribus etiam delictis obnoxii deprehendantur. Vitia sunt personarum, interim officium ipsum est bona Dei ordinatio. Sic illi, qui ecclesiastico ministerio funguntur, non communibus solum nævis, sed gravioribus etiam delictis quandoque sunt obnoxii, sed ipsum propterea ministerium non desinit esse divinum officium. 2.) Quando anabaptistis Monasterienſium suorum complicum seditiosi furores objiciuntur; statim confugiunt ad distinctionem inter religionem & personas ipsam amplectentes, eademque recte, vel male utentes. Quod si igitur vitia personarum a religione, quam profitentur, possunt distingui, cur non etiam vitia magistratus ab officio, quod administrant? 3.) Nec omnes reges & principes superbiam & tyrannidem in subditos exercent, sed præter Nimrodos & Nerones sunt etiam pii Davides & Constantini. Vitia igitur paucorum non sunt imputanda omnibus, nec ad unius, vel alterius mali principis, sed ad bonorum etiam ac laudatorum exempla respiciendum. 4.) Nec tantum quid mali & molesti sit in imperiis, sed etiam, quid boni illis insit, spectandum fuerit. Bona, quæ in eis sunt longe plurima, utpote pacis conservatio, justitiæ administratio, bonorum defensio &c. dignis laudum præconiis ornanda, mala vero bonorum amplificatione obruenda & sapienter ferenda.

2.) *Paludani.* §. LVI. II.) Indirecte & oblique divinam magistratus institutionem labefactat quidam Paludanus, qui ea duntaxat ratione magistratus ordinem a Deo esse censuit, quod homini ratio sit indita & notitia legum naturæ, quæ judicat hunc statum inter homines necessarium esse. Vere quidem hæc dicuntur, unde etiam ipsimet superius ex insitis notitiis naturalibus pro divina magistratus auctoritate & institutione adferenda argumentum duximus; interim nondum sufficienter civilis societatis & imperiorum causa eo modo explicatur, cum solis humanis consiliis & viribus talis ordo nec institui, nec conservari possit. Si humana duntaxat prudentia ac providentia hic status fuisset institutus, non potuisset contra rabiem diaboli & impiorum tamdiu conservari ac subsistere. Distinguendum igitur *est* inter *regimen ipsum politicum*, & *ejus determinationem ad certam reipublicae formam*, monarchicam scilicet, vel aristocraticam, vel democraticam. Regimen ipsum est juris divini ac naturalis; sed determinatio ejus ad certam formam immediate pertinet ad jus gentium, quod est juris naturæ quasi quoddam consectarium, discursu hominum sapientum introductum. Cunerus in lib. de offic. princ. cap. 5. ex Rom. XIII. pulcerrimum format argumentum, quo probat regimen politicum non pendere a sola humana consensione: *Si* (inquit) *ex sola in principem consensione populus ei subesse teneretur, jam non obediendo fœderi quidem & pacto, sed non proxime ac directe Dei ordinationi resistere diceretur, quam Paulus in resistendo proxime & immediate violari significat, quoniam potestas, cui resistitur, a Deo ordinata est, sic ut rebellio jam non contra hominem, sed contra Deum censeri debeat.*

Porismata 1.) Christianum illaesa conscientia posse magistratus officio fungi.

§. LVII. Cæterum ex eo, quod officium magistratus est divina institutio & ordinatio, duo colligimus porismata. *Prius* tale est: *Christianus illaesa omnino conscientia magistratus officium gerere potest.* Quod si enim magistratus officium est divina ordinatio, utique est res bona, sancta, justa ac Deo placens, Ps. CXI. 3. *Gloria & decor opus*, ac per consequens potest christianus illæsa conscientia magistratus officio fungi, & in hoc vitæ statu Deo placere, quomodo enim justa, sancta ac Deo placens functio christiano esset prohibita? Quemadmodum igitur ex eo, quod conjugium est divina ordinatio, recte infertur, quod possit quis bona & illæsa conscientia in conjugio vivere, & in eo statu Deo placere; ita quoque pari ratione ex eo, quod magistratus est divina ordinatio, recte colligitur,

gitur, quod christianus possit vitam Deo gratam ac placentem in magistratus officio gerere. Id ipsum probant omnia argumenta superius producta. 1.) Si magistratus Dei judicium exercet, utique etiam Deo servit in officii sui administratione. 2.) Si magistratus in ipsa officii sui exsecutione est ac dicitur *Dei minister*, utique hic vitæ status Deo gratus est, ipsique placet. 3.) Si Deus magistratui ex gratia donat omnia ad exsecutionem officii necessaria, utique officium magistratus Deo placet; alias sequeretur, Deum conferre quædam ad exsecutionem operis sibi minime grati ac probati. 4.) Si Deus expresse mandat constitui magistratus, utique officium magistratus est res per se bona & sancta; quæcunque enim Deus præcipit & mandat, illa sunt bona, justa ac sancta. 5.) Si contemto magistratu Deus ipse contemni dicitur, utique etiam magistratus officium Deo probatur; alias consequens foret, Deum contemni in eo ac per id, quod ipse improbat ac contemnit. 6.) Si Deus viventibus in hoc statu certa præscribit munia, utique etiam hic status Deo placet. 7.) Si Deus hunc statum miranda sua bonitate ac potentia confervat, utique illi non est adversus, vel ipsius voluntati contrarius. 8.) Si magistratus officium naturali juri congruum, utique etiam non pugnat cum divino jure, vel divinis legibus. Sed antecedentia horum argumentorum probata sunt superius. Ergo consequens negari nequit. 9.) Si in quarto præcepto sub nomine *patris* etiam magistratus comprehenditur, utique officium magistratus est Deo placens, & juxta Dei voluntatem ac mandatum honore debito adficiendum. Sed prius constat ex Gen. XLI. 48. 1. Sam. XXIV. 12. &c.

§. LVIII. Cumprimis huc pertinent: 1.) *Dicta scripturae* omnia, in quibus subditi honorem & reverentiam, subjectionem & obedientiam, census ac tributa, preces ac vota magistratui debere dicuntur, quæ suo loco inferius enumerabuntur. Quod si enim hæc est Dei voluntas, ut subditi magistratui obediant, utique etiam Dei voluntas erit, ut magistratus subditis imperet, ita namque exigit mutuus relatorum respectus. Apostolus cum Rom. XIII. 1. & seqq. de officio magistratus disseruisset, tandem subjungit v. 7. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Ostendit igitur præter reliquas officii partes magistratui a subditis etiam deberi honorem. Atqui pugnat, & quidem extreme pugnat cum honore magistratus, statuere quod officium ac status ille Deo minime placeat. Idem apostolus 1. Tim. VI. 2. hanc proponit regulam: *Qui fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt*; ubi fides & dominium copulantur, ac proinde in uno eodemque homine ea consistere posse consequitur, ac prohibentur servi prætextu christianæ fidei, ad quam conversi sunt ipsorum domini, honorem illis denegare. 2.) *Exempla* piorum magistratuum in vet. ac novo t. Quod si enim quidam in officio magistratus constituti Deo gratam ac placentem vitam egerunt, utique officium magistratus in se ac per se Deo non improbatur; alias enim nemo in officio illo constitutus potuisset Deo placere. Jam vero tam in nov. quam vet. test. commemorantur exempla piorum magistratuum. In vet. quidem test. laudantur Melchisedecus, *rex Salem*, Moses, populi Israelitici *dux*, Josua, Mosis in regimine successor, *judices* divinitus excitati, David, Josaphat, Hiskias, Josias &c. *reges*; Josephus ac Daniel, *satrapiis praefecti*, qui omnes fuerunt viri sancti & Dei amici, nec tamen magistratus officium quidquam derogavit ipsorum pietati ac sanctitati, nec ut in Dei gratia permanere possent, magistratus officio sese abdicarunt. In nov. test. tales recensentur personæ, quæ munere politico fuere functæ, nec minus christianam religionem amplexæ ac professæ. *Josephus ab Arimathia* fuit *senator*, quem tamen una cum Nicodemo funeris curatorem Christus elegit; Luc. XXIII. 50. *centurio Capernaiticus* habuit sub se milites, idem tamen refertur inter eos, qui cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno

cœlorum recumbent; Matth. VIII. 11. *regulus Capernaiticus* ad fidem Christi perducitur, nec tamen politicum officium, quo fungebatur, repudiare jubetur; Joh. IV. 53. *eunuchus reginae Candaces* thesaurarius a Philippo sacris christianis initiatus, nec tamen ab officio suo politico propterea ab eodem remotus legitur; Act. VIII. 38. *Cornelius centurio* magistratum gessit, nec tamen conversus a Petro eum deposuit; Act. X. 2. *Sergius proconsul* ad fidem Christi a Paulo convertitur, nec tamen magistratu propterea abit; Act. XIII. 12. *custos carceris* Philippicus ab apostolis baptizatus, non tamen officio se abdicare jussus est; Act. XVI. 33. *Publius*, Melitensis insulæ princeps, Paulum benigne suscepit, non tamen dignitate politica sese exuit; Act. XXVIII. 7. *Erastus* œconomus civitatis Corinthi fuit, quod officium ob christianam professionem non deposuit, Rom. XVI. 23. Ex quo sic concludimus: Quos Christus & apostoli ad fidem conversos in officio politico manere permiserunt, illi non vixerunt in tali aliquo vitæ statu, qui Deo minime probetur. Sed Christus & apostoli ad fidem conversos in officio politico manere permiserunt. Ergo non vixerunt in tali aliquo vitæ statu, qui Deo minime probetur. *Major* est manifestæ veritatis. Quos enim Christus & apostoli ad fidem converterunt, illis exposuerunt *omne Dei consilium* ac beneplacitum: Joh. I. 18. Act. XX. 27. jusserunt illos *facere fructus pœnitentiæ dignos*, Matth. III. 8. *ac probare, quae sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta*; Rom. XII. 2. at si permisissent eos manere in tali vitæ statu, qui per se esset impius ac Deo minime placens, utique non exposuissent illis omne Dei consilium ac beneplacitum &c. Quidam huc referunt exemplum Jairi, ἄρχοντος dicti Matth. IX. 18. Nicodemi Joh. III. 1. 3.) *Generalis illa regula* ex certis & immotis scripturæ fundamentis extructa, quod evangelium non abroget politias & ordinem civilem. Vt enim vita æterna non tollit vitam præsentem; ita quoque promissio vitæ æternæ, justitia fidei & spiritualis libertas vitam æternam respiciens, inque evangelio proposita, non abolet statum vitæ præsentis, justitiam civilem & obedientiam magistratui debitam, quæ omnia ad hujus vitæ εὐταξίαν καὶ εὐημερίαν pertinent. Quemadmodum evangelii doctrina non tollit medicinam, architectonicam & alias artes ad hujus vitæ commoda spectantes; sic nec tollit officium magistratus, quod est quasi remedium aliquod contra turbatores quietis & pacis publicæ in hac vita & societate humana. 4.) *Divina mandata*, in quibus tale quid a magistratu requiritur, quod nemo præstare potest melius, quam homo pius & christianus vera Dei cognitione, fide ac sancto Dei timore imbutus. Sic jubentur reges & principes *Filium osculari*, Ps. II. 12. hoc est, vera fide Messiam, ut regem & sponsum amplecti; *aperire portas, ut rex gloriae introeat*, Ps. XXIV. 7. hoc est, promovere modis omnibus christianæ religionis propagationem; *nutritios* sese exhibere ecclesiæ, Esa. XLIX. 23. hoc est, prospicere ecclesiæ ministris de necessaria sustentatione, fovere pios cœtus, tutelam & defensionem illis præstare &c. ex quibus sic concludimus: Si a magistratu talia requirit Deus officia, quæ non nisi a pio & christiano præstari possunt; utique etiam homo pius & christianus magistratus officio fungi potest: nisi enim duo illa in uno convenire possent subjecto, frustra a magistratu ejusmodi officia requirerentur. Sed prius constat ex locis adlegatis. Ergo nec posterius negari debet. (*)

§. LIX.

(*) Excipiunt Anabaptistæ, *Judaeis permissos fuisse magistratus propter imperfectionem, nobis concessos propter perfectionem.* Resp. 1.) Contrarium patet tum ex vaticiniis prophetarum, qui prædixerunt, *omnes reges terrae servituros Christo & ecclesiae*; Ps. II. 10. 11. 12. LXXII. 11. Esa. XLIX. 23. c. LX. 3. tum ex eventu & complemento in christianis imperatoribus. 2.) Quod de perfectione nov. test. majore, quam fuerit veteris, additur, *secundum quid*, non *simpliciter* concedimus. Nam & ratione Christi, qui exspectabatur in vet. test. & in nov. test. venit, discrimen concedimus, quale est inter corpus & umbram Col. II. 17. Heb. X. 1. & ratione populi atque legum cerimonialium, quibus onerabatur, quæ-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841162-p0274-7

Antithesis I.) *Anabaptistarum.*

§. LIX. Ab hac ἐξοδοξία iterum in diversum abeunt, 1.) *Anabaptistae*, qui negant magistratum esse statum vitæ Deo placentem, in quo christianus, tempore scilicet novi testamenti, illæsa conscientia vivere possit. Verbis quidem nonnunquam fatentur, magistratum esse *divinam ordinationem* (*) humano generi ad malos compescendos ac bonos defendendos utilem ac necessariam; interim tamen addunt, esse statum Deo displicentem, ac christianum illæsa conscientia non posse fungi officio magistratus, nec aliis imperare, nec bella gerere, nec gladium adversus facinorosos stringere, quod vere est ponere definitum, & negare interim ipsam definitionem. Vide historiam anabaptistarum Monasterienssium tom. II. Witeberg. germ. Lutheri f. 412. epistolam Thomæ Müntzeri ad fratrem Ernestum Heldrungensem &c.

Argumenta ex scripturis a) *V. Testamenti.* 1.) *Gen. VI, 3. Non judicabit Spiritus meus &c.*

§. LX. Hanc seditiosam opinionem confirmant: 1.) *quibusdam scripturae dictis* male detortis: 2.) *rationibus* & consequentiis male consutis. a.) Ex vet. test. hæc proferunt: 1.) Gen. VI. 3. dixit Dominus: *Non judicabit Spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Ex quo loco colligunt, *quia homines noluerunt ductum Spiritus sancti sequi antę diluvium, ideo Deum post diluvium dedisse magistratus, qui vi eos cogerent, & sanguinem eorum funderent, qui sanguinem effudissent. Esse igitur magistratum non signum gratiae, sed irae divinae, datum in vindictam malorum;* quod ulterius confirmant ex Oseæ XIII. 11. *Dedi illis regem in furore meo*; & postea inferunt; *quod in vet. test. dedit Deus populo in ira sua, id in nov. test. quod est tempus gratiae, finem habere debuit. Sed reges & magistratus in vet. test. dedit in ira sua. Ergo.* Resp. 1.) De dicto Oseæ XIII. superius diximus. 2.) In loco Gen. VI. 3. proponitur tristissima Dei querela de effrenata hominum malitia & supino verbi atque omnium redargutionum contemtu, nequaquam vero docetur, magistratum esse iræ divinæ signum. Hebræa proprie sic redduntur: *Non contendet Spiritus meus cum homine*, hoc est, per ministerium Noachi & aliorum præconum ad pœnitentiam eos invitavi plus satis, delicta ipsorum redargui, sed frustra, ideo sequetur diluvii pœna. 3.) Non magistratus institutio, sed diluvii immissio improbis illis hominibus pœnæ loco denunciatur. 4.) Falsum est, magistratum esse duntaxat datum in vindictam, cum detur etiam bonis *in bonum*. Rom. XIII. 4. 5.) Unde probare possunt, ante diluvium nullas fuisse magistratus politici partes?

2.) *Gen. XLIX, 10. Non auferetur sceptrum &c.*

§. LXI. II.) Gen. XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Siloh, & ipsi erit adgregatio populorum*; ex quo loco colligunt, post *adventum Messiae sceptrum externum, hoc est, regimen politicum & usum gladii debere cessare.* Resp. 1.) Est elenchus a dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter*. Patriarcha enim Jacobus nequaquam docet,

le est inter majorennem & minorennem, Gal. IV. 3. 3.) Perfectionem, quam in consiliis evangelicis Pontificii & Photiniani statuunt, negamus. Possunt etiam addi rationes: *a*) a *fine*, si natura humana civilem societatem requirit, utique etiam requirit regimen & rectorem, ac proinde illud licitum est christiano. At prius &c. Ergo & posterius. Propositionis *connexio* dupliciter probari potest. *Primo*, quia impossibile est, multitudinem diu consistere, nisi sit, qui eam contineat, & cui sit curæ bonum commune, ut constat exemplo animæ omnia continentis in corpore humano, ac probatur ex Prov. XI. 14. *Vbi non est gubernator, populus corruet. Secundo*, quia in omni multitudine ordinata opus est rectoribus. Societas civilis est multitudo ordinata. Ergo in ea rectoribus est opus. *b*) ab *origine*, omnia, quæ in statu innocentiæ futura fuissent, licita sunt christianis. At politicus principatus in statu innocentiæ futurus fuisset. Ergo etiam licitus christianis. *Adsumtionis* probationem vide apud Bellarminum lib. de laicis cap. 2. Pererium tom. I. in Genesin p. 125. Zanchium de operib. sex dierum p. 648. Danæum lib. I. polit. christ. cap. 4. GERHARDVS.

(*) Conferenda, quæ supra in *not.* ad §. XLVIII. p. 257. hanc in rem diximus.

docet, omnem omnino potestatem politicam post adventum Messiæ auferendam, sed de tribu Juda sceptrum auferendum esse prædicit. 2.) Notatur certum ac definitum tempus, quo adventus Messiæ sit exspectandus, videlicet quando potestas regia a tribu Juda in alienigenam fuerit translata, id quod eventu fuit comprobatum, cum enim Christus nasceretur, Judæa a Romanis in provinciæ formam fuit redacta & ipsorum dominio subjecta, nequaquam vero universalis quædam magistratus abolitio prædicitur. 3.) Cum Christus nasceretur, imperio Augustus rerum potiebatur, cui parentes Christi censum exhibuerunt, & sic in ipsis & per ipsos politico magistratui obedientiam Christus præstitit, adeoque præstandam esse docuit. 4.) Christo exhibito non fuisse magistratus politici officium sublatum, res ipsa evidenter ostendit. Constantinus, Theodosius & alii imperatores sceptra sua Christo & ipsius regno submiserunt, nequaquam vero eadem penitus abjecerunt.

3.) *Jud. IX. 9. Nec, oliva, nec ficus regnum suscipit.*

§. LXII. III.) Jud. IX. 9. & seqq. Joatham in sua parabola docet, *nec ab oliva, nec ficu, nec vite, hoc est, ab hominibus frugi & pacificis, sed a rhamno, hoc est, impiis & noxiis regnum suscipi. Ergo officium magistratus non decet hominem pium & christianum.* Resp. Joatham non improbat sua isthac parabola officium magistratus in genere, alias etiam patrem suum Gideonem inter rhamnos numerasset, de quo tamen ipse dicit, quod magna in Sichemitas contulerit beneficia, pugnando pro ipsis & animam sive vitam suam periculis objiciendo v. 17. sed exprobrat Sichemitis temerarium & inconsideratum propositum, quod Abimelechum, filium ancillæ, qui septuaginta filios Gedeonis fratres suos interfecerat, regem elegissent, a cujus imperio tam infaustis & sanguinolentis auspiciis cruentato non possint sibi quidquam boni polliceri, ut ipsa parabolæ adplicatio manifeste ostendit. In partibus tamen adplicationis est inter interpretes quædam diversitas. Hebræi per *olivam, ficum & vitem* intelligunt tres personas notabiles in beneficiis populo Israelitico exhibitis, videlicet Gedeonem, Deboram & Othonielem, qui oblatum sibi dominium super filios Israel recusaverunt, eo quod Dominus illud dominium sibi retinuerat. Christiani vero interpretes per *olivam, ficum & vitem* generaliter intelligunt filios Gedeonis ab Abimelecho interfectos, qui erant *pingues in divitiis, dulces in mansuetudine, multiplicati in prole*, unde conferuntur *olivæ*, ex qua colligitur oleum, *ficui*, quæ habet dulcem fructum, *& viti*, quæ copiosum præbet fructum. Lyra in comm.

b.) *Novi testamenti* 1.) *Matth. V.* 2. *Beati mites, pacifici.*

§. LXIII. Ex *nov. test.* plura proferunt, existimant enim, si vel maxime probari posset, Deum adprobasse officium magistratus & usum gladii in vet. test. tamen diversam esse nov. test. rationem sive in Christi regno. I.) Matth. V. 2. & seqq. *beati pronunciantur mites, pacifici, misericordes, & qui patiuntur propter justitiam. At hæc non possunt competere in magistratum politicum.* Resp. 1.) Imo vero exempla testantur contrarium, quod scilicet multi reges & principes clementiæ laude ac pacis studio commendentur, quidam etiam patiantur propter confessionem veritatis. 2.) Si hæ beatitudines nulla ratione convenire possunt illis, qui in imperio constituti sunt, consequens est, omnes magistratus esse immites, immisericordes & pacis turbatores. 3.) Si vel maxime quædam specialia præcepta privatis personis data magistratui in publico officio constituto non convenirent; nondum tamen sequeretur, christianum non posse gerere magistratum. Distinguendi enim sunt status & vitæ ordines a Deo ipso instituti, quos Christi doctrina non abolet, nec confundit, sed distinctis statibus & vitæ ordinibus distincta munia præscribit. 4.) Vt in republica civili potest quis simul esse vir bonus & civis bonus, quia virtutes boni viri ac civis boni non sunt sibi mutuo oppositæ; sic in republica christiana potest quis simul esse & bonus christianus & bonus magi-

magistratus, quia virtutes boni christiani ac boni magistratus non pugnant secum invicem, sed sunt subordinatæ.

2.) *Matth. VII. 1. Nolite judicare.*

§. LXIV. II.) Matth. VII. 1. Luc. VI. 37. *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & noncondemnabimini. Ergo christianus non potest gerere magistratum, quippe qui absque judicando & condemnando geri nequit.* Resp. 1.) Christus nequaquam abolet *publicum* magistratus judicium, quippe quod est *judicium Dei*, Deut. I. 17. 2. Paral. XIX. 6. & cui severe mandatum est, *ut recte judicet*, Ps. LVIII. 2. *ut bonos tueatur, & impios condemnet*, Deut. I. 16. sed prohibet *privatum*, temerarium & intempestivum de aliorum dictis & factis judicium. 2.) Neque enim magistratui, sed promiscuæ plebi Christus tum concionatus est, ad illam igitur hæc prohibitio spectat. 3.) Quod si omne judicium Christus his verbis simpliciter voluisset sublatum, tum non possent fideles judicare de doctrina, 1. Cor. X. 15. c. XI. 13. 1. Joh. IV. 1. nec proximum propter ipsius vitia arguere, Matth. XVIII. 15. ministri ecclesiæ non possent arguere, increpare, Tit. I. 9. patresfamilias non possent liberos suos corripere, Prov. XXII. 15. Syr. XXXIII. 20. quæ omnia sunt absurda & ἀσύστατα. 4.) Apud Lucam hæc pericope adnectitur concioni de dilectione proximi & de misericordia, cum non postrema pars sit dilectionis & misericordiæ absque morositate, sine suspicionibus ac citra obtrectandi libidinem, de proximo candide & benigne judicare, ex quo intelligitur, quod hæc prohibitio respiciat vitam privatam. Chrysostomus monet, hujus sententiæ de non judicando & condemnando veram interpretationem petendam & colligendam esse ex sequentibus: *Quid vides festucam in oculo fratris? hypocrita ejice primum trabem ex tuo oculo.* Augustinus serm. CCII. de temp. *Audivimus evangelistam dicentem:* Nolite judicare, ut non judicemini. *Quid est hoc? cum ipse Dominus in alio evangelii loco dixerit:* Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate; *& alibi dicatur:* judicium verum judicate? *Non enim sibi divina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium quaerit. In conversatione humana sunt aliqua, quae rationabiliter reprehenduntur, sunt vero quaedam, quae non sine peccato judicantur. Aperta enim mala & judicari & argui debent, illa vero, quae ignoramus, & utrum bono, an malo animo scire non possumus, judicare penitus non debemus.* In harm. Chemnitiana cap. 51. p. 486. octo species hujus temerarii judicii enumerantur, quas ibi vide.

3.) *Matth. X. 16. Mitto vos sicut oves in medio luporum.*

§. LXV. III.) Matth. X. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* v. 18. *Ad praesides & ad reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Ergo Christus noluit suos magistratum gerere, sed a magistratu vim illatam sustinere.* Resp. 1.) Distinguendum inter magistratus fideles & infideles, christianos & ethnicos, bonos & malos. Christus hic non loquitur de magistratibus fidelibus, christianis & piis, qui sunt ecclesiæ non persecutores, sed defensores, non in eam grassantes lupi, sed benefici nutritii. 2.) Si propter hoc dictum Christi omnis omnino magistratus ex ecclesia eliminari debet, præsupponitur, omnes esse lupos & ecclesiæ persecutores. Fucata igitur & fallacia sunt omnia, quæ ab anabaptistis honorifice de magistratu proferri videntur. 3.) Christus ibidem prædicit apostolis, quod sint *flagellandi in synagogis*, v. 17. illorum scilicet instinctu & impulsu, qui ecclesiasticum officium administrant, nec tamen propterea ipsum ecclesiasticum ministerium reprobandum. Idem statuendum de magistratu.

4.) *Matth. XVI. 24. Si quis vult post me venire &c.*

§. LXVI. IV.) Matth. XVI. 24. *Si quis vult post me venire, abneget se ipsum, tollat crucem suam & sequatur me, ubi non gladium, sed crucem Christus suis tradit.* Resp. 1.) Usus gladii & pondus crucis non sunt sibi invicem oppositi; David gla-

dio pugnabat, idem tamen crucis pondus portabat. 2.) Magistratus christianus duplicem sustinet personam: primo *privatam*, quo respectu æqualem cum reliquis piis sortem & privatas calamitates experiri cogitur; secundo *publicam* ratione officii publici, quod Dei nomine gerit & administrat, qui respectus sunt distincti, non tamen contrarii. 3.) Quin imo magistratus christianus & pius non solum domesticis, privatis & communibus adversitatibus est obnoxius, sed in ipsa imperii gubernatione peculiaria & privatis graviora mala sustinet. Vt enim habet b. Lutheri dictum: *Sudor œconomicus est magnus, sudor politicus est major, sudor ecclesiasticus est maximus.* Idem tom. III. Jen. lat. p. 365. *Omnis qui regit, est tanquam signum, in quod omnia jacula satan & mundus dirigunt.*

5.) *Matth. XX. 23. Sedere ad dextram non est meum dare.*

§. LXVII. V.) Matth. XX. 23. *filiis Zebedaei politicas dignitates in Christi regno petentibus simpliciter illud denegatur. Ergo in Christi regno non relinquitur locus magistratui.* Resp. 1.) Filii Zebedæi vocati erant ad ministerium ecclesiasticum, proinde non debebant adpetere regimen politicum, inde est, quod Christus revocat eos ad propriam vocationem, & prohibet alieni muneris invasionem. 2.) Ex eo vero inferri nequit, Christum absolute & simpliciter improbare politicum regimen, perinde ut ex eo, quod ab ecclesiastici muneris administratione arcentur, qui ad illud non sunt a Deo vocati, non licet inferre, quod ministerium ecclesiasticum simpliciter improbetur. 3.) Quin imo Christus diserte addit, *sedere ad dextram & sinistram competere illis, quibus est a Patre cœlesti datum & paratum.* Jam vero, quod Pater cœlestis ordinat ac donat, id Christus nequaquam abrogat: Joh. V. 19. VI. 38. 4.) Distinguit Christus officium suum mediatorium, propter quod in mundum venit, ab illis operibus, quæ ipsi ut vero Deo cum Patre & Spiritu sancto sunt communia: Joh. V. 19. Conferre dignitates politicas, regna stabilire & transferre est opus *ad extra*, quod proinde toti Trinitati est commune; interim tamen non pertinet hoc ad officium mediatoris, propter quod Christus a Patre in mundum missus est, quo sensu & respectu Christus hoc loco negat, illud ad se pertinere.

6.) *Matth. XX. 25. Reges gentium dominantur, vos non sic.*

§. LXVIII. VI.) Matth. XX. 25. Luc. XXII. 25. *Principes gentium dominantur, & magnates potestatem exercent, non ita erit inter vos. Ergo Christus non vult fideles esse principes, reges ac magistratus politicos.* Resp. diximus in tractat. de euchar. §. XXXII. ea quæ apostolis a Christo leguntur dicta, esse in triplici differentia: *quaedam* sunt mandata personalia, quæ ad solos apostolos pertinent; Matth. X. 5. *quaedam* sub persona apostolorum omnibus ecclesiæ ministris, ipsorum in docendi officio successoribus, sunt dicta; Luc. XXIV. 47. *quaedam* sub persona apostolorum omnibus fidelibus sunt dicta. Matth. V. 16. Marc. XIII. 37. Anabaptistæ referunt hoc Christi dictum ad classem tertiam; sed contextus & fidei analogia probant, ad secundam classem pertinere. Distinguit enim Christus ministerium ecclesiasticum a politico regimine: illud, non autem hoc apostolis commissum esse docens; ex eo vero inferri nequit, quod nullus omnino christianus regimen politicum capessere & administrare possit, *quia non christianae professionis, sed apostolici muneris* respectu apostolis regimen politicum denegatur. Neque est, quod urgeatur vocula ἐθνῶν, quasi per eam ad gentiles, extra ecclesiam, Christus relegatum voluerit politicum magistratum, quia in genere significat, quamvis gentem ac populum, sive christianus ille sit, sive ethnicus. Quidam tamen existimant, Christum maxime spectare reges gentium, qui limitum imperii amplificationem & splendidos titulos unice quærunt, cum tales Baruch III. 16. peculiari adpellatione dicantur ἡ ἀρχοντες τῶν ἐθνῶν, cumque hoc loco dicantur κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν, quod Casaubonus in notis existimat, non significare

ficare simpliciter habere potestatem, *sed potestate tyrannice adversus subditos uti*, unde Theophylactus exponit ἐξουσιαστικῶς καὶ τυραννικῶς προσφέρεσθαι, qua de re suo loco accuratius agitur, cum ad argumenti anabaptistici solutionem perinde sit, sive de magistratu politico in genere, sive de gentilium tyrannide Christus loquatur.

7.) *Matth. XXVI. 52. Reconde gladium in locum.*

§. LXIX. VII.) Matth. XXVI. 52. Christus ad Petrum dicit: *Reconde gladium in locum suum. Omnes enim, qui gladium acceperint, gladio peribunt. Ergo christianis usu gladii est interdictum.* Resp. 1.) Petro apostolo, utpote ad ministerium ecclesiasticum vocato usus gladii adimitur; sed ex eo inferri nequit, quod omni christiano usus gladii sit prohibitus, traditus enim ipsi fuerat *gladius verbi*, quem unice tractare debebat. Eph. VI. 17. 2.) Distinguendum est inter τὸ accipere gladium, & τὸ gestare gladium a Deo datum. Accipere gladium est privata auctoritate sibi eum vindicare, quod magistratus neutiquam facit, sed a Deo sibi datum gladium non frustra gerit. Rom. XIII. 4. 3.) Tantum abest, ut Christus magistratui his verbis ereptum voluerit gladium, ut eidem potius jus gladii confirmaverit. Revocat enim Petrum & apostolos ad statutum divinum: Gen. IX. 6. *Qui effuderit sanguinem humanum, illius sanguis effundetur per hominem.* Quod si ergo gladio perire debent homicidæ, si per hominem debet effundi sanguis illius, qui sanguinem humanum prius effudit, utique magistratui tanquam Dei in terris vicario traditur gladius, ut injustas cædes ejus usu vindicet. Vide harmon. de passione capit. IV. p. 168.

8.) *Luc. IX. 55. Nescitis, cujus Spiritus filii sitis?*

§. LXX. VIII.) Luc. IX. 55. *cum apostoli Samaritanos igne cælitus delapso consumi optarent, Christus illos increpat dicens*: Nescitis, cujusmodi Spiritus filii sitis? v. 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. *Ergo improbat vindictam & pœnas de facinorosis sumtas.* Resp. distinguendum inter vindictam *privatam & publicam*. Prohibet Christus privatæ vindictæ cupiditatem; nequaquam vero publicam ἐκδικησιν, quam magistratus irrogat, is enim est *minister Dei* ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ πράσσοντι κακόν. Rom. XIII. 4. Reprimit in apostolis carnalem affectum, non eripit magistratui gladium. Idem respondendum ad dicta omnia, in quibus vindicta prohibetur.

9.) *Luc. XII. 14. Quis me constituit judicem?*

§. LXXI. IX.) Luc. XII. 14. recusat *Christus partes judicis in controversia de hæreditatis divisione inter fratres orta*: Joh. VI. 15. *quærit ad regnum fugit in montem*: Joh. XVIII. 36. negat *regnum suum esse de hoc mundo. Ergo non vult hominem christianum dominatum & officia politica suscipere.* Resp. 1.) Christus nequaquam simpliciter & absolute damnat judicis ac regis officium; sed quia non erat hoc fine in mundum missus, ut partes judicis ac regis terreni susciperet, sed ut docendi munere fungeretur, & cumprimis ut redemtionis opus perficeret, ideo noluit quidquam contra hanc suam vocationem suscipere. 2.) Regnum Christi non est *de hoc mundo*, interim tamen *in mundo* est, perinde ut vere pii non sunt de mundo, sed tamen in mundo. Joh. XV. 19. Quare imperium mundanum est quidem a spirituali Christi regno distinctum; interim tamen sese mutuo haudquaquam evertunt. 3.) Quædam Christi facta omnibus in genere christianis imitanda proponuntur, utpote ipsius mansuetudo, humilitas, patientia &c. Matth. XI. 29. 1. Petr. II. 21. quædam vero ad ecclesiæ ministros peculiariter pertinent, utpote ea, quæ ad officium docendi spectant. Recusare politicum dominatum non ad prioris, sed posterioris generis facta pertinet. 4.) Distinguendum inter *regnum gratiæ & regnum potentiæ*. Quando Christus negat regnum suum esse de hoc mundo, loquitur de regno gratiæ, quo quomodo a regnis terrenis differat, expositum fuit in harm. de pass. cap. IX. p. 406. interim quod regnum potentiæ adtinet, ad ipsum quoque perti-

pertinet, quod stabiliat & transferat regna hujus mundi Dan. II. 21. 5.) Denique anabaptistae frustra provocant ad Christi exemplum, cum ipsi non detrectaverint regnum in urbe Monasteriensi anno 1535. quam tragoediam vide apud Sleidanum lib. X.

10.) *1. Pet. II. 13. Subditi estote &c.*

§. LXXII. X.) Petrus 1. epist. II. 13. *Subditi estote omni humanae creaturae. Ergo christianos vult subesse, non praeesse.* 1. epist. V. 3. *seniores* monet, *ut pascant commissum sibi gregem, non dominantes. Ergo a christianis dominium exsulare jubet.* Resp. 1.) In priore loco describit apostolus officium subditorum, ex quo non potest colligi, quod magistratus non possit ab homine christiano, administrari, sed contrarium potius ex eo colligitur propter mutuam relatorum rationem. Si enim non pugnant cum professione christiana officia subditorum; utique etiam non pugnant cum ea officia magistratuum. Si Deo placet obedientia subditorum, utique etiam potestas magistratus Deo placet. 2.) In posteriore loco tractat apostolus de officio ministrorum ecclesiae, quos imperium aliquod despoticum in ecclesiam sive commissum sibi gregem arrogare prohibet; quid vero hoc ad magistratum politicum, cui potestas dominandi divinitus est concessa?

11.) *Apoc. IV. 10. Seniores mittunt coronas ante thronum.*

§. LXXIII. XI.) Apoc. IV. 10. *Viginti quatuor seniores mittunt coronas suas ante thronum dicentes:* v. 11. *Dignus es, Domine Deus noster, accipere honorem &c. Ergo magistratus ad Christum conversi coronis sese abdicare debent.* Resp. 1.) Ex visionibus perinde ut ex parabolis non possunt duci argumenta apodictica, nisi scriptura ipsa tradat explicationem. 2.) Esa. XLIX. 7. praedicitur, quod reges & principes ad ecclesiam sint adgregandi; nequaquam vero additur, quod coronas, sceptra & imperia sint abjecturi, sed quod *nutritii ecclesiae* in officio suo regio sint futuri v. 23. 3.) Per viginti quatuor seniores intelligitur tota triumphans ecclesia, quia in vet. test. duodecim filii Jacobi patriarchae fuerunt quasi stirps & radix totius ecclesiae Israeliticae, in novo test. duodecim apostoli per evangelii praedicationem ecclesiae christianae primitias congregarunt. Quando igitur seniores illi, hoc est, tota triumphans ecclesia coronas suas ante thronum abjicit, significatur electos ex vera humilitate agnoscere, se coronam gloriae aeternae non ex operum meritis, sed ex divina gratia obtinere. 4.) Christianus magistratus coronas suas ante thronum abjicit, quando agnoscit, se Dei munere dignitatem obtinere, illique tanquam omnium bonorum auctori unice acceptam eam esse referendam, & quando ad ecclesiae defensionem & cultus divini promotionem omnia confert, adeoque pro Christi gloria paratus est omnia deserere. Confer Blasium de Viegas in Apocal. IV. p. 227.

Ex rationibus.

§. LXXIV. *Rationes* anabaptistarum hae sunt praecipuae: 1.) *In nov. test. solus Christus est rex ecclesiae suae. Ergo non amplius, ut in vet. test. regibus terrenis in ea locus datur.* Resp. 1.) Christus etiam in vet. test. fuit rex ecclesiae, ut ergo propterea in vet. test. potestas civilis magistratus non fuit sublata, ita nec in novo. 2.) Christus ecclesiam suam non regit immediate, sed mediante verbi ministerio & magistratus officio, quippe qui constitutus est, ut in externo ecclesiae regimine mutuas ministerio ecclesiastico tradat operas. 3.) Magistratus est membrum aliquod ecclesiae sive regni Christi, Christus enim pios magistratus verbo & Spiritu suo regit, illi vicissim in suo officio Christi honorem & ecclesiae salutem promovent. Regnum Christi spirituale & regnum magistratus politicum non pugnant invicem hostiliter, nec se mutuo tollunt, quin potius magistratus coercet improbos, ut ab illorum violentia tuti sint boni, & *quietam degant vitam in omni pietate & honestate.* 1. Tim. II. 2. II.) *Christus ecclesiae suae non gladium, sed usum clavium tradidit.* Matth. XVI. 19. Joh. XX. 23. Resp. 1.) Clavium potestas ministerio ecclesiastico data est,

est, quod Christi & ecclesiæ nomine eam administrat; usus gladii politico magistratui propterea non est ademtus. 2.) Vt Christus apostolis potestatem clavium dedit, sic magistratui suam potestatem & jus inviolatum reliquit, *quando caesari, quae sunt caesaris, dare* jubet. Matth. XXII. 21. 3.) Distinguitur Christi regnum, ad quod potestas clavium pertinet, ab imperiis mundanis, quæ gladio corporali in administratione utuntur; interim tamen eadem haudquaquam abolet. Reliquæ argumentatiunculæ ex his, quæ dicta sunt, facilem habent explicationem.

§. LXXV. II.) *Anabaptistis* admodum adfines sunt recentiores *Photiniani*, (*) (si non eamdem cum

II.) *Photinianorum.*

(*) *Photinianos* veteres nomen suum accepisse a Photio, Sirmiensi antistite, qui A. CCCXLIII. errores suos inter christianos spargere coepit, ac peculiarem sectam condidit, nemo est, qui ignoret. Statuerunt isti hæretici, Christum ex Spiritu S. & virgine Maria natum esse, adeoque fuisse hominem, eundemque plane extraordinarium, siquidem emissio quædam divina, seu radius divinitatis, quem *verbum* vocabant, se eidem adjunxerit; atque ob hanc ipsam *verbi* cum homine Jesu conjunctionem eum *filium* Dei adpellari; Spiritum vero sanctum divinam quandam virtutem esse, non personam contenderunt. Horum errores seculo XVI. recoxerunt *Sociniani*, ab illustri *Sozzinorum* gente, quæ *Senis*, celebri Hetruriæ urbe, longo tempore floruit, speciatim a Lælio & Fausto Socino ita nuncupati. Hi quippe christianorum de tribus in Deo personis doctrinam divinamque servatoris nostri naturam aut negarunt prorsus, aut eandem plurimum infirmare atque labefactare adlaborarunt. Licet vero in eo, quod ad dogma primarium de une Deo patre attinet, *Sociniani* cum antiquissima *Photinianorum* secta unam eandemque adoptaverint sententiam, hocque respectu *Photinianorum* nomine recte insigniantur, adjunxerunt tamen successu temporis suo systemati alia quoque dogmata, de quibus in historia veterum Photinianorum nullum deprehendimus vestigium. Huc referimus, præter alia, magnam partem disciplinæ moralis, quam tradunt, in qua hoc singulare habent, quod jurare & injurias aliorum depellere vetant, atque in doctrina de magistratu politico ejusdemque potestate a recto veritatis tramite plurimum abertant. Admittunt quidem, christiano licitum esse, magistratus munere fungi, hacque in re ab *Anabaptistis* dissentiunt; sed negant tamen, eundem posse ullos flagitiosos, speciatim fures, capitali supplicio adficere, aut bella gerere, quemadmodum nec christiano ad injurias vindicandas magistratus opem implorare liceat. Hanc genuinam Socinianorum esse sententiam, tum ex *catechesi Racoviensi*, tum ex scriptis Socini ac Smalcii supra §. LXXVII. luculenter comprobavit Gerhardvs. Adjungimus auctoribus ab eo excitatis Ostorodvm, in *institut. germ. cap. XXVI. f. 168. cap. XXVII. f. 178. cap. XXVIII. fol. 185.* Volkelivm *libr. IV. de verit. relig. cap. XVI. fol. 255.* Schlichtingivm *contra Meisnerum in duabus quaest. f. 338. seqq. 374. seqq. &* Wolzogenivm *tom. I. oper. fol. 241. seqq. tom. II. oper. f. 288. tom. III. fol. 93. 112. 117.*

Quum, ut modo diximus, de *Photinianis*, qui seculo IV. puriorem christianorum cœtum turbarunt, nihil ejusmodi legatur in monumentis veterum, recte exinde colligi potest, systema eorum ab hodierno, quod efformarunt Sociniani, prorsus fuisse diversum, adeoque ingens inter Photinianos antiquiores ac recentiores discrimen intercedere. Egregie hoc observavit C. W. F. Walchivs, celeberrimus Goettingensium theologus, qui sequentem in modum scribit: *Es haben einige neuere Gelehrte sich durch Uebertreibung der sonst wohlgegründeten Uebereinstimmung des* Socinianischen *Lehrbegrifs mit* Photini *Irrtümern verleiten lassen, den lezteren auch andere der ersten Parthei eigenthümliche Lehrsæze anzudichten, welches zwar freilich ein sehr leichter Fehltritt ist, aber allemal ein Fehltritt bleibt, da die gemeldete Gleichheit billig auf die Lehre von der Dreieinigkeit und der Person Christi eingeschrænket werden muß, wenn dabei, wie billig ist, nichts angenommen werden soll, als was einen erweislichen historischen Grund hat.* Vid. ejusdem *Entwurf einer vollstændigen Historie der Kezereien, part. III. p. 38. seqq.*

Cæterum errores, quos Sociniani in hocce argumento adoptarunt, confutarunt ex nostris, præter Gerhardvm, in *loco de conjugio*, quem adnotationibus nostris heic illustramus, itemque in *synops. neophotin.* §. XXV. *fol. 1039.* Josva Stegmannvs in *antiphotinianismi disput. LIV qu. 1. ad 3. fol. 621. 633.* Balthas. Meisnervs, in *consid. brevi theol. Photin cap. III. f. 170—241.* Jac. Martini, in *synops. Photin. cap. XIII.* §. XII — XXV *fol. 354. seqq.* Justvs Fevrbornivs in *anti-Ostorodo* repetitis vicibus edito, *disp. XXIV. f. 309. disp. XXVI. & XXVII. fol 405. 421.* Abrah. Calovivs in *Socin. profligat. S. IX. art. V. f. 979 — 1004.* ut & in *der Entdekung der Socinianischen Secte libr. IX. cap. V. qu. 1. 4. f. 504 — 507. cap. VI. qu. 2. f. 510.*

cum illis hæresin amplectuntur) qui verbis quidem profitentur, se honorifice de magistratu sentire; (*) re ipsa interim potestatem & auctoritatem ejus labefactant. Catechismus Racovienſis Latinus p. 136. fatetur, *magistratum esse a Deo*, & concedit, *posse hominem christianum gerere magistratum*; sed addit hanc cautionem & limitationem, *modo in illo capessendo & administrando ita se gerat, ne quid contra leges & mandata Christi delinquat*, cujus limitationis quis sit sensus & effectus, patebit ex sequentibus: p. 165. commendat *officium subditorum erga magistratum & magistratus erga subditos*. p. 170. & 171. *licere*, inquit, *per magistratus jure agere, & injurias persequi, ita tamen, ut absit ultio*. Id vero quomodo accipiendum sit, patet ex Socino in lib. quod evangelici Photinianis se adjungere debeant cap. 3. p. 23. ubi inter ea, *quae cum Christi praeceptis pugnantia in religione evangelicorum concedi conqueritur*, etiam hoc refert, *quod apud ipsos permittitur, ut quis injurias suas per magistratum ulciscatur, id est, eum puniri curet, qui injuriam sibi intulit, licet ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse probe intelligat; nisi quatenus suam injuriam hac ratione vindicatam sit visurus, seque non inultum esse sensurus*, quod *pugnare* dicit *cum verbis Christi* Matth. V. *in quibus per magistratum injurias nobis illatas ulcisci prohibeamur, quod tamen Moses concesserat, vel potius jusserat*. Ossorodius in instit. cap. 28. p. 182. docet, *magistratum esse a Deo, eique in omnibus parendum, quae non pugnant cum expresso Dei verbo, ita quidem, ut si maxime aliquid praeceperit Deo contrarium, tamen nefas sit excitare seditionem*. p. 183. concedit, *christianum posse gerere magistratum & esse regem*; sed addit, *modo nihil faciat contra mandata Christi*. Quid vero cum mandatis Christi pugnare statuat, patet ex subsequentibus: p. 185. monet, *praecepta Christi non permittere ulli hominum adimere vitam, ideo nec magistratum effusione sanguinis in malefactos & facinorosos animadvertere debere*: (quod ipsum etiam anabaptistæ docent, ut ex colloq. Franckenthalensi adparet) p. 178. *bellum* simpliciter improbat, *& bona conscientia a magistratu geri posse* negat. p. 168. negat christianos in judicio experiri posse: *quod de imploratione magistratus diximus*, inquit, *non intelligimus, nisi de illis, qui foris sunt, hoc est, qui non sunt fratres nostri, sive consortes fidei; nefas enim est christianum agere contra fratrem coram fratre*, quod p. 169. ex 1. Cor. VI. probare nititur. Smalcius contra D. Franz. disp. poster. VI. in Aug. confess. p. 387. concedit, *licere magistratum gerere*; licere etiam homini christiano *judicia exercere*, hoc est, apud judicem adcusare, sese excusare, dicere & exsequi sententias in omnibus causis; addit vero eamdem cautionem; *ne quid committatur adversus leges Christi, & maxime adversus regalem legem caritatis, ne quidquam fiat, quod vindictam sapiat, ne denique sint graviores poenae sub novo fœdere, quod est tempus gratiae, quam olim erant sub veteri: quod erat tempus timoris*. Id quod p. 389. sic declarat, *non licere christiano magistratui sanguinem humanum fundere, cum hac ratione simul etiam vita aeterna tales privari plus sit quam verisimile, quo nihil magis caritati, quam proximo debemus, sub nov. test. contrarium esse queat*. p. 393. negat, licere *bella gerere*, idque indignum christiana pietate etiam contendit. In refut. disput. VII. D. Franz. de bonis operibus, p. 237. disputat, *in nov. test. omnem omnino vindictam, non solum privatam,*

& Scherzervs in *colleg. Anti-Socin. disp. CXXX ad CXXXVIII f. 2052. 1123.* Vt alios, maxime scriptores systematicos, haud memoremus. Hisce adjungimus ex ecclesiæ Reformatæ doctoribus Jo. Hoornbeekivm in *Socinianismo confutato tom. III. libr. IV. de magistr. christian. f. 443. — 474.* & Sam. Maresivm in *hydra Socinianismi expugnata, tom. II. libr. IV. cap. XVI. f. 597. seqq.*

(*) Piscrius in resp. ad X. rat. Camp. p. 126. *Divitias quaedam est regum dignitas, primo secundum Deum honore adficienda, non ad tam vilissima famulantium officia* (ad frena, stapedes, sellas, pelves, paropsydes pontifici exhibendas) *adiganda.* Gerhardvs.

vatam, sed etiam publicam, quae per magistratum exercetur, esse prohibitam. Ex quibus omnibus sic concludimus: Qui negant proprium magistratus officium, illi potestatem & auctoritatem magistratus labefactant: sed Photiniani negant proprium magistratus officium. Ergo. *Adsumtum* probatur; negant enim magistratui licere: 1.) fontes & maleficos gladio punire juxta leges, 2.) bello vindictam exercere adversus publicos hostes, qui legibus & judiciis sese coerceri non patiuntur, 3.) officium judicandi exercere in fratres, sive fidei consortes, 4.) injuriam alteri ab altero illatam in subditis vindicare. Si magistratui auferantur gladius & arma, erit inane quoddam terriculamentum. Quibus vero argumentis hanc suam opinionem probent, dicetur inferius in cap. de officio magistratus.

III.) *Weigelii.* §. LXXVI. III.) Photinianorum vestigiis insistit *Weigelius*, (*) enthusiasta & Schwenckfeldista, qui itidem in magistratus potestatem & officium est injurius, dum improbat *capitalia supplicia* fontibus irrogata, uti & *bella* pro religione, vel regione gesta. Sic enim scribit in postill. explic. evang. dominicæ XXII. post Trin. p. 329. *Wiltu meynen, daſs die Gliedmaſſen der heil. Kirchen Chriſti umb den Glauben und zeitliche Güter fechten? O das ſey ferne, nur die* membra falsæ ecclesiæ *die rächen ſich ſelber, die tædten, kriegen, morden, umb Land und Leute, &c. Das ſind nicht die Gliedmaſſen der Kirchen, die den Glauben mit Krieg, Mord, Schwerd vertheidigen, wære es recht, Chriſtus und ſeine Apoſteln wæren nicht wie ein gedultig Lamb in den Tod ans Creutz geſchlagen, ſie hætten auch Gewalt gebraucht, und die Herrſchafften um Hülffe angeſchryen.* p. 330. *Die Gliedmaſſen der falſchen Kirchen halten den* Processum juris, *nicht den Chriſtus gibt, fragen* Justinianum *darumb, ob man den Dieb hencken ſoll, den Sünder tædten? Er als ein Heyde ſpricht das Urtheil, ja man ſoll das thun, und GOtt nicht folgen, der da nicht des Sünders Tod wolle, ſondern man muſs das bæſe ſtraffen, meynen die Sünde wære durch Leibesſtraffe hinweg genommen, es iſt aber weit gefehlet.* p. 332. *ſtraffen magſt du das Bæſe, du ſeyeſt geiſtlich oder weltlich, nach dem* Proceſs juris Matth. XVIII. *aber dem Sünder ſolt du das Leben nicht nehmen, iſt GOtt der allmæchtige HErr und Kœnig barmherzig: was wollen ſich dann ſeine Befelchhaber die Obrigkeit zeihen anders zu ſeyn denn ihr HErr.* In explic. evang. die viridium p. 48. *Mit der Rede vom Fuſswaſchen führet uns Chriſtus zur wahren rechten* Jurisprudentia, *daſs wir Juriſten ſeyn nach dem newen Teſtament, und legen nieder das gantze Recht* Justiniani, *als heydniſch &c. den Sünder tædten, iſt heidniſch, nicht chriſtlich gehandelt, und iſt wider das Licht der Natur, der Heyde* Justinianus *will das Bæſe ſtrafen mit dem Strange, Schwerdt und Fewer, Chriſtus will den Sünder bekehret haben, &c.* ubi repetimus argumentum: Negato magistratus officio potestas & auctoritas magistratus labefactatur. Sed negato eo, quod possit magistratus subditos suos bello adversus hostes defendere & suppliciorum capitalium exsecutione pacem externam tueri, ac civilem justitiam adserere, negatur proprium magistratus officium.

(*) Valentinus Weigelius, de quo heic disserit Gerhardus, erat pastor *Tzschopaviensis* in Misnia, ubi & errores suos fanaticos disseminare coepit. Eum multa ex Theophrasto Paracelso hausisse, inter omnes constat, & res ipsa dubitare finit neminem. Nec tamen negari potest, eundem ex scriptis quoque Thomæ Münzeri, Casparis Schwenkfeldii, nec non aliorum fanaticorum subinde professe. Conferre de eo juvabit Ehregott Danielem Colbergium in *dem hermetiſch-platoniſchen Chriſtenthum, libr. I. cap. IV. p. 205. ſeqq.* atque Godofr. Arnoldum in *der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie, part. II. libr. XVII.* Mortuus est Weigelius in vico Tzschopau, ubi, ut modo observavimus, pastoris munere functus est, anno MDLXXXVIII. Scripta illius demum post ejus obitum, cura, ut traditur, *Weickarti*, cantoris in isto vico, lucem adspexerunt publicam. An ea omnia debita fide fuerint edita, immo germana, non sine ratione dubitant nonnulli, licet Weigelii nomen in titulo ferant. Vid. Jo. Diecmanni *deutſche Schriften p. 201. ſeqq.* Add. *die unſchuldige Nachrichten 1715. p. 22. ſeqq. 1075. 1076.*

IV.) *Methistarum.*

cium. Ergo. IV.) Novi chiliastæ(*) ac *Methistae* (**) exspectant seculum aliquod novissimum, quod vocant Spiritus sancti, in quo magistratum omnem sperant abolitum iri, & sublatis impiis Christum in his terris visibiliter inter pios regnaturum per mille annorum decursum.

Porisma 2.) Magistratus potestas & officium omnibus debent esse sancta & augusta.

§. LXXVII. *Posterius* porisma est: *Magistratus potestas & officium, utpote divina, ab omnibus debent haberi sancta & augusta.* I.) *Pseudoapostoli* pugnant cum hac adsertione orthodoxa, quos Petrus & Judas sic describunt, quod fuerint κυριότητος καταφρονηταί, quod βλασφημοῦντες δόξας οὐ τρέμουσι 2. Petr. II. 10. κυριότητα ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσιν Judæ v. 8. quibus Judas hoc opponit, *quod ne angelus quidem Michael voluerit sibi hoc sumere, ut malediceret diabolo*, ergo multo minus magistratui esse maledicendum. Ex 1. Petr. II. 16. colligitur, tempore apostolorum quosdam sub prætextu libertatis christianæ obedientiam magistratui denegasse, quibus Petrus hoc opponit, quod libertas non debeat esse ἐπικάλυμμα τῆς κακίας, *velamen malitiae.* II.) *Manichaei*, qui civiles magistratus & politias damnabant, ut quæ a deo malo conditæ & constitutæ sint, unde etiam bellum gerere illicitum esse dicebant, & Mosen reprehendebant, quod bella gessisset. Augustinus lib. XXII. cont. Faustum cap. 74.

Centh.

(*) Per *novos chiliastas* ii procul dubio heic denotantur, qui recentiori ævo post THOMAM MÜNZERVM sociosque Monasterienses, eandem cum iis adoptarunt sententiam, seque fanaticismi vitio corruptos prodiderunt. Ex horum hominum ordine noti sunt VALENT. WEIGELIVS, de quo in præcedenti nota nonnulla diximus, JAC. BOEHMIVS, PAVLLVS FELGENHAVERVS, QVIRINVS KVHLMANNVS, ÆGIDIVS GVTHMANNVS, aliique plures, regnum quoddam mille annorum fingentes, a quo felicissimum vitæ hujus statum, cumprimis vero liberationem a magistratus civilis potestate sperare liceat. Hos post GERHARDI tempora ingenti caterva sequuti sunt ii ex fanaticis, qui Anglorum sermone *Quakeri*, latine *Tremontes*, seu *Tremuli* vocantur. Hi quippe eandem cum Chiliastis tibiam inflant, licet, invidiæ fortassis evitandæ caussa, parum hac de re in scriptis suis loquantur, prout ipsius ROBERTI BARCLAII, principis inter Quakeros atque omnium eruditissimi exemplum nos condocet: Notatu tamen dignus nobis videtur iste BARCLAII locus, ubi Quakerorum de magistratu civili sententiam sequentem in modum edisserit: „Eos, etsi christianorum titulum „propter publicam Christi nominis professionem iis „non negent, confidenter tamen adfirmare posse, a „perfectione religionis christianæ longe eos abesse, „nondum ad parum, patientem & tolerantem spiri„tum pervenisse, immo nondum in illis resurrexis„se illum spiritum, quo a rudimentis antiquis judai„cis liberarentur.„ Vid. ejus *apologiam theologiae vere christianae*, primum anglice scriptam, postea latine redditam, atque Amstelodami MDCLXXVI. 4. primum editam, lapsusque recusam, quin & in varias Europæ linguas conversam, *thes. XV. §. XV.* Prætermittimus alios, eosque recentiores chiliastas, veluti HENR. MORVM, JOSEPH. MEDVM, aliosque ex scriptoribus maxime Anglis, itemque ex nostris JO. GVIL. PETERSENIVM, qui inter recentissimos chiliasmi defensores principem sibi vindicat locum. Neque enim instituti nostri patitur ratio, ut in campum hunc amplissimum jam excurramus. Evolvat, cui volupe est, auctores, qui de chiliastis data opera egerunt. Brevem eorum historiam exhibent JO. GVIL. BAIERVS in *dissert. de regno ecclesiae glorioso per Christum in his terris erigendo*, quæ exstat in *decad. prima dissertat. theolog.* FRIDR. VLR. CALIXTVS in *tractat. theolog. de chiliasmo cum antiquo, tum pridem renato*, JO. FRANC. BVDDEVS in *institut. theol. dogmat. libr. II. cap. III. §. 30. p. 684.* itemque GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS, in *breviario controvers. cum Enthusiastis & Fanaticis p. 238. seqq.* Eos vero, qui de chiliasmo scripserunt, recensent CASP. SAGITTARIVS in *introduct. in histor. ecclesiast. p. 910.* JO. ANDR. SCHMIDIVS in *Sagittarianae introd. in hist. ecclesiast. tom. II. p. 670. seqq.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *introduct. in hist. theolog. litterar. part. I. p. 116.* nec non JO. GEORG. WALCHIVS in *biblioth. theolog. selectae tom. II. p. 803. 813. seqq.* Cæterum recentissimis chiliastis accensendus quoque est PETR. POIRETVS, qui eundem errorem *libr. IV. œcon. div. cap. XII. seqq.* ex instituto defendit, eundemque, cum BOVRIGNONIA sua, novis commentis incrustare adnisus est.

(**) *Methistae* dicti fuerunt isti fanatici ab EZECHIELE METH, quem alii *Meden*, alii autem *Metem* vocabant. Ipse nomen ELIÆ SIONIS aliquandiu adsumsit, atque inter discipulos PARACELSI & WEIGELII referri solet.

Centuriæ Magdeb. eccleſ. III. cap. de hæreſ. col. 115. III.) *Donatiſtae*, qui magiſtratuum auctoritatem tollebant, & odio illius ordinis varias perſecutiones a magiſtratibus contra Dei eccleſiam factas recenſebant. Vide Auguſtinum epiſt. L. ad Bonifac. IV.) Quamvis vero hæ opiniones in ſuis auctoribus ab eccleſia catholica fuerint damnatæ, tamen aliquid ex illis adhæſit etiam quibusdam in eccleſia epiſcopis, quo minus honorifice de magiſtratus officio & auctoritate ſentirent. Nam in concilio Eliberitano in Eliberide, Hiſpaniæ urbe, anno Chriſti 305. ſub Marcello I. celebrato can. LVI. tale decretum factum fuit: *Magiſtratum eo anno, quo agit duumviratum, prohibere placet, ut ab eccleſia ſeſe cohibeat.* In concilio Rom. anno 324. ſub Sylveſtro I. celebrato can. XVI. ſic decernitur: *Nemo clericus, vel diaconus, aut presbyter propter cauſam ſuam quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia a cruore dicitur, & immolatio ſimulacrorum eſt. Quoniam ſi quis clericus in curiam introierit, anathema ſuſcipiat, nunquam rediens ad matrem eccleſiam.* In qua ſynodo patres 284. conveniſſe notat Severinus Binius tom. I. concil. p. 304. In concilio Conſtantinopolitano VIII. ſub Adriano act. VIII. can. 14. prohibentur epiſcopi *accedere menſas principum ſecularium*; id ſi eo ſpectet, ne epiſcopi frequentando menſas principum adſuefcant luxui, qui plerumque illis ſolet eſſe familiaris, neve quotidianis conviviis ab operibus ſui officii ſeſe abſtrahi patiantur, utique illud probamus: ſed ſi abſolute & ſimpliciter prohibetur epiſcopus menſas principum accedere, illud utpote in ſtatum principum injurium adprobari non debet. V.) *Anabaptiſtae*, cum negent chriſtianum poſſe officio magiſtratus bona conſcientia fungi, in divinam hanc ordinationem maxime ſunt injurii.

Quomodo pontifices honorem magiſtratus labefactent?

§. LXXVIII. VI.) Sed & *pontificii*, licet civili magiſtratui, utpote Dei ordinationi, honorem atque obedientiam jure divino deberi verbis fateantur, re ipſa tamen ipſi quoque ejus auctoritatem & poteſtatem oblique labefactant, dum 1.) Pontifici tribuunt ſupremam in imperatorem, reges & principes poteſtatem, & quidem talem, qua ex ſolio ipſos dejicere poſſit, ſi placitis ejus obſequi nolint, qua de re paulo poſt plenius dicetur. 2.) Epiſcopos & omnes clericos poteſtati magiſtratus politici eximunt, unde jeſuitæ ne illis quidem principibus *juramentum fidelitatis* præſtare volunt, in quorum ditione vivunt, quorumve defenſione fruuntur, qua de re inferius in cap. de ſubditis plura dicentur. 3.) Docent, magiſtratum eſſe ejusmodi ſtatum, in quo difficulter aliquis ſalvari poſſit, unde perſuadent magiſtratui, ut officio ſuo, ad quod divinitus vocatus eſt, abdicato monaſterium religionis ergo ingrediatur, id quod multis exemplis demonſtrari poteſt, inde Lutherus in apologia cont. Georgium, ducem Saxoniæ, quæ exſtat tom. VI. oper. german. ſtatim in principio vere gloriatur, auctoritatem & dignitatem magiſtratus, in papatu a pontifice & ipſius epiſcopis conculcatam, a ſe iterum eſſe aſſertam: *Wann ich* D. Martinus *ſonſt nichts guts gelehrt, noch gethan hätte, dann daſs ich das weltliche Regiment, oder die Obrigkeit ſo erleuchtet und gezieret habe, ſo ſollten ſie doch dieſes einigen Stücks halben mir dancken und günſtig ſeyn, weil ſie alleſamt, auch meine ärgſte Feinde wohl wiſſen, daſs ſolcher Verſtand von weltlicher Obrigkeit unter dem Bapſtthumb nicht allein unter der Bank gelegen, ſondern auch unter allen ſtinkenden laufigen Pfaffen und Münch- und Bettlerfüſſen hat müſſen ſich drücken und tretten laſſen, dann ſolchen Ruhm und Ehre habe ich von GOttes Gnaden davon, es ſey dem Teuffel und allen ſeinen Schuppen lieb, oder leyd, daſs ſeint der Apoſtel Zeiten kein Doctor, noch Scribent, kein Theologus, noch Juriſt ſo herrlich und klärlich die Gewiſſen der weltlichen Stände beſtätiget und unterrichtet und getræſtet hat, als ich gethan habe durch ſonderbare Gnade GOttes, das weiſs ich fürwahr, denn auch Sanct Auguſtinus, noch Ambroſius, die doch die beſten ſind in dieſem Stück, mir nicht gleich hierinnen*

ſind, deſs rühme ich mich GOtt Lob und Dank, dem Teuffel und allen meinen Tyrannen und Feinden zu Leyd und Verdrieſs, und weiſs, daſs ſolcher Ruhm warhafftig und beyde für GOtt und der Welt muſs bekannt ſeyn und bleiben, ſollten ſie auch toll und thœricht darüber werden. Quo pertinet, quod ſuperius §. III. de Friderico ſapiente, electore Saxoniæ, commemoravimus, qui cum legiſſet ſcriptum Lutheri de magiſtratu, quod exſtat in ſecundo tomo operum, præ lætitia exſultans ſublatis in cœlum manibus Deo gratias egit, quod ex ſacris literis jam cognitum & exploratum teneat, ſe eſſe conſtitutum in ejusmodi ſtatu ac ordine, qui Deum auctorem habeat, & in quo bona conſcientia verſari, Deoque placere poſſit. Nec probari poteſt, quod in papatu eccleſiaſticæ perſonæ, ſacerdotes, monachi, moniales &c. ſibi ſolis nomen *ſpiritualium, der Geiſtlichen*, arrogent, reliquos vero chriſtianos omnes & ipſos magiſtratus adpellent *mundanos, die Weltlichen*; cum tamen omnes illi, qui Spiritu Chriſti reguntur & aguntur, ſint ſpirituales, ſi & rem ipſam & phraſin ſcripturæ ſpectare velimus Rom. VIII. 14. 1. Cor. II. 15. Gal. VI. 1. &c. quando illi, qui magiſtratum geſſerunt, relicto ſuo officio, intrant monaſterium, tum dicunt eos mundum deſerere, & divino cultui ſeſe mancipare, quaſi vero illi, qui magiſtratu funguntur, non Deo, ſed mundo ſerviant. 4.) Magiſtratum a cura conſtituendæ religionis in univerſum rejiciunt, ut inferius videbimus. 5.) In judiciis canones præferunt imperatoriis legibus, ſupplicia in clericos facinoroſos a magiſtratu exerceri poſſe negant &c. qua de re ſuo loco plura.

Quæſtiones de cauſa efficiente principali magiſtratus.

1.) An etiam ethnicus magiſtratus ſit a Deo?

§. LXXIX. Antequam vero a cauſa *efficiente* principali deſcendamus ad cauſam *inſtrumentalem*, explicandæ prius ſunt aliquot quæſtiones: Quæritur I.) *An etiam ethnicus & haereticis opinionibus imbutus magiſtratus ſit a Deo?* Negant anabaptiſtæ, ſed contrarium demonſtrant: 1.) *Dicta ſcripturae generalia*, quæ teſtantur omnem omnino magiſtratum, ſive ethnicus ſit, ſive chriſtianus & veræ religioni addictus, eſſe a Deo. Rom. XIII. 1. *Non eſt poteſtas, niſi a Deo, quae vero eunque ſunt poteſtates, a Deo ordinatae ſunt.* 1. Petr. II. 13. *Subditi eſtote omni humanae creaturae propter Dominum.* Huc pertinent dicta omnia ſuperius enumerata, quæ absque ulla limitatione docent, *Deum removere & ſtabilire reges, a Domino datam eſſe regibus & principibus poteſtatem.* 2.) *Dicta ſpecialia*, quæ oſtendunt, etiam ethnicos magiſtratus eſſe a Deo ad imperium evectos. Jud. II. 14. *Tradidit Deus Iſraelitas in manus gentium, quae diripuerunt eos, & vendidit eos in manibus hoſtium ſuorum, qui habitabant per gyrum.* Tempore eo, quo Chriſtus & apoſtoli in novo teſt. docebant, nulli erant imperatores & reges, niſi infideles, nihilo tamen minus ipſis, utpote divinitus ad imperium evectis obedientiam & honorem præſtare jubent: Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 4. 1. Pet. II. 13. &c. 3.) *Exempla ſpecialia*, quæ id ipſum comprobant: Jud. III. 8. *Iratus Dominus contra Iſrael vendidit eos in manus Chuſan-raſathaim, regis Meſopotamiae, ſervieruntque ei octo annis.* v. 12. *Deus confortavit adverſus Iſraelitas regem Eglon, regem Moab.* c. IV. 2. *Tradidit illos Dominus in manus Jabin, regis Canaan.* cap. VI. 1. *Tradidit illos Dominus in manus Midianitarum.* c. X. 7. *Iratus Dominus contra Iſraelitas tradidit eos in manus Philiſtiim & filiorum Ammon &c.* at illi omnes fuere ethnici & idololatræ. Eſa. XLV. 1. de Cyro, Perſarum rege, dicit Dominus: *Ego adprehendi dextram ejus, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes.* Jer. L. 44. de eodem dicitur: *Quis erit juvenis, quem praeponam ei?* Nabuchodonoſor erat rex gentilis & idololatra peſſimus; interim tamen de eo dicit Dominus: Jer. XXVII. 6. *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor, regis Babylonis, ſervi mei*; & Dan. II. 37. inquit Daniel ad eum: *Tu rex regum es, & Deus cœli regnum, & facultates, & potentiam, & gloriam dedit tibi*; ac Deus eum vocat *ſuum ſervum.* Jer. XXV. 9.

Haſael

Hasael, homo ethnicus, mandato ipsius Dei a propheta Elia ungi jubetur in regem Syriæ. 1. Reg. XIX. 15. 2. Reg. VIII. 13. A quibusdam huc refertur exemplum Pilati, præsidis Romani gentilium superstitionibus addicti, de quo Christus dicit: *Non haberes potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper*; Joh. XIX. 11. sed de genuino hujus dicti sensu egimus in harmonia. 4.) Quemadmodum alia *bona corporalia* sunt ethnicis & fidelibus communia, nec desinunt esse Dei dona & munera, si quando ethnicis conceduntur; ita quoque de potestate magistratus judicandum, quod non desinat esse Dei donum & munus, si obtingat ethnicis & infidelibus: inde in scripturis sacris conjunguntur ea, quæ ad articulum creationis & providentiæ pertinent, jam vero distributio imperiorum pertinet ad divinæ providentiæ opera, quæ sunt ecclesiæ & gentilibus extra ecclesiam communia. Jer. XXVII. 5. inquit Dominus: *Ego feci terram & homines & jumenta, quae sunt super faciem terrae in fortitudine mea magna & in brachio meo extenso, & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis.* v. 6. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor.* Act. XVII. 24. *Deus, qui fecit mundum & omnia, quae in eo sunt*, v. 26. *fecit ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum* (ad illos habitationis terminos pertinet distinctio dominiorum & concessio regnorum.) 5.) Huc pertinent *dicta veterum*: Tertullianus in apol. cap. 33. p. 61. *Noster est magis caesar, ut a Deo nostro constitutus.* Augustinus libr. V. de civ. Dei cap. 21. *Qui dedit imperium Constantino christiano, ipse etiam apostatae Juliano.* Constantius arianismo infectus erat, eidem tamen Hosius in epist. Athanas. ad solit. vit. agent. scribit: *Tibi Deus imperium commisit, nobis, quae sunt ecclesiastica, concredidit. Qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae.* Hilarius in libr. contra Auxent. vocat eum *sanctum imperatorem*, non ratione religionis, seu fidei, sed divinæ ad imperium evectionis. Vsus hujus quæstionis monstrabitur inferius in part. II. de officio subditorum.

2.) *An etiam impius magistratus sit a Deo?*

§. LXXX. Quæritur II.) *An etiam impius magistratus sit a Deo?* Adfirmamus contra anabaptistas, 1.) Ex dictis *generalibus*, quæ omnem omnino potestatem a Deo esse adfirmant. 2.) Ex dictis *specialibus*: Job. XXXIV. 30. *Regnare facit Deus hominem hypocritam, propter offendicula populi*, (*) Esa. III. 4. *Dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.* Ezech. VII. 11. *Facit, ut violentus consurgat, & sit virga impietatis.* 3.) Ex specialibus *exemplis*. *Saul*, primus Israelitarum rex, degenerabat ab integritate, & Spiritus Domini ab eo recedebat; nihilo tamen minus a Davide vocatur *unctus Domini.* 1. Sam. XXIV. 7. *Jeroboamus* sua idololatria peccare faciebat Israel, Deus tamen per prophetam Ahiam ipsi nunciari curat: 1. Reg. XI. 37. *Eris rex super Israel*; & c. XIV. 7. *Exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel*, v. 8. *& scidi regnum domus David, & dedi illud tibi.* 4.) Ex *rationis paritate.* (**) Quemadmodum servi jubentur esse *subditi in omni timore* suis heris, τοῖς δεσπόταις, non solum bonis & mansuetis, sed etiam σκολιοῖς, difficilibus: 1. Petr. II. 18. ita quoque subditi non solum piis & clementibus magistratibus, sed etiam impiis obediant, in rebus scilicet externis & corporalibus, quæ absque violatione legis & gloriæ divinæ præstari

(*) Hebræus textus habet מִמְּלֹךְ אָדָם חָנֵף מִמֹּקְשֵׁי עָם Pagninus: *Eo quod regnat homo impius, eo quod sunt laquei populi.* Arias Montanus: *a regnando hominem hypocritam ab offendiculis populi.* GERHARDVS.

(**) De Cyro Esa. XLV. 1. dicit Dominus: *Adprehendi dextram ejus, ut subjiciam illi gentes, & dorsa regum discingam, & aperiam coram eo januas.* Jer. XXVII. 6. de Nabuchodonosore: *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, servi mei.* GERHARDVS.

stari possunt *propter Dominum*. Quemadmodum ecclesiasticum ministerium non desinit esse Dei ordinatio, si ministri fiant impii: sic magistratus non desinit esse sancta Dei ordinatio, si magistratus fiat impius. Quemadmodum parentes non desinunt esse parentes, si vel maxime sint duri & austeri; *quamvis legum contemtor, quamvis impius, tamen pater est*, inquit Justinianus §. *Si vero*. Novell. 12. sic magistratus non desinunt esse magistratus, si vel maxime sint impii & mali. 5.) Huc pertinent *dicta veterum*: Irenæus lib. V. adverss. hæres. cap. 20. p. 347. „Quidam regum ad „correctionem & utilitatem subditorum dan„tur a Deo & conservationem justitiæ, quidam „ad timorem & pœnam & increpationem, qui„dam autem ad illusionem & contumeliam & „superbiam, quemadmodum & digni sunt Dei „justo judicio in omnibus superveniente.„ Origenes homil. IV. in libr. judic. circa medium: „Non semper princeps populi per Dei arbitri„um datur, sed prout merita nostra depo„scunt. Si mali sunt actus nostri, & opera„mur malignum in conspectu Domini, dantur „nobis principes secundum cor nostrum. Et „hoc tibi de scripturis probabo. Audi nam„que quod Dominus dixit: „ Oseæ VIII. Fecerunt sibi reges, & non per me; & principem; & non per consilium meum. „Et hoc „dictum videtur de Saul illo, quem utique „ipse Dominus elegerat, & regem fieri jusse„rat, sed quoniam non secundum voluntatem „Dei, sed secundum peccatoris populi meri„tum electus erat, negat eum cum sua volun„tate, vel consilio constitutum.„ (*) Haymo episcopus Halberst. in Rom. XIII. „Sive bona, „sit illa potestas, sive mala, quicunque ei re„sistit, subtrahendo servitium ab ea, denegan„do tributum & honorem non præbendo, „quem ei debet præbere, Dei ordinationi re„sistit & dispositioni, cujus ordinatione illi „principiantur.„ Quod ergo Euaristus ep. II. ad episc. Ægypti de episcopis dicit: *pro meritis subditorum disponitur a Deo vita rectorum*, idem etiam de principibus dici potest.

§. LXXXI. Quæritur III.) *An etiam tyrannus sit a Deo?* Duo sunt tyrannorum genera, quidam *occupatione*, quidam *administratione*. Bartoldus in tract. de tyrann. illos vocat tyrannos *in titulo*, hos vero *in exercitio*. Illi sunt, qui tyrannica & injusta aliorum oppressione imperium sibi adquirunt; hi, qui imperium legitime adquisitum tyrannice administrant. Tyranni in titulo duplex est origo, vel enim *extrinsecus* advenit, vel in ipsa republica e civibus nascitur & imperium sibi contra jus & æquum vindicat. Quod adtinet tyrannos in *exercitio*, sive administratione tantum tales, in illis potestas a potestatis abusu, sive tyrannide est distinguenda; potestas ipsa est a Deo, ad quam etiam legitimis modis ac mediis sunt evecti; sed abusus potestatis, sive tyrannis ipsa non est a Deo, nec Deo probatur. Quod adtinet tyrannos *occupatione*, illorum potestas non est legitima, nec Deus eam constituit, nec probat; interim tamen etiam hi tyranni sunt a Deo, scilicet permittente & justo judicio peccata subditorum puniente, sicut etiam immittit Deus morbos, pestem & omnis generis adversa, quibus peccata hominum punit. Quemadmodum igitur morbi a Deo immittuntur, nec tamen Deo adversum est, medicamentis uti contra morbos; sic tyranni a Deo in pœnam subditorum mittuntur, nec tamen

5.) *An tyrannus sit a Deo?*

(*) Armacanus libr. X. quæstionum Armenicarum cap. 4. docet *titulum præcipuum dominiorum esse gratiam Dei, sive justitiam & caritatem, alios autem titulos omnes in hoc fundari, & qui justitia & gratia Dei carent, nullum habere verum dominium.* Augustinus lib. V. de civ. Dei cap. 21. *Qui Mario imperium dedit, ipse etiam Cajo caesari, qui Augusto, ipse & Neroni; Qui Vespasiano, vel patri, vel filio, suavissimis imperatoribus, ipse etiam Domitiano crudelissimo.* Cedrenus memorat, *quemdam ex religiosis imperante Phoca Deum ad disceptationem provocare ausum conquestum esse, cur tam impium christianis imposuisset imperatorem? audivisse vero eum vocem, cum quidem neminem videret, sibi dicentem: deteriorem alium inveniri potuisse nullum, at hoc meruisse Constantinopolitanorum vitia.* GERHARDVS.

men Deus damnat illos, qui legitimo modo talibus tyrannis resistunt, ut infra latius demonstrabitur. Hoc loco probandum, etiam tales tyrannos non sine Dei providentia imperium occupare, id quod constat ex scripturæ tum dictis, tum exemplis. Ose. XIII. 11. *Dedi illis regem in furore meo.* Ergo etiam illi reges a Deo dantur, quos ex justa ira violentis mediis regna occupare permittit. Reges Moabitarum, Cananæorum, Ammonitarum &c. modis injustis & illegitimis subjiciebant sibi Israelitas; interim tamen Deus *in ipsorum manus* Israelitas tradidisse dicitur: Jud. III. 8. IV. 2. X. 7. Baasa, rex Israel, illicito conjurationis medio regnum sibi adquisiverat; 1. Reg. XV. 27. nihilo tamen minus per Jehu, prophetam, Dominus ad eum dicit: cap. XVI. 2. *Exaltavi te de pulvere, & posui te ducem super populum meum Israel.* De utroque tyrannorum genere habetur cap. *Neque enim &c.* 14. quæst. 5. ex August. „Nec tyrannicæ fa„ctionis perversitas laudabilis erit, si regia cle„mentia tyrannus subditos tractet. Nec vi„tuperetur ordo regiæ potestatis, si rex cru„delitate tyrannica sæviat, aliud est namque „injusta potestate juste velle uti, & aliud est „justa potestate injuste velle uti.„

4.) *An potestas magistratus dependeat a pontifice Romano?*

§. LXXXII. Quæritur IV.) *An magistratus ea ratione sint a Deo constituti, ut potestas ipsorum a pontifice Romano, tanquam Dei in terris vicario, ipsis sit concessa, & proinde ab ejus nutu & arbitrio dependeant?* Ita quidem volunt Romanenses, quorum hæc sunt emblemata: August. de Ancona in summa de ecclesiast. potest. quæst. 1. *Papa habet omnem regalem & imperialem potestatem in toto mundo.* Quæst 46. *Papa regibus tanquam suis vasallis suaeque potestati subjectis imperat, ut etiam possit eos instituere & destituere.* Franc. Bozius de temporali eccles. monarch. lib. I. cap. 1. *Temporalis potestas omni ex parte spirituali potestati est subjecta.* Ex quo concludit, *ut beneficia ecclesiastica, ita omnia regna esse papae mancipia.* Item: *beneficio pontificis & imperatorem, & septem electores imperii esse constitutos.* Panormitanus, Franciscus Aretinus & alii canonistæ docent, quod *papa jus utriusque gladii a Christo acceperit, atque adeo ipsum quoque imperium ab ecclesia dependere.* Restaurus Castaldus in tract. de imperat. quæst. 36. disputat, quod *imperator teneatur papae praestare juramentum fidelitatis & obedientiae*, & exstat formula juramenti, quod Otto I. Johanni papæ præstitit. cap. *Tibi Domino &c.* distinct. 63. *Sedis apostolicae est transferre imperium*, inquit pontifex cap. *Venerabilem* de elect. & elect. potest. *imperium ab ecclesia, hoc est, pontifice dependere*, disputant Lancell. in templ. omn. judic. lib. I. cap. 1. §. 2. quæst. 2. Hieronym. Gigas de crim. læs. majest. lib. I. rubr. qual. & a quibus crim. læsæ majest. committit. Nec longe ab hoc tramite absistit Bellarminus, quando lib. V. de Rom. pontifice cap. 7. sic disputat: „Potestas civilis subjecta est potestati „spirituali, quando utraque pars est ejusdem „reipublicæ christianæ. Ergo potest princeps „spiritualis imperare principibus temporalibus, „& disponere de rebus temporalibus in ordi„ne ad bonum spirituale, omnis enim supe„rior imperare potest suo inferiori.„ Et postea: „Potest spiritualis respublica imperare tempo„rali reipublicæ sibi subjectæ, & cogere ad „mutandam administrationem, & deponere „principes atque alios instituere, quando ali„ter non potest bonum suum spirituale tueri.„ Vi & vigore hujus potestatis, quam pontifex Romanus in imperatorem, reges & principes sibi arrogat, ac canonistæ & jesuitæ illi tribunt, sæpius eos e solio deposuit, subditos a juramento absolvit, & in ipsorum locum alios pro lubitu substituit. *Alexander III.* Fridericum barbarossam pede collo ipsius imposito calcavit, addens hunc sarcasmum: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.*(*) *Alexander V.* Vladislaum, regem Vngariæ, regno exuit. Platina

(*) Tam enorme est hocce sacinus atque inauditum, ut ex ipsis præsulis Romani sectatoribus haud paucos ejus pudeat. Vnde ex silentio scriptorum coævorum historiæ hujus fidem dubiam incertamque red-

Platina in Alexand. nec id mirum, cum regnum illud feudis ecclesiæ accensendum sit, docente Augustin. Steucho libr. de donat. Constant. *Gregorius VII.* Henricum IV. Canusii in Italia ante arcem inter duas portas media hyeme cum conjuge & filiolo a prima luce ad summam vesperam, laceris vestibus, nudis pedibus, jejuno stomacho exspectantem, genua flectentem, supplices manus tendentem, pro ludibrio & deridiculamento habuit, ipse interim in meretriciis complexibus hærens. Quamvis vero Bellarminus cap. præced. illud ita emolliat, ut summam illam potestatem non nisi *indirecte* pontifici competere asserat; nondum tamen probare potuit, talem vel *directam*, vel *indirectam potestatem* in imperatorem, reges ac principes pontifici competere, ac discedit hac in parte a canonistis & aliis pontificiis, qui *directe* eam potestatem pontifici competere statuunt, unde Sixtus V. Romanus pontifex ægerrime tulit hanc Bellarmini limitationem, & in bulla contra Henricum III. Franciæ regem expresse asseruit, *se supremam in omnes reges & principes universæ terræ cunctosque populos, gentes & nationes non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere;* ac si Barclaio credimus lib. de potestate papæ cap. 13. p. 101. *parum abfuit, quin omnia Bellarmini opera censura pontificia propter hanc ipsius assertionem fuerint abolita.* Alexand. Carrerius jurisconsultus Patavinus anno 1599. duos de potestate pontificis libros edidit, in quibus Bellarminum acriter insectatur, ac *papam non secus ac Christum ipsum, cujus sit vicarius, jure divino & directe totius orbis dominum esse, omnemque potestatem ecclesiasticam & politicam habere contendit.* Nos vanæ illi persuasioni opponimus dicta scriptu-

dere conantur. Nec desunt ex protestantibus, qui in eandem cum pontificiis descendunt sententiam hancque historiam ceu fabulosam explodunt. Quin tanti nonnullis visa est ista historia, ut in eandem scriptis hanc in rem editis inquirerent. Exstat Jo. Evec. Maii peculiaris dissert. *qua imper. Frid. Aenobarbum ab Alexandro III. pontifice pede non esse conculcatum ostendit*, Kilonii MDCCI. 4. Scripsit quoque Hevmannvs diss. historico-criticam de

ræ superius enumerata, quæ testantur imperatorem, reges & principes a Deo potestatem accepisse, quod autem ex pontificis manibus eam acceperint, vel in temporalibus ipsum superiorem recognoscere teneantur, id vero nusquam asserunt, Tertullianus in apolog. contr. gent. cap. 30. p. 59. *Sentiunt* (imperatores) *Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes deos &c.* Idem ad Scapulam cap. 2. p. 88. *Colimus imperatorem ut hominem a Deo secundum, & quidquid est, a Deo consecutum & solo Deo minorem.* Bellarminus contra Barcl. cap. 8. non potuit aliam glossam adferre, quam quod *Tertullianus loquatur de imperatoribus ethnicis, qui quia Christo nondum sceptra subjecerant, secundi merito a Deo in administratione rerum temporalium habebantur de facto*; quasi vero de facto & non de jure imperium obtineant cæsares ethnici, quasi vero christianissimi professio deteriorem reddat regum conditionem, & evangelium tollat politias. Ludovicus Bavarus imperator in constit. de potest. electi imperat. scribit: *Juris utriusque testimonia manifeste declarant, imperialem dignitatem & potestatem immediate a Filio Dei ab antiquo processisse*; ubi in alia respicit ad Novell. 6. Justin. in princ. *Maxima sunt in hominibus dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium & imperium, quae exuno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.* Atqui si hæ potestates ab uno dependent principio, altera non dependebit ab altera. Et paulo post: *Declaramus itaque, quod imperialis dignitas & potestas est immediate a solo Deo.* Anno Christi 1157. ab imperatore Friderico *mendacii*, imo *laesae majestatis*

Frid. Barbarossa *papae pedibus non subjecto.* Tacemus reliqua scripta, quæ recensuerunt Sagittarivs atque Schmidivs, modo a nobis laudati, *ille* quidem in *introduct. cap. XXIV. §. 39. p. 630.* hic vero in *supplem. p. 600. seqq.* C. W. F. Walchivs in *der Reichs-Historie.* Jungi tamen iis merentur Muratorivs in *antiquit. Ital. medii aevi tom. IV. p. 249.* & Scheidivs in *origin. Guelf. tom. II. p. 379. seqq.*

ſtatis rei declarati ſunt generali conſtitutione Coloniæ promulgata, qui imperium a papa, vel ei ſuppoſitum eſſe adſeverant, cujus legis verba recitat Albertus de Roſate in l. bene a Zenone 3. nu. 16. de quadr. præſcript. Inde Günther us in Ligur. Fridericum ſic loquentem introducit: *Nullum caput iſta ſuper ſe adſpicit excepto cælorum rege poteſtas.* Anno Chriſti 1338. communi ſeptemvirûm imperii decreto tempore Benedicti XII. pontificis publicato pronunciatum eſt: *S. Rom. imperatorem per ſe immediate Deum & enſem auctorem agnoſcere*, cujus decreti tenorem retulit Aventinus lib. VIII. annal. quo ſpectat, quod *a cæleſti majeſtate imperium cæſari traditum* dicitur l. 1. C. de veteri jure enucl. & quod in nov. 28. Imp. dicit, *Deum imperii coronam ſibi impoſuiſſe.* Cardinalis Cuſanus in lib. III. concord. cathol. cap. 5. adfirmat, *quod imperatoris celſitudo ſit independens quoad ſui naturam, primo & ſupremo diſtincta a ſpirituali, habens dependentiam immediatam a Deo*, ac Carolus Molinæus contra abuſus paparum p. 198. late probat, *imperium non pendere a papa.* (*) Argumenta, quæ Bellarminus pro adſtruenda illa indirecta pontificis in magiſtratus chriſtianos poteſtate adfert, ſunt valde indirecta & tortuoſa, quorum ſolutionem in tractatu proxime præcedente propoſuimus, in quibus miramur prætermiſſum illud, quod Innocentius III. cap. *Solitae extra de majorit. & obed.* &c. probare conatur, *imperium ad obedientiam pontifici praeſtandam obſtrictum eſſe, ex eo, quod Dominus dixerit ſacerdoti Jeremiae: Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas ac diſſipes, aedifices & plantes.* Item: *quia Deus fecerit luminaria magna in firmamento cæli, hoc eſt, duas in eccleſia inſtituerit dignitates, quae ſunt pontificalis auctoritas & regalis poteſtas, ſed quanta eſt inter ſolem & lunam, tantam eſſe inter pontifices & reges differentiam*, ac quod canoniſtæ illud Chriſti Matth. XXVIII. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, ad pontificem adplicant, in cujus poteſtatis ſibi collatæ ſignum ſingulis annis in nocte nativitatis benedicat enſem, eumdemque alicui ex regni proceribus mittat. Sed valeant hæ nugæ, quæ tamen pontifici valde fuere fructuoſæ.

SECTIO II.

DE CAVSA INSTRVMENTALI MAGISTRATVS.

Cauſa inſtrumentalis magiſtratus.

§. LXXXIII. Quemadmodum in loco de miniſterio eccleſiaſtico diximus, duplicem eſſe *vocationem* ad miniſterium, *immediatam* ſcilicet & *mediatam*, cum Deus quosdam per ſe & immediate, quosdam vero per eccleſiam & mediate ad ſacroſanctum illud officium vocet; ita quoque divina ad magiſtratum vocatio itidem duplex eſt, *immediata* ac *mediata*, *extraordinaria* & *ordinaria*. Deus enim quandoque *immediate* & *extraordinarie* magiſtratum conſtituit, quando ſcilicet ipſe quosdam heroes excitat & denominat, peculiaribus donis eos inſtruit, & auguſtam quamdam auctoritatem ipſis apud ſubditos conciliat; quandoque vero *mediate* & *ordinarie*, per eos ſcilicet, quibus jus eligendi & conſtituendi magiſtratum competit, ad auguſtum illud officium quosdam vocat. *Prioris* vocationis exemplum proponitur in *Moſe*: Exod. III. 10. *mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſrael ex Ægypto.* Act. VII. 35. ὁ θεὸς ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἀπέσταλκεν τὸν Μωϋσῆν. In *Joſua*: Num. XXVII. 18. Deut. III. 28.

Vocatio ad magiſtratum I.) *Immediata:*

(*) Tholoſanus lib. XXV. de republ. cap. 5. *Principes aliqui ſunt ſui juris, rex Galliae & rex Hiſpaniae, qui in temporalibus nullum ſuperiorem agnoſcunt, nec poſſunt privari ſuo imperio.* Quidam Hiſpanus in lib. de morte Philippi: *Rex Hiſpaniae Philippus jamjam moriturus coronam manibus adprehendens, oculis in cœlum defixis, Tibi, inquit, Domine Deus, coronam meam reddo, a quo eam accepi.* Ludovicus Vives ad Henricum VIII. Angliæ regem in epiſt. dedicat. libris Aug. de civ. Dei præfixa: *Te rex permagni omnes exiſtimarunt, cujus poteſtas majeſtasque eſt in terris ſecundum Deum maxima.* Gerhardvs.

28. *Tolle Josuam, filium Nun, virum, in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum*, &c. quam vocationem Deus ipse ad Josuam immediate locutus, postea confirmat Jos. I. 2. In *Juda*: Jud. I. 2. In *judicibus*, quos Dominus *suscitavit, ut liberarent Israelitas ex manibus inimicorum*, qui postmodum gubernabant populum; Jud. II. 16. In *Othoniele*, Calebi fratre: Jud. III. 9. *Suscitavit Dominus Israelitis salvatorem, qui liberaret eos*, Othonielem scilicet, & *factus est super eum Spiritus Domini & judicavit Israel: In Gideone*: Jud. VI. 14. in *Samsone*: Jud. XIII. 25. in *Saule*: 1. Sam. IX. 17. in *Davide*, 1. Sam. XVI. 12. & aliis, ubi notandum: 1.) cum immediata vocatione nequaquam pugnare ejusdem per interpretes divinæ voluntatis, prophetas scilicet, declarationem ac manifestationem, quos enim Deus ἀμέσως & immediate sine hominum opera & ministerio ad magistratum vocat, illis vel ipse adparet, & immediate cum illis loquitur, quo modo vocavit Mosen, Salomonem, &c. quosdam vero per internuncios, quibus adparuit & locutus est, vocat, quo modo Josuam per Mosen, Saulem per Samuelem, &c. vocavit. 2.) Illorum, qui immediate a Deo vocantur, κλῆσιν divinitus confirmari miraculis, vel miraculosis donis, virtutibus heroicis, felici rerum successu, insigni aliqua victoria, &c. sicut exempla Mosis, Josuæ, Saulis, Davidis, &c. testatum faciunt. Memorabile est, quod de Davide dicitur 2. Sam. V. 12. *Cognovit David*, (ex unanimi scilicet populi eligentis suffragio, & ex prospero rerum successu) quod *confirmasset eum Dominus regem super Israel.*

II.) *Mediata, cujus modi*

§. LXXXIV. *Posterioris* vocationis exempla in historia sacra & profana, inque ipsa experientia sunt ubivis obvia. Varii autem sunt modi, quibus homines ad magistratum evehuntur, de quibus in genere notandum, quod quidam sint *liciti ac legitimi*, quidam vero *illiciti ac legitimi*. Modi *liciti* ac *legitimi* revocari possunt ad *tria* principalia capita; obtinetur enim magistratus vel per *electionem*, vel per *successionem*, vel per justam *occupationem*. Electio est, quando illi, quibus potestas illa lege, vel consuetudine competit, vel etiam ad hunc actum commissa est, magistratum eligunt. Ratione *causae efficientis* sive personarum eligentium distinguitur electio in eam, quæ fit *a superioribus*, ut quando ab imperatore constituuntur præsides provinciarum, duces belli, præfecti, &c. & eam, quæ fit ab *inferioribus*. Exempla prioris electionis hæc sunt: Gen. XLI. 41. *Pharao*, Ægypti rex, Josephum constituit præfectum totius provinciæ. Exod. XVIII. 25. *Moses* secutus consilium Jethronis electis viris strenuis de cuncto Israel eos constituit principes populi, tribunos & centuriones & quinquagenarios & decuriones. 2. Par. XIX. 5. *Josaphat* constituit judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca. Posterior electio iterum duplex est, vel enim fit ab *omni populo*, sicut olim exercitus eligebat imperatorem, vel fit a *proceribus & optimatibus*, sicut hodie septemviri imperatorem eligunt totius imperii Romani nomine, electores ex eo dicti. Prioris electionis exemplum est 2. Sam. V. 1. 1. Paral. XI. 1. *Congregatus est omnis Israel ad David in Hebron dicens: Os tuum sumus & caro tua.* v. 2. *Heri quoque & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras, qui educebas & introducebas Israel, tibi enim dixit Dominus: Tu pasces populum meum, & tu eris princeps super eum*, v. 3. *& unxerunt eum ibi in regem.* Tribus enim distinctis vicibus David in regem est unctus, primo a Samuele propheta, secundo ab optimatibus tribus Juda, tertio ab universis tribubus Israeliticis. 1. Reg. XII. 20. *Cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt & vocaverunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum regem super omnem Israel.* 1. Reg. XVI. 16. *Omnis Israel fecit sibi regem Amri, qui erat princeps militiae super Israel.* Posteriores electionis exempla sunt Jud. XI. 5. *Cum pugnarent filii Ammon contra Israel, perrexerunt optimates*

1.) *Legitimi:* a.) *Per electionem, quae distinguitur.* α.) *Ratione causae efficientis.*

זקני seniores *Gilead*, *ut tollerent in auxilium sui Jephtam, dixeruntque ad eum*: v. 6. *Veni & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* 1. Macc. IX. 38. *Congregati sunt omnes amici Judae & dixerunt Jonathae*: v. 29. *Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos*, v. 30. *nunc itaque te hodie eligimus esse pro nobis in principem & ducem ad bellandum bellum nostrum.*

β.) *Ratione modi.* §. LXXXV. Ratione *modi* electio distinguitur in eam, quae fit per *suffragia ac vota*, & eam, quae fit per *sortem*. Vota vel sunt *plane libera* in quamcunque personam, vel sunt ad certum quemdam ordinem ac certas personas legibus *restricta*. Sic Deut. XVII. 15. Deus ipse electionem regis certa quadam lege sancita ad populum Israeliticum determinat: *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Sic in aurea bulla Carolus IV. imperator sancivit, ne ad imperii Romani fastigium alius evehatur, quam is, qui se ex Germano sanguine satum docere possit, quam constitutionem urget elector Moguntinus apud Sleidanum lib. I. in historia anni 1519. In aliis etiam provinciis & regnis legibus fundamentalibus cautum reperitur, ne quis ex peregrina gente sceptri fiat particeps, quia fere semper ita fieri videmus, ut provincia omnis regem domesticum, quam advenam impensius colat. Apud Polonos contraria plane consuetudo obtinet, ne scilicet indigena, sed peregrinus ad regnum evehatur, ut tollatur inter indigenas aemulatio, & quae ex ea oritur, animorum distractio. Sorti an committenda sit electio? dispicietur postea. Hoc loco monemus, electionem magistratus fieri debere 1.) *Religiose ac sancte*, invocato scilicet Dei auxilio, cujus solius donum est utilis magistratus, dicamus cum Mose Num. XXVII. 16. *Praeficiat Dominus Deus spirituum omnis carnis virum huic coetui, qui coram eo ingrediatur & egrediatur, ne hic populus sit velut oves absque pastore.* 2.) *Libere & incorrupte*, ne pretionibus atque ambitu, multo minus largitionibus libertas votorum impediatur. 3.) *Prudenter & circumspecte*, ut eligatur is, qui imperio maxime idoneus & utilis deprehenditur, sicut in aurea bulla electores jurant, se talem imperatorem electuros.

b.) *Per successionem.* §. LXXXVI. *Successio* fit vel 1.) ratione *generationis & nativitatis*, quo modo liberi in imperio succedunt parentibus, 2.) vel ratione *agnationis*, quo modo deficientibus liberis legitimis proximi agnati succedunt, 3.) vel ratione *desponsationis* in connubiis, quo modo ex jure conjugii quibusdam imperium obvenit, 4.) vel ratione *emtionis*, per quam pecuniae interventu aliquis ditionem sibi adquirit, (ad quam pertinet *oppignoratio*, quae est species alienationis lib. 72. de R. I. 5.) vel ratione *permutationis*, qua quis contractu aliquo permutationis mediante imperium consequitur, 6.) vel ratione *donationis*, quae est inter vivos, vel denique ratione *testamentariae dispositionis*, per quam jure testamentario alicui imperium obtingit. Exempla primae speciei in sacris occurrunt longe plurima, reliquarum vero non item. Salomoni succedit filius Roboam, 1. Reg. XI. 43. Roboamo succedit filius Abiam in regno Juda, 1. Reg. XIV. 31. Abiae succedit Asa, 1. Reg. XV. 8. Asae succedit Josaphat v. 24. &c. Congruit vero juri naturali liberorum in regnis successio, cum enim ratio naturalis quasi tacita quaedam lex liberis haereditatem parentum addicat l. *cum ratio* 7. *ff. de bon. damn.* utique etiam imperia jure naturali ad ipsos descendunt, nisi scilicet obstent leges imperii fundamentales & certa quaedam pacta, quibus liberorum in imperio successio prohibetur. Exempla secundae speciei ex historiis sunt obvia. Sic in aurea bulla Caroli IV. statuitur, ut *electori defuncto non existantibus liberis masculis legitimis succedat frater natu major.* Ad hanc successionis speciem pertinent *pacta gentilitia* in illustribus familiis, per quae constituitur, ut alterius stirpe exstincta ad alterum principatus certa successionis lege perveniat, de quorum aequitate & utilitate differunt juriscon-

risconsulti. Knichen de jure Sax. verb. electorum cap. 2. num. 78. Reusnerus vol. I. consil. 7. num. 54. tale pactum inter duces Saxoniæ & Landgravios Hassiæ initum fuit anno 1268. confirmatum ab imperatore Rudolpho I. quibus postea accessit domus Brandenburgica. Pertinent etiam ad hanc successionis speciem tutores, qui illustrium personarum liberis vel testamento, vel legis dispositione dari consueverunt, qui tutorio nomine terras ipsorum, donec ad justam ætatem ipsi pervenerint, administrant. Sic in aurea bulla statuitur, quod proximus agnatus debeat esse futuri electoris tutor, donec ad annum ætatis 18. perveniat. *Jojada sacerdos Joas regem constituit cum esset septem annorum*; 2. Reg. XI. 21. procul dubio igitur tutoris partes sustinuit, donec rex adultior factus imperii habenas capesseret. Exempla tertiæ speciei in sacris haud occurrunt, nisi quis eo referre velit, quod Adonias petit Abisag Sunamitidem Davidis viduam sibi uxorem dari, ut hac ratione occulte aditum sibi ad regnum paret, quod probe intelligens rex Salomon ad Bethsabeam pro ipso intercedentem, dicit: 1. Reg. II. 22. *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniae, postula ei & regnum?* Nititur hic succedendi modus ex jure connubii lege matrimonii divinitus sancita, quod conjuges non sint duo, sed *una caro.* Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. Justinus lib. I. de Dario scribit: *Principio regni Cyri regis filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reversum videretur.* De domo Austriaca constat, quod per connubia multas sibi adquisiverit provincias. Maximilianus I. ducta in uxorem Maria, Caroli Burgundiæ ducis bellicosi filia, Belgium sortitus est. Philippus, Maximiliani I. filius, ducta Johanna regis Ferdinandi filia universam adquisivit Hispaniam. Albertus archidux Isabellæ connubio multas Belgii provincias sibi pignoravit. Exempla quartæ speciei in profanis historiis obvia sunt, sed in sacris vix aliquod occurret. Exemplum quintæ speciei esse potest, quod *Salomon regi Hiram dederit viginti oppida in terra Galilaeae*, 1. Reg. IX, 11. ut scilicet rex Hiramus ex illis oppidis proventus annuos acciperet, donec sumtus compensarentur, quia rex *dederat ipsi ligna cedrina & abiegna & aurum juxta omne quod voluerat, ita ut summa auri ad centum viginti talenta exsurgeret* v. 14. Exemplum textæ speciei commemorat Theodoricus a Niem lib. II. histor. cap. 25. quod princeps Vmbertus anno 1349. regi Galliæ donaverit *Delphinatum* ea lege, ut regis filius natu maximus Delphinus diceretur. Eodem jure donationis pontifex Romanus Italiam sibi vindicat. Exemplum septimæ speciei esse potest, quod David rex præteritis filiis reliquis natu majoribus filium suum *Salomonem* testamentaria quadam dispositione regem instituit. 1. Reg. I. 33. Justinus lib. XXXVI. refert, *Attalum, regem Pergami ditissimum, testamento heredem scripsisse populum Romanum.* Eutropius lib. VI. histor. *Nicomedes Bithyniae rex moriens populum Romanum fecit heredem.* Quidam successionem sic distinguit, quod sit vel *haereditatis*, vel *ordinis*: illa manet penes certam familiam, quo modo filius succedit patri, frater fratri; hæc penes certos collegas, quo modo in Academiis rector succedit rectori.

§. LXXXVII. *Occupatio justa* fit per *bellum justum* ac legitimum. Est enim juris naturalis, ut *quodcunque ex hostibus captum, dominio victoris subjiciatur* l. *naturalem* 5. §. fin. l. *adeo quidem* 8. in *princ.* & l. *transfugam* 51. ff. *de acquir. rer. dom.* Hoc jure *Israelitae* occupabant terram Canaan divinitus sibi promissam, ut constat ex libro Josuæ, ac Deus ipse præscribit populo suo, quo jure cum hostibus belligerari debeat. Deut. XX. 10. Hoc jure Romani amplissima regna & potentissimas provincias obtinuerunt. c.) *Per occupationem.*

§. LXXXVIII. *Modi illiciti ac illegitimi*, quibus imperium adquiritur, itidem revocari possunt ad *tria* principalia capita: *occu-* 2.) *Illegitimi.*

occupationem scilicet *violentam*, *invasionem fraudulentam*, & *adquisitionem per largitionem*. Prior species utitur pelle leonina, posteriores duæ vulpina. Occupatio violenta fit per tyrannicam aliorum oppressionem ac bellum illegitimum. Ea ratione occupavit imperium Nimrodus, *fortis venator*, ex eo dictus Gen. X. 8. Abimelech cæde septuaginta fratrum suorum imperium suum est auspicatus, Jud. IX. 5. cujus exemplum hodie sequuntur imperatores Turcici. Invasio fraudulenta fit per occultas technas & solicitationes animorum. Exemplum illustre proponitur in Absolone 2. Sam. XV. 2. *Mane consurgens Absolon stabat juxta introitum portae in via, & omnem virum, qui habebat litem, ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalon ad se, & dicebat:* v. 3. *Ecce res tuae bonae sunt & planae, sed non est, qui te audiat, qua ratione furatus est corda virorum in Israel.* v. 6. *Mittens etiam exploratores in universas tribus Israel subornavit quosdam, qui audito buccinae clangore exclamarent: Regnavit Absalon in Hebron.* Per largitiones multa occupantur imperia, Justinus libr. I. de Semiramide commemorat, quod *regnum fraude adquisitum largitionibus confirmaverit.* Post mortem Pertinacis, Romani imperatoris, emebant imperium Sulpitius & Julianus factis contra se mutuis licitationibus, atque auctione paulatim ab iis facta eo perventum, ut singulis militibus vicena sestertia sese daturos promitterent. Dionysius lib. LXXIII. p. 843. sed de talibus imperiorum licitatoribus ac emtoribus recte dicit Alexander Severus apud Ælium Lampridium in ipsius vita: *Necesse est, ut, qui honorem juris & gladii emit, vendat, & ego non patiar mercatores potestatum, quos si patior, damnare non possum.*

Quaestiones de modis adquirendi magistratum. 1.) Penes quem sit jus eligendi?

§. LXXXIX. De modis adquirendi magistratum quæritur: 1.) *Penes quem sit jus eligendi magistratum?* Resp. Distinguendum inter imperium constituendum & constitutum. In imperio constituendo jus ac potestas constituendi sibi magistratum jure naturali & gentium est penes populum, ut colligitur ex l. 5. hoc jure, ibi, *discretae gentes, regna condita*, &c. Instit. de justit. & jure. Cum enim populus imperii commoda sentiat, ejusque onera perferre cogatur, ideo æquum est, ut penes ipsum sit potestas eligendi, cui parere velit. Nec hoc a jure divino discrepat, sed ab eo potius confirmatur, sic namque populum Israeliticum adloquitur Dominus Deut. XVII. 15. *eum constitues regem, quem Dominus tuus elegerit.* 1. Sam. VIII. 19. ad Samuelem dicit populus: *Rex erit super nos.* Herodotus lib. I. *Reges primum a populis electi sunt.* Ex quo principio recte deducitur hoc theorema: Quamvis principes & subditi sint ex numero τῶν πρός τι, quæ se mutuo ponunt ac tollunt in formali consideratione; tamen materialiter naturæ & temporis ratione priores sunt subditi quam principes, neque enim principes constituerunt sibi subditos; (loquimur autem de principibus populi suffragio electis, non de tyrannis, violentis regnorum occupatoribus,) sed subditi constituerunt sibi principes, ergo principes sunt propter subditos, & commodis subditorum servire debent, non autem subditi propter principes, quasi libidini ipsorum sint expositi. Steph. Brutus q. 3. de vindic. *Princeps summus est jurejurando velut officiarius reipublicae obstrictus, ac tota republica seu regno minor,* inquit Plinius in paneg. ad Trajan. Notandum tamen circa hujus quæstionis decisionem, quod consensus populi in electione magistratus sit duplex, *tacitus* & *expressus*. Quandoque enim proceres, optimates & seniores nomine totius populi eligunt, quibus vel lege imperii fundamentali, vel consuetudine, vel quadam delegatione hasce partes eligendi populus committit, proinde quidquid illi agunt, id totus populus egisse recte dicitur. Sic 1. Sam. VIII. 4. *seniores* ex tribubus Israeliticis venientes ad Samuelem exposcunt regem, quæ postulatio regis v. 7. *toti populo* tribuitur. In imperio jam constituto jus ac potestas constituendi inferiores magistratus est penes summum magistratum, & quidem

vel

vel ipsum *solum*, vel etiam *populi consensum*, prout leges & mores cujusque provinciæ requirunt.

2.) *An electio, an successio praeferenda?*

§. XC. Quæritur II.) *An electio, an successio sit praeferenda?* Pro electione hæc fere adferri solent argumenta: 1.) Jus naturæ requirit, ut dignior ac præstantior imperet, eum vero non successio, sed electio monstrat. *Nasci & generari a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur*, inquit Tacitus lib. I. histor. in successione contra quemcunque, & cujuscunque ingenii contigerit, admittere cogimur. Quid Cambysen boni patris degenerem filium imperio præfecit? successio. Quid Commodo, imperatori minime omnium commodo, optimi illius Marci Antonini philosophi filio falces detulit? successio. 2.) *Virtus semper certior ductrix est, quam natura*, quæ nulla stirpis vel generis habita ratione dona ad imperium requisita distribuit, *electio autem fit secundum virtutem.* Casus libr. III. sphær. civ. c. 11. q. 2. 3.) Electio ex præstantissimorum sive optimatum numero multos ad virtutis studium accendit & impellit, ut tacita quadam spe certatim peragendo illa, quæ futuro principe digna sunt, ad principatum contendant. Melander in idea polit. p. 69. 4.) Antiquior adquirendi imperii modus est electio, quam successio, neque enim potuit esse successio, nisi in locum ejus, qui electus. Jam vero antiquiora magis ad primæ originis sinceritatem accedunt, τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, inquit philosophus I. metaph. 3. 5.) In electione minus periclitatur reipublicæ libertas, plus benevolentiæ in subditos electus obtinet, facilius moneri ac moveri potest; *imperaturus ergo omnibus eligi debet ex omnibus.* Plinius in panegyr. ad Trajan. 6.) *Qui bene imperare cupit, paruerit aliquando necesse est*: Cicero lib. III. de legibus; at qui in purpura natus, in delitiis educatus ætatem fuit, nec alterius imperium expertus, unde is sciet, quomodo erga principes adfecti sint subditi, & quid sibi ab iis fieri velint? 7.) In aulis principum parentes in varias imperii curas distracti ad rectam liberorum educationem sese convertere nequeunt, ex quo fit, ut liberi sæpius negligantur, & ad rempublicam capessendam minus idonei fiant. Pro successione hæc adferunt, quibus ejus prærogativam stabiliunt: 1.) *Minore discrimine princeps sumitur, quam quaeritur.* Tacitus lib. II. histor. majores enim in electione turbæ, conspirationes crebriores, cum *natura mortalium sit imperii avida*, Sallustius in Jugurtha. 2.) Solent homines libentius regi nato, quam facto parere; ejus enim virilis ætas vix est in admiratione, cujus pueritia & juventus fuit familiariter plebeiis nota, contra succedentium, utpote ad imperium natorum major est auctoritas, jam vero in obedientia totum dominationis bonum consistit. 3.) Ex interregnis magni solent oboriri metus, vel certe pericula, quæ successor certus facile discutiet. Pravæ aliorum spes cohibentur, si successor non in incerto. 4.) Ex humili & obscuro loco ad imperium per electionem provecti adepto principatu animos adtollunt, ac insolentiores redduntur, unde negligentius imperium administrant. Middendorp. in comm. ad q. 71. Ptolem. Philad. f. 128. vel etiam omnem operam navant, ut liberis principatum relinquant, & civium libertatem opprimant. 5.) Si rex aut princeps noverit filium sibi in imperio hæredem futurum, tunc ipsa natura impellente omnem movet lapidem, ut filium a primis incunabulis omni cura ac diligentia ad imperium formet, & omnia in regno tanquam propria curet. 6.) Successionis usus apud multos populos obtinet, ut natura ipsa tacito quodam instinctu ad successionem præferendam invitare videatur. Plura utrinque argumenta proferunt Bodinus lib. VI. de republ. cap. 5. Greg. Tholozanus libr. VII. de repub. cap. 4. Lipsi. lib. II. polit. cap. 4. Warem. ab Ehrenberg in orat. de hac quæstione habita. Pro conciliatione sententiarum quidam distinguunt hoc modo, quod *electio sit tutior*, *successio* propter ingenitum subditorum erga regiam prolem amorem stabilior. Alii distinguunt inter *imperium constituendum*

tuendum & conſtitutum. Nobis ſic placet progredi: ſi in *hypotheſi* quæratur, an in hoc, vel illo regno præferenda ſit electio, an ſucceſſio? ſimpliciſſime reſpondetur, quod leges fundamentales cujusque regni ſint unice reſpiciendæ, & earum norma imperii conſtitutione obſervanda, nec prætextu ſpecioſarum quarumdam rationum modus conſtituendi magiſtratum legibus definitus temere mutandus. Si in *theſi* & in ideali atque abſtractiva conſideratione quæratur, uter modus præferendus ſit? primo omnium præſupponendum, quod uterque ſit licitus ac legitimus, uterque exemplis ſacræ hiſtoriæ in populo Iſraelitico comprobatus, uter vero præferri debeat, in genere haud facile definiri poteſt. 1.) Electio *libertati* reipublicæ convenientior, ſucceſſio ejusdem *ſecuritati.* 2.) Diſtinguendum eſt inter magiſtratum *ſummum* & *inferiores*, in illo præferenda videtur ſucceſſio, in his vero electio. 3.) Diſtinguendum inter electionem plane *liberam* & *reſtrictam*, itemque inter ſucceſſionem *nudam* & *cum electione quadam complicatam*, quæ poſterior priori videtur præferenda; quemadmodum monarchiam ariſtocratia temperatam ſimplici monarchiæ plerique præferunt. Sic de Azaria dicitur, quod *univerſus populus Judae ipſum elegerit, & regem eum in locum parentis Amaſiae conſtituerit*; 2. Reg. XIV. 21. ubi ſucceſſio & electio quaſi complicantur. Idem animadvertitur in Rehoboamo, Salomonis filio & ſucceſſore, 1. Reg. XII. 1. 2. Paral. X. 1. quem itidem univerſus populus regem ſibi conſtituit, quamvis jure hæreditatis ipſi regnum deberetur. 2. Paral. XXVI. 1. *Omnis populus Juda Oziam annorum ſedecim conſtituit regem pro Amaſia, patre ipſius.* Sic ergo etiam in regno hæreditario poteſt eſſe ſucceſſio, quando ſubditis, vel proceribus optio datur, ex pluribus ejusdem regis filiis eligere eum, qui reliquis prudentia & virtute antecellit, quique imperio vel maxime dignus eſt; quandoque rex ipſe conſenſu procerum ac totius populi aliquem ex filiis ſuis regno præficit, quale quid in Salomonis ſucceſſione animadvertitur: 1. Reg. I. 33. 1. Paral. XXVIII. 1.

talis regis prædeceſſoris & populi conſenſus in eligendo ſucceſſore ac quædam quaſi ſucceſſionis & electionis complicatio mirifice confirmat ac ſtabilit novi regis imperium.

§. XCI. Quæritur III.) *An electio, quae ſit per ſortem, probanda ſit?* 3.) *An electio per ſortem probanda?* Qui negant, hiſce fere utuntur argumentis: 1.) Electio magiſtratus eſt res omnium maxima in republica, in qua error minimus mala adfert longe plurima, ſortis igitur arbitrio tantum negotium nequaquam committendum. Ariſtoteles lib. I. ethic. cap. 9. Euripides referente Plutarcho κλῆρον vocabat τῆς τύχης παῖδα. Tentare fortunam, ubi conſilio locus, temerarium. 2.) Quod non poteſt dignum imperio ab indigno diſcernere, illud nec debet decernere. At ſors inter Neronem & Tiberium diſcernere nequit. 3.) Experientia comprobatum, ſorte quandoque electum eſſe eum, qui minime omnium ad reipublicæ gubernacula capeſſenda idoneus. 4.) Electio magiſtratus per ſortem multis fraudibus & impoſturis eſt obnoxia. Exemplum refert Athenæus lib. IX. de ſacerdotibus Iſidis. Qui ſortis arbitrium urgent, proferunt hæc fundamenta. 1.) Sortes peculiari Dei providentia gubernantur: Prov. XVI. 33. Auguſtinus in Pſalm. XXX. *Sors eſt in dubitatione humana divinae indicium voluntatis;* qui ergo per ſortem eligitur, divino judicio cenſetur electus. 2.) Per ſortem tolluntur ſemina diſcordiarum inter cives metuenda in magiſtratus electione. 3.) *Saul*, primus Iſraelitarum rex, ſorte electus fuit 1. Sam. X. 21. 4.) Juſtinus lib. XIII. hiſt. de ſucceſſoribus Alexandri magni refert, quod ſorte diviſerint regna & provincias. Suetonius in Veſpaſ. c. 2. memorat, quod Veſpaſianus quæſtor Cretam & Cyrenas provinciam ſorte tulerit. Diſtinguendum eſt 1.) inter collationem magiſtratus *ordinariam & extraordinariam.* Ordinarie non committenda eſt magiſtratus electio ſorti, quod probant argumenta priore loco adducta, nec poteſt contrarium elici ex argumentis poſteriore loco adlatis, quia exemplum Saulis eſt ſpeciale, in quo divinus inſtinctus & prophetica

auctoritas concurrit: dictum Salomonis in articulo proxime præced. de minist. eccles. fuit expositum. Extraordinarie vero per sortem magistratus constitui potest, quando scilicet duo, aut plures de summa rerum decertant, nec sine reipublicæ damno gravissimo unus per libera suffragia eligi potest, vel quando duo, aut plures virtute, genere, potentia, & aliis ad imperium requisitis pares magistratum ambiunt, ut electio dignissimum vix queat invenire, hac enim ratione contemtus suspicio præcluditur. 2.) Inter *formas rerumpublicarum.* In democratia, quæ civium æqualitatem spectat, sortibus locus dari potest, in aristocratia vero ac monarchia, quæ optimi cujusque electionem spectant, non item. 3.) Inter *sortes ab omni fraude remotas, & eas, quae cum fraudibus & impostoris sunt conjunctae,* qualis fuit hinnitus equi, quo Darius electus est, apud Herodotum in Thalia. Priores in certis casibus probandæ, posteriores detestandæ.

4.) *An primogenitus in successione praeferendus?*

§. XCII. Quæritur: IV.) *An probanda sit lex, vel consuetudo, qua in successione paterni & aviti imperii primogenitus excludit reliquos fratres?* Injustum hoc videri poterat, cum natura fratres omnes fecerit æquales, cumque discordiæ inter fratres hac ratione occasio præbeatur. Sed contra 1.) Deus ipse prærogativas primogenitorum data lege confirmavit. Deut. XXI. 17. primogenito jubentur ex hæreditate *cuncta duplicia* dari, cum sit principium fortitudinis. 2.) Ante promulgationem legis Mosaicæ primogenitis & regnum & sacerdotium deferebatur. Gen. XLIX. 3. de Rubeno primogenito dicit Jacobus patriarcha, quod sit *prior in donis, major in imperio*; unde etiam jus primogenituræ maximi æstimabatur: Gen. XXV. 32. XXVII. 29. *Esto dominus fratrum tuorum, & filii matris tuae incurventur ante te.* 3.) Post constitutam Israeliticam politiam & legem promulgatam primogenitus ordinarie succedebat in imperio. Josaphat regnum tradit filio suo Joramo, *eo quod esset primogenitus;* 2. Paral. XXI. 3. inde de Semri tanquam novum & insolitum commemoratur, quod, *cum non esset primogenitus*, tamen pater ejus ipsum constituerit principem. 1. Paral. XXVI. 10. 4.) Eumdem morem etiam apud alios populos obtinuisse colligitur, ex Exod. XI. 5. *Occidam omne primogenitum a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus,* & ex 2. Reg. III. 27. ubi rex Moab filium suum *primogenitum, qui regnaturus erat pro eo,* obtulisse memoratur. Idem olim observatum fuit apud Spartanos, Cretenses, Macedones atque adhuc hodie observatur apud Hispanos, Gallos, Anglos, &c. Inter leges fundamentales regni Gallici hæc habetur: *Vt rege mortuo regni haereditas filio ipsius natu maximo deferatur, neque regi vel natu minorem majori anteferre, vel alium successorem sibi instituere liceat.* 5.) Interest reipublicæ, conservari honorem familiarum, nec per divisiones frangi & adtenuari vires imperii. At si successio manet penes unum, & familiæ dignitas & imperii robur conservatur. 6.) Primogenitus ut ætate, ita quoque auctoritate & prudentia reliquis antecellere judicatur, jam vero æquum est, imperii administrationem commendari digniori. *Jus naturae exigit,* scribit Patritius lib. IX. de regn. & reg. instit. tit. 22. *ut maximus natu ex filiis mortuo regi succedat.* De reliquis quæstionibus ad successionem pertinentibus consultant politici & jurisconsulti. Sic quærunt, *uter ex duobus regis filiis, quorum alter ante, alter post adeptum a patre regnum natus est, primogenitus & imperii haeres sit censendus?* ubi pro eo, quem naturæ felicitas & privilegium ætatis primum fecit, pugnant Hotomannus ill. qq. 2. Förslerus tract. de success. libr. IV. cap. ult. n. 36. Cujac. lib. I. de feud. cap. 11. pro secundo genito vero pugnant Schradius part. VII. cap. 5. num. 37 de feudis, Alciatus ad l. bonæ fidei n. 8. ff. depositi (*) Alii

(*) Inter Xerxem & Artemenem, filios Darii, lis ejusmodi orta fuit, ac pro Xerxe ab Artapherne judicatum, qui in regno natus erat. Justinus lib. II. n. 10. quo etiam inclinat Bartolus in l. cum satis 23 C. de agric. censit & colon. n. 11. ubi ponit, non esse filium regis, qui natus est ante dignitatem regalem. Gerh.

Alii distinguunt, ut si dignitas regia competat patri ex avito genere, tunc is, qui ante regnum adquisitum natus est, jure primogenitiræ gaudeat, sua vero ex causa adventitia dignitatem regiam ipsumque regnum pater adeptus fuerit, tunc filius non ante, sed post natus ut primogenitus admittatur. Alii distinguunt inter statutum, quod simpliciter nominat primogenitum, & quod differte primogenitum regis nominat, eique regni successionem defert. Vide Hotomannum illustr. quæst. quæstion. 2. & Hunnium jurisconsultum in resolut. juris civilis libro tertio tractat. 1. q. 25. Quærunt, *an filius primogeniti praeferendus sit patruo suo in successione ex jure primogenituræ*? ubi causam patrui propugnat Cujac. lib. II. de feud. cap. 11. nepotis vero Tiraq. de jure primog. q. 40. Försterus de succes. l. 2 c. 18. n. 15. Hunnius d. l. q 26. &c.(*) Quærunt, *an, cum primogenitus propter senium, vel ex causa alia quacunque minus idoneus sit regno, contra ipsius voluntatem secundogenito deferendum sit imperium*? ubi itidem quidam primogeniti, quidam vero secundogeniti partes tuentur. Gregor. Tholozanus lib. XXVI. de republ. cap. 6. monet, nec Saulem *ob furorem*, 1. Sam. XVI. nec Oziam *propter elephantiasin*, 2. Paral. XXVI. nec Salomonem *ob puerilitiam* ab imperio dejectum esse, proinde nec primogenito minus forte idoneo imperium auferendum, sed tutores illi ex proximis agnatis constituendos. Quærunt, *an legitimatus gaudeat jure primogenituræ*? ubi distinguunt inter primogenitum natura & primogenitum juris dispositione. Item inter legitimatum ex rescripto principis & legitimatum per subsequens matrimonium. Sed de his viderint jurisconsulti.

5.) An magistratus possit imperium alienare?

§. XCIII. Quæritur: V.) *An magistratus per donationem, venditionem, oppignorationem, permutationem, ac testamenti factionem imperium transferre possit*? Resp. quando nullæ sunt leges fundamentales, quæ id prohibeant, & quando absolutam & illimitatam prorsus potestatem magistratus obtinet, tunc suo, ut cum re sua, hic agere & transigere potest arbitrio; sed si adsunt *certa pacta*, ac si *restricta* est magistratus *potestas*, tunc non nisi cum procerum ac subditorum consensu tale quid suscipere potest. Princeps enim non diminuere debet imperium, sed augere §. 2. procem. institut. jur. nec potest regalia in præjudicium successorum alienare. Hotomannus in quæst. illustr. q. 1. p. 23. Jura regni ratione *proprietatis & dominii* pertinent ad rempublicam, seu membra regni, at ratione *usus & administrationis* spectant ad magistratum, Althusius in polit. cap. 15. Princeps est veluti tutor & administrator reipublicæ, cujus dicitur dominus non quoad proprietatem, sed quoad gubernationem & protectionem. Zoanet. tr. de imp. Rom. n. 179. Inter leges & conditiones, in quas Carolus V. electus imperator juravit, etiam ista hæc habetur: *Facultates imperii nec distrahat, nec oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat.* Item: *Imperii bona, quae forte vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat*; Sleidanus libr. I. comm. anno 1519. Inter leges fundamentales regni Gallici, quas recensetHotomannus lib. I. de antiquo jure regn. Gall. cap. 23. etiam hæ sunt: „Vt regi non sit jus „nec filiam adoptare, nec de suo regno vel „inter vivos, vel per testamentum disponere, „sed in regni successione majorum instituta & „antiqua consuetudo servetur. Ne regi jus sit „ullam dominii sui partem sine publici consi„lii auctoritate alienare, quippe quod ei ad „tuendam tantum regiam dignitatem utendum „fruendum datum est, ut parem in eo pote„statem habeat, atque marito in uxoris dote „conceditur.„ Cranzius lib. II. Daniæ cap. 3. postquam commemorasset, quod Vnguinum, Gothorum regem, Haldanus post se regni mo-

(*) Tractat de hac quæstione Baldus in l. cum in antiquior. lib. 19. C. de jur. delib. n. 11. ac summa ejusdem difficultate ostensa n. 12, concludit: *Apol. liuis solutione eam indigere.* Eamdem quæstionem explicant Hotomannus qq. illust. quæst. 3. Nicolaus de Vbald. de succes. descend. n. 69. GERHARDVS.

deratorem in Dania designarit, Norvegiæ Hasmundum filium impuberem relinquens, subjicit: „Novum & antehac incompertum mu„nus testamento datum. Equidem ædes, agros, „prædia, vineas, & his similia testamento dari „audivimus, regnum autem præstare chartæ „beneficio prodigii loco habitum est.„

Consequentia vocationis ad magistratum.

§. XCIV. Atque hæc dicta sint de modis adquirendi principatus & regna. Postquam vero vel per *electionem*, vel per *successionem* legitime alicui delatum est imperium, tria *consequi* solent. 1.) Magistratus juramento se obstringit ad leges imperii fundamentales, (quod ipsum in electione quandoque solet præcedere.) 2.) Solemnibus ritibus inauguratur & 3.) subditi homagium ipsi præstant. Quod ad *primum* adtinet, novum non est, magistratum ac subditos certis legibus & conditionibus invicem pacisci, eademque pacta juramento confirmari, quæ cum sint honesta, legibus divinis ac naturali juri consentanea, & reipublicæ salutem ac libertatem spectantia, nihil quidquam dignitati & auctoritati magistratus detrahunt. 2. Sam. V. 3. 1. Paral. XI. 3. *Venerunt omnes seniores Israel ad regem Davidem in Hebron, & percussit cum eis rex fœdus in Hebron coram Domino.* 2. Reg. XI. 17. *Pepigit Jojada sacerdos fœdus inter Deum & regem & inter populum, ut esset populus Domini, & inter regem & populum.* 2. Paral. XXIII. 3. *Iniit omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege.* c. XXXIV. 31. *Rex Josias percutit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, & custodiret præcepta.* Idem constat ex aliorum populorum & regnorum historiis. Xenophon lib. VIII. Cyropæd. describit pactum inter regem Cyrum ac Persas. Imperator hodie promittit, & jurat, se leges imperii fundamentales custoditurum, novas, inconsultis electoribus, non laturum, publicas res publico consilio curaturum, nihil alienaturum, vel oppignoraturum ex iis, quæ ad imperium pertinent, ecclesiam se defensurum & justitiam administraturum, &c. Spec. Saxon. l. 3. art. 54. Sleidanus lib. I. comment. Plures aliarum rerumpublicarum leges fundamentales, in quas Reges electi jurant, commemorant Bodinus lib. I. de republ. c. 8. Stephan. Jun. Brutus de vindiciis contra tyrann. q. 3.

1.) Ad leges imperii servandas obligatio.

2.) Solemnis inauguratio.

§. XCV. II.) *Inauguratio* juramentum a magistratu præstitum consequitur, in qua fit solemnis confirmatio & quasi renovatio electionis præcedentis. 1. Sam. XI. 14. *Dixit Samuel ad populum: Venite, & eamus in Gilgal, & innovemus ibi regnum.* v. 15. *Et perrexit omnis populus in Gilgal, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino.* In hac inauguratione variæ apud Israelitas adhiberi consueverant cerimoniæ. 1.) *Unctio* facta per sacerdotem, vel prophetam. 1. Sam. X. 1. *Tulit Samuel vasculum olei, & effudit super caput Saulis, dicens: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem.* Idem commemoratur de Davide 1. Sam. XVI. 13. de *Salomone*, quem ungunt Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, 1. Reg. I. 34. de *Jehu*, quem ungit unus ex filiis prophetarum. 2. Reg. IX. 6. Procul dubio autem ad unctionem adhibitum fuit oleum unctionis sanctum, quod describitur Exod. XXX. 23. Proinde, quod *totus populus* quosdam reges dicitur unxisse, id accipiendum συνεκδοχικῶς, quod videlicet per sacerdotes, quibus id competebat, eos unxerit. 2. Sam. II. 4. *Venerunt viri Juda, & unxerunt David, ut regnaret super tribum Juda.* c. V. 3. *Venerunt omnes seniores Israelis ad regem David, & unxerunt eum in regem super Israel.* 2. Reg. XI. 12. *Produxit Jojada filium regis, & fecerunt eum regem, & unxerunt eum.* id quod 2. Par. XXIII. 11. sic exponitur: *Unxit illum Jojada pontifex & filii ejus.* Denotavit autem hæc unctio, quod Spiritus sancti, qui est Spiritus prudentiæ & sapientiæ, dona magistratui sint necessaria, & quod Deus piis precibus invocatus eadem velit regibus legitime electis conferre, sicut de Saule ac Davide dicitur, quod post factam unctionem *immutati sint in viros alios, & Spiritus Domini in illis*

Ritus inaugurationis: a.) In populo Israelitico.

fit

fit directus. 1. Sam. X. 6. XVI. 13. In nov. teſt. adhuc hodie illa unctio in imperatoris & regum inauguratione tanquam libera quædam cerimonia retinetur. 2.) *Libri legis traditio.* 2. Reg. XI. 12. *Jojadas ſacerdos producit Joas, & poſuit ſuper eum diadema & teſtimonium*, Hebr. עֵדוּת, Pagninus accipit de *ornamento*, ſed rectius accipitur de *libro legis* divinæ, quæ vulgatiſſima phraſi dicitur teſtimonium, Eccleſ. XXIV. 32. liber legis vocatur *teſtamentum altiſſimi*, ſicut etiam Lutherus in verſione exponit, ideo vulgata verſio 2. Paral. XXIII. 11. παραφραστικῶς reddidit hoc modo: *Dederunt in manu ejus tenendam legem.* Voluerunt enim regem commonefacere ſtatuti divini Deut. XVII. 18. *Poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a ſacerdotibus leviticae tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitae ſuae, &c.* Conſtitutus enim eſt magiſtratus, ut ſit legis divinæ cuſtos ac vindex. 3.) *Manuum impoſitio*: Num. XXVII. 22. *Moſes ſtatuit Joſuam coram Eleazaro, ſacerdote, & omni frequentia populi*, v. 23. *& impoſitis capiti ejus manibus cuncta replicavit, quae praecipit ei Dominus.* Denotavit autem hic ritus, quod perſona ad officium illud auguſtum divinitus ſit electa & ſeparata. 4.) *Coronae ac diadematis collatio*: 2. Sam. XII. 30. 1. Paral. XX. 2. *Tulit diadema regis Ammonitici de capite ejus pondo auri talentum habens, gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper caput David.* In Hebræo eſt עֲטָרַת corona dicta ex eo, quod undique circumdet caput: 2. Reg. XI. 12. 2 Chron. XXIII. 11. *Jojadas pontifex poſuit ſuper Joas regem diadema.* In Hebræo eſt נֵזֶר *cidaris, corona*, a radice נזר *ſeparavit*, eſt enim inſigne regis, vel ſummi ſacerdotis, quo ipſius dignitas, per quam ab aliis ſeparatur, fuit ſignificata. Targum vertit כְּלִילָא *veſtes regias.* Diadema illud capiti impoſitum ſignificabat, etiam pios magiſtratus eſſe ſub divina protectione. Pſal. XXI. 4. *Imponis capiti regis coronam auream.* 5.) *In thronum regalem collocatio*: 1. Reg. I. 35. *Praecipit David, ut Salomonem ducant in Jeruſalem & collocent eum in ſolium regale;* in ſignum regni ipſi traditi 2. Reg. XI. 19. Et *ſedit Joas ſuper thronum regum*, quod 2. Paral. XXIII. 20. ſic exponitur: *& collocaverunt eum in ſolio regali.* 6.) *Veſtium ſuppoſitio*: 2. Reg. IX. 13. cum principes exercitus intelligerent, Jehu divinitus eſſe declaratum regem, *feſtinaverunt, & unusquisque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus ejus in ſimilitudinem tribunalis.* Erat hæc militaris & extemporanea pompa, effecerunt, quale in illa feſtinatione fieri poterat, tribunal, & in ſignum ſubjectionis inſtraverunt illud veſtibus ſuis loco ornamentorum. 7.) *In equum & currum regium impoſitio*: 1. Reg. I. 33. præcipit David ſervis ſuis, ut in ſolemni regis Salomonis inauguratione ipſum *imponant ſuper mulam ſuam.* Huc referri poteſt, quod Joſephus, Ægypti præfectus a Pharaone conſtitutus, *adſcendere jubetur ſuper currum a regio ſecundum*, non numeri, ſed ordinis & dignitatis reſpectu ſic dictum. Gen. XLI. 43. 8.) *Ornamentorum regiorum traditio*: de Salomone dicit Chriſtus Matth. VI. 29. quod *Salomon in omni ſua gloria non fuerit ſic coopertus, ſicut unum ex liliis agri*, ex quo intelligitur, ſplendido ac regali veſtitu ipſum eſſe uſum. Gen. XLI. 42. *Tulit rex Pharao annulum de manu ſua, & dedit eum in manu Joſephi, veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circumpoſuit*; ubi tria ornamenta regia Joſepho offeruntur, annulus, ſtola byſſina & torques aureus. 9.) *Solemnis proclamatio*: Gen. XLI. 43. clamarunt coram Joſepho: *pater patriae.* Huc pertinet, quod tuba cecinerint in coronatione regis, ut omnibus ea innoteſcere poſſet: 1. Reg. I. 39. 10.) *Publica laetitia & adclamatio*: 1 Sam. X. 24. *Et dixit Samuel ad omnem populum: Videtis, quem Dominus elegit, & clamavit omnis populus & ait: Vivat rex!* c. XI. 15. cum in Gilgal Saul in regem coronaretur, *laetatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſrael valde.* 1. Reg. I. 39. *Dixit omnis populus: Vivat rex Salomon!* v. 40. *Et adſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis & laetantium*

gaudio magno, & findebatur terra a clamore eorum. 1. Paral. XXX. 22. cum Salomon secundo ungeretur, Israelitæ *comederunt & biberunt coram Domino in die illo cum grandi laetitia.* 2. Reg. XI. 12. *Fecerunt Joas regem, & plaudentes manu dixerunt: Vivat rex!*

b.) *Apud alias gentes.*

§. XCVI. Hi fuere præcipui ritus in regum Israeliticorum inauguratione adhiberi soliti, quibus similes etiam apud alios populos occurrunt, quos recenset Alexander ab Alexandr. lib. I. genial. dier. cap. 28. Petrus Gregorius lib. VI. de republ. cap. 20. & lib. VIII. cap. 2. Bodinus lib. I. de republ. cap. 8. p. 130. 1.) *Diadematis* regibus collati apud antiquissimos scriptores fit mentio, erat autem fascia candida, quæ capiti regis circumligabatur, a διαδέω, quod est *circumligo*. Justinus lib. XV. hist. p. 122. Esth. II. 17. Ahasverus Estheri reginæ imponit *diadema*, & *facit eam regnare loco Vasthi.* 1. Macc. I. 9. *Post mortem Alexandri obtinuerunt servi ejus regnum unusquisque in loco suo*, v. 10. *& omnes imposuerunt sibi diademata.* c. VI. 15. Antiochus proregem & filii tutorem constituens Philippum, *dedit ei diadema & stolam suam & annulum.* c. XI. 13. Ptolomæus *imposuit duo diademata capiti suo*, nimirum propter duo regna Ægypti & Asiæ. Egesippus lib. II. de bell. judaic. cap. 1. *Quid enim sella aurea, albatumque diadema, nisi regni forent insignia?* Silius libro XIX. de Juba Numidiæ rege:

— — — *Regnique insigne vetusti*
Gestat Juba decus, cinguntur tempora vitta
Albenti. — — — — —

Inter Romanos principes primus *Aurelianus* diadema usurpavit, referente Aurelio Victorino in ipsius vita. Valerius Maximus lib. VII. memorabil. capite 11. refert, quemdam subtilis judicii regem traditum sibi diadema priusquam capiti imponeret, considerasse ac dixisse: *O nobilem magis, quam felicem pannum*, cum quo convenit illud poetæ:

Si scires, quanti plenum diadema periclî,
Malles Sisyphi ponderis esse reus.

Apud Persas diadema regale vocabatur *tiaris.* Curtius libr. III. histor. *Tiarim Persae regium capitis vocabant insigne, hoc caerulea fascia albo distincta circumibat*: Item tiara: Brisson. libr. I. de regn. Persico pag. 30. *Tiara regum Persicorum fuit propria* Marcellinus libro XXIX. refert, Saporem regem Persarum aureum capitis arietini figmentum interstructum lapillis pro diademate gestasse. 2.) *Purpurea vestis* regum olim erat insigne, quæ apud quosdam vocatur *trabea.* l. *unic. C. de vestib. holos. & aur.* Valentinianus constituit, *ne quis vestes auratas gerat praeter principem, ne quis purpuram gestet.* Lactantius libr. IV. institut. cap. 7. Colore hujus vestis rubicundo sanguinis imperium *& necis inferendae potestatem* notari monet. Ad purpureas vestes etiam refertur *paludamentum* cocco, purpuraque & auro distinctum, quo consules ac prætores in provinciam exituri induebantur. Florus libr. I. histor. cap. 5. *Tarquinius Priscus oriundus Corintho Thusciae populos frequentibus armis subegit, inde fastes, trabeae, curules annuli, phalerae, paludamenta, praetexta, inde quod aurato curru quatuor equis triumphatur.* 3.) *Sceptra* a regibus jam olim gestari, vel illis præferri solita. Cicero pro Sest. *Sedent cum purpura & sceptro & insignibus illis regiis*, Ægyptiorum & Æthiopum reges sceptrum gestabant, in cujus summo figura ciconiæ sculpta erat, in imo vero hippopotamus, quo symbolo admonebantur, ut essent pietati dediti, & ab omni violentia alieni. Sceptrorum loco antiquissimis regibus fuerunt *hastae.* Justinus lib. XLIII hist. p. 247. *Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere.* Consulibus Romanis præferebantur *fasces*, qui erant fasciculus virgarum, vel ut alii volunt, duæ perticæ cum securi, per *virgas* significare voluerunt corrigendum esse a magistratu, quod mutari possit, per *securim* vero, abscindendum esse, quod mutari nequeat, ut exponit Plutarchus in problemat. alii existimant,

mant, significatum esse, quod ira magistratus non debeat esse in præcipiti, solutio enim fascium, quæ paulatim fit, requirit aliquam moram & cunctationem. Veteres magistratui recens electo *faces ardentes* prætulerunt. Paradinus in symb. heroic. *Lux publica principis ignes* p. 201. ut cæteris splendore virtutis & æquitatis se prælucere debere noverit. 4.) Solitæ quoque fuere in coronatione regum tales adhiberi cerimoniæ, quæ de rerum humanarum fragilitate & vitæ humanæ brevitate ipsos admonerent, eorumque animos ad moderationem flecterent. Refert Isidorus, Constantinopoli fuisse morem, ut quo die imperator coronam cæsaream susciperet, eum sedentem in sublimi throno accederet cæmentarius, proponens illi aliquot lapidum genera, *ut ex his unum eligeret, ex quo sibi tumulum fabricari vellet.* In Romanorum pontificum inauguratione, interea dum de more facellum D. Gregorii declaratus prætergreditur, præit ipsum cerimoniarum magister, gestans arundines seu cannas duas, quarum alteri sursum adposita est *candela ardens*, quam alteri cannæ, cui superpositæ sunt *stuppae*, adhibet, incenditque dicens: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*, quod ipsum etiam tertio iterat. Camerarius libr. I. operar. succisiv. cap. 12. quo pertinet, quod Platina commemorat, pontifices ipso coronationis die *fellae stercorariae* imponi, ut de humanarum rerum conditione admoneantur. Zonaras libr. II. annal. refert, quod si quando alicui ex ducibus, vel imperatoribus Romanis ob res feliciter gestas & hostes devictos triumphus a senatu decretus esset, isque in curru triumphali maxima pompa urbem ingrederetur, eodem curru carnifex, minister publicus vectus fuerit, qui pone coronam auream gemmis distinctam sustinens eum admonebat, ut respiceret, hoc est, ut reliquum vitæ tempus provideret, nec eo honore elatus superbiret, adpensam quoque fuisse currui nolam & flagellum, quibus notabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut flagris cæderetur & capite damnaretur. Baptista Campofulgosus libr. VII. cap. 2. memorat, Saladinum, Ægypti sultanum in solemni processione obsoletam tunicam sibi præferri & per præconem clamari jussisse: *tantum Saladinus, Asiae domitor, ex hoc mundo secum reportat.*

§. XCVII. III.) Promissio obedientiæ & fidelitatis, quam subditi mediante jurejurando magistratui præstant, adpellatur homagium, cujus usus etiam in Israelitica politia occurrit. Jos. I. 16. principes totius populi nomine respondent Josuæ: *Omnia, quae praecepisti nobis, faciemus, & quocunque miseris nos, ibimus.* v. 17. *Sicut obedivimus in cunctis Mosi, ita & obediemus tibi.* v. 18. *Qui rebellarit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus, quos praeceperis ei, moriatur.* 1. Paral. XXIX. 24. *Universi principes & heroes, & cuncti filii regis David dederunt manum, & subjecti fuerunt regi Salomoni*; inde est, quod subditi vocantur regis *servi*, 1. Sam. VIII. 17. 1. Reg. XII. 4. 2. Reg. X. 5. &c. ac magistratus vocatur ipsorum *dominus*. 2. Sam. II. 7. Neh. IX. 37. In hisce subditorum juramentis, si non semper expresse, tamen tacite excepta intelligitur obedientia Deo debita; *oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus.* Act. V. 29. atque ita danda sunt *caesari, quae sunt caesaris*, ut *dentur etiam Deo, quae sunt Dei*, Matth. XXII. 21. qua de re infra pluribus dicetur.

3.) *Homagii praestatio.*

CAPVT IV.

DE CAVSA MATERIALI MAGISTRATVS.

Causa materialis, sive subjectum recipiens magistratus sunt

§. XCVIII. *Causae materialis, sive subjecti recipientis* vicem obtinent *personae*, quæ magistratu funguntur, ubi *primo* omnium notandum, quod Deus ut ecclesiastico ministerio, ita quoque regimini politico non angelos, sed *homines* præfectos esse voluit; sic enim habet effatum divinum, in quo prima magi-

magistratus institutio proponitur: Gen. IX. 6. *Qui sanguinem humanum effuderit, ejus sanguis effundetur per hominem*, & Petrus huc respiciens 1. epist. II. 13. magistratum vocat *humanam ordinationem*. Causæ, propter quas Deus ab hominibus hoc officium administrari voluerit, κατ' ἀναλογίαν colligi possunt ex illis, quæ in præcedente tract. de ministerio diximus cap. IV. sect. 1. Voluit enim Deus etiam hac in parte suam ostendere, 1.) tum φιλανθρωπίαν, dum ex hominibus quosdam eligit, quibus nomen suum communicat, ut vocentur dii; 2.) tum potentiam, dum adversus diaboli & seditiosorum hominum furores hanc ἀνθρωπίνην κτίσιν tuetur; 3.) voluit insuper magistratuum animos ad moderationem flectere, ut se ac subditos ex eodem luto factos esse cogitarent; ac 4.) ὑπαιθείαν in subditorum animis per hanc naturæ cognationem excitare atque alere, cum enim magistratus homines esse sciamus, humanas infirmitates illis condonemus, sicut Fridericus II. imperator dicere solitus fuit, quod *gratiorem praelaturam faciat identitas speciei*; 5) denique nostram probare & exercere voluit obedientiam, deorum terrestrium loco habere jubens eos, qui naturæ societate nobis sunt conjuncti.

Certi homines, ubi quaeritur: 1.) Cur Deus ab hominibus officium magistratus geri voluerit?

§. XCIX. II.) *Exemplar & norma*, ad quam in electione magistratuum respiciendum, ut sciamus, quales eligi debeant, proponitur a Jethrone, Mosis socero, Exod. XVIII. 21. *Provide de omni plebe viros strenuos & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis millenarios, centuriones, quinquagenarios & decuriones, qui judicent populum omni tempore*; & a Mose Deut. I. 13. *Date ex vobis viros sapientes & intelligentes, & quorum conversatio sit nota & probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes*, ex quibus locis rabbini colligunt מְרוּמֵי proprietates judicum. 1.) Requiritur, ut personæ ad magistratum gerendum eligendæ sint יִרְאֵי אֱלֹהִים, *timentes Deum*, idem requiritur Deut. XVII. 19. Psal. II. 11. 2. Paral. XIX. 7. idque merito primo omnium in magistratu spectandum; *a*) quia *timor Domini initium sapientiae*; Psalm. CXI. 10. Prov. I. 7. Eccl. I. 16. jam vero absque sapientia moderatrice ac directrice imperia gubernari nequeunt. *b*) Quia reges, principes & omnes magistratus sunt *Dei* in terris *vicarii* ac ministri. Sap. VI. 5. Quemadmodum igitur a ministro requiritur, ut ad voluntatem ac nutum domini sui unice respiciat; Psal. CXXIII. 2. ita quoque magistratus ex sincero Dei timore omnia gerat, sibique rationem officii aliquando dandam semper cogitet. *c*) Sublato Dei timore abusus potestatis consequi solet turpissimus, ac sine Dei timore potestas est velut gladius in manu furiosi, ex quo tandem evenit illud Sap. VI. 9. *Potentes potenter tormenta patientur.* *d*) Timor Domini est causa omnis felicitatis ac benedictionis, Eccl. I. 13. stabilis potentiæ, Psal. CXII. 2. & singularis eminentiæ; Eccl. XXV. 14. ut ergo in imperio vigeat tranquillitas & felicitas, requiritur in magistratu timor Domini. Est autem timere Deum agnoscere ex verbo ipsius potentiam & justitiam, quod sit παντεπόπτης & judex omnium, reverenter se illi subjicere, & mandatis ejus sese obsequentem præbere, ut infra plenius dicetur.

2.) Quales sint ad magistratum eligendi? a.) Deum timentes.

§. C. 2.) Vt sint viri אַנְשֵׁי חַיִל, *viri virtutis, sive fortes* ac strenui. LXX. interpretes reddiderunt δυνατοὶ, qui sint animo præsente & imperterrito, ἀμικρόψυχοι, ἀλλὰ μεγαλόψυχοι, sicut de Severo imperatore commemoratur, quod *res peragendas sedulo curarit, ea vero, quae de ipso vulgo dicebantur, contemserit.* Hoc animi robur in magistratu requiritur; *a*) quia administratio imperii multis obnoxia est calumniis, quas alto animo oportet despicere, sicut Alexander magnus dicebat: *Regium est benefacere & male audire.* Generosus leo non curat latratus canum minorum. 1. Sam. X. 27. *Cum filii Belial dicerent de Saule: Quid salvabit*

b.) Fortes.

nos

nos iſte? eumque deſpicerent, ipſe erat veluti ſurdus & excelſo animo contumelias illas contemnebat. *b)* Quia magiſtratus obnoxii ſunt variis odiis, cum juſtitia veluti lux quædam oculos tenebrionum offendat. *c)* Quia obnoxii ſunt variis inſidiis ac machinationibus; requiritur igitur, ut animum ad eas obfirment, ac Deo, qui circa ipſos eſt *murus igneus*, Zach. II. 5. rem omnem commendent. *d)* Præpoſtero metu facile in avia abripi poſſunt magiſtratus, ut a juſtitiæ ac veritatis tramite deflectant. *Peſſimus conſiliarius eſt metus.*

e) Veraces. §. CI. III.) Vt ſint אַנְשֵׁי אֱמֶת, *viri veritatis, ſive veridici*, qui & loquantur & ament veritatem, qui juxta veritatis normam judicent, nec ab ea vel ad dextram, vel ad ſiniſtram declinent. Hoc veritatis ſtudium propterea in magiſtratu requiritur; *a)* Quia in judiciis convenit veritatem ſectari ac tueri, ubi potiſſimum illa occultatur & impugnatur. *b) Judicium*, quod magiſtratus exercet, *eſt Dei*; 2. Paral. XIX. 6. jam vero Deus eſt אֵל אֱמֶת, *Deus veritatis*, Pſal. XXXI. 6. mendacium eſt ex diabolo. Joh. VIII. 44. *c)* Vbi non eſt veritatis ſtudium, ibi aures aperiuntur delatoribus ac calumniatoribus, qui cives bonos cupiunt oppreſſos.

d.) Avaritiam odio habentes. §. CII. IV.) Vt ſint שֹׂנְאֵי בֶצַע, *odio habentes avaritiam*, non ſolum alieni ab avaritiæ ſordibus, ſed etiam ἀποστυγοῦντες, capitali, imo infernali odio proſequentes; Rom. XII. 9. *a)* Quia magiſtratus debet eſſe animi ſtrenui ac fortis, *jam vero nihil eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare divitias*, Cicero lib. I. offic. *b)* Quia φιλάργυροι facile fiunt δωροφάγοι, patiuntur muneribus ſe corrumpi, ut a norma juſtitiæ in judicando deflectant. Exod. XXIII. 8. Deut. XVI. 19. *Munera excæcant videntes, & pervertunt verba juſtorum.* *c)* Qui privatis commodis nimium ſunt intenti, ad curandum ac promovendum bonum publicum ſunt remiſſi.

e.) Sapientes. §. CIII. V.) Vt ſint אֲנָשִׁים חֲכָמִים וּנְבוֹנִים, *viri ſapientes & intelligentes*, inſtructi prudentia; *a)* Quia magiſtratus eſt veluti *oculus reipublicæ*; jam vero prudentia eſt oculus mentis. ἔχοντος ἴδιος ἀρετὴ μονὴ ἡ φρόνησις, inquit philoſophus. *b)* Qui ſibi ſuisque rebus non poſſunt recte conſulere, quomodo alienis recte poterunt proſpicere? *c)* Reſpublica deſtituta prudente gubernatore eamdem experitur ſortem, quam navis deſtituta perito nauclero, quæ vel ſcopulis adliditur, vel vorticum gurgitibus abſorbetur. *d)* Boves non reguntur a bobus, nec capræ a capris; ſic illos, qui hominibus præeſſe debent, prudentia communem hominum naturam oportet transſcendere, quo ſimili utitur Plato lib. IV. de legibus.

f) Noti ac probati. §. CIV. VI.) Vt ſint יְדֻעִים a radice יָדַע *ſcivit, cognovit.* Potest exponi active, *viri ſcientes, periti*, & rerum experientia inſtructi, qui multa viderunt & cognoverunt, quo modo expoſuerunt LXX. interpretes, δότε ἄνδρας συνετὰς, v. 13. καὶ ἐπιστήμονας, v. 15. quo ſenſu etiam Prov. XXIV. 5. אִישׁ־דַּעַת, *vir intelligentiae* dicitur ὁ ἀνὴρ φρόνησιν ἔχων, quia prudentia ex rerum uſu naſcitur & eſt experientiæ filia. Sed quia jam ante ſapientiam & intelligentiam Moſes requiſivit; ideo commodius exponitur paſſive *viri noti & probati*, ſicut vulgata verſio latina reddidit, ac periphraſtice addidit, *quorum converſatio eſt probata.* Neque enim convenit, imperii faſces illis committere, quorum virtus & ἱκανότης nondum eſt ſatis explorata, perinde ut apoſtolus νεόφυτον eccleſiaſtico miniſterio præfici prohibet, 1. Tim. III. 6. id quod cum præſentiſſimo reipublicæ periculo foret conjunctum.

Diviſiones eorum, quae in magiſtratu requiruntur. §. CV. Atque hæc ſunt, quæ in magiſtratu eligendo ſpectari voluit Jethro & gener ipſius Moſes. Vt autem diſtinctius progrediamur, dicimus in genere ſpectandam eſſe in perſonis magiſtratui præficiendis ἱκανότητα, quæ multa omnino complectitur; interim tamen

men pro diversitate magistratuum gradus ac varietatem recipit: neque enim talia ac tanta requiruntur in magistratibus inferioribus, qualia ac quanta in summo magistratu requiruntur. In specie quædam *primario ac principaliter*, quædam vero *secundario ac minus principaliter* sunt spectanda. Principaliter spectanda sunt *bona animi interna*, sive virtutes magistratu dignæ. Eæ vero sunt vel *primae*, vel *secundae* decalogi tabulæ: ad primam decalogi tabulam pertinet *timor Domini*, *pietas*, *amor veraе religionis*, &c. Ad secundam *justitia*, *clementia*, *adfabilitas*, *amor veritatis*, *odium avaritiae*, *magnanimitas*, *prudentia*, &c. de quibus inferius in officio magistratus explicando dicetur pluribus. Minus principaliter spectanda sunt *bona corporis ac fortunae externa*, utpote *genus*, *patria*, *sexus*, *aetas*, *forma*, *robur*, *potentia ac divitiae*.

Quaestiones de requisitis magistratus: 1.) An veraе religionis professio requiratur?

§. CVI. Quæritur hoc loco I.) circa *religionem*: *An is, qui a vera religione alienus, in magistratum eligi debeat?* Vbi 1.) dicimus, si jure successionis juxta leges fundamentales & pacta conventa ad eum pertinent imperii fasces, qui a veta religione alienus est; tum propter religionis diversitatem non est privandus suo jure, quia religio & ecclesia non abolet politias ac jura politica. Thomas II. 2. q. 10. art. 10. „ 2.) Si quaeratur de praelatione in„fidelium instituenda, nullo modo id permit„ti debet, cederet enim in periculum fidei. „Si vero de dominio jam præexistente quæ„ritur, notandum, quod dominium introdu„ctum ex jure humano, jus autem divinum „non tollit humanum.„ Si vel procerum, vel majoris partis suffragiis electus est, qui a vera religione abhorret, non est illi prætextu religionis obedientia debita in rebus justis & honestis deneganda, ita tamen, ut imperium superioris, ipsius scilicet Dei, semper intelligatur exceptum. 3.) Si vero de libera electione per suffragia quæritur, dicimus omnino præferendum eum, qui veræ religioni addictus est, modo reliquis donis ad imperium necessariis sit instructus. *a*) Nullum enim est arctius vinculum magistratus ac subditorum, quam animorum in vera religione consensio. 2. Reg. XI. 17. de Jojada Pontifice memoratur, quod *pepigerit fœdus inter Deum & regem & inter populum, ut esset populus Domini, & inter regem & populum*, hoc est, & regem & populum reciproca obligatione ad veræ religionis & divini cultus conservationem adstrinxit, ut hac ratione novi regis imperium stabiliret. *b*) Deus ipse in politia Israelitica prohibuit peregrinum diversæ religioni addictum eligere Deut. XVII. 15. *Non poteris alterius gentis nominem regem facere, qui non sit frater tuus*; ubi & cognatione & religionis professione frater intelligitur. *c*) Si eligatur in magistratum, qui veræ religioni est adversus, magnum imminet sinceritati religionis & cultus divini periculum; qui enim obtinent imperium in corpora & facultates subditorum, etiam conscientiis ipsorum dominari sæpiuscule satagunt, nec cogitant soli Deo illud esse uniee relictum. *d*) Idololatria est una ex causis eversionis rerumpublicarum, ut ex Salomonis & Jeroboami exemplo constat.

2.) An generis honestas?

§. CVII. Quæritur II.) circa *genus*: *An illi, quorum generi adhaeret macula ac infamia, ad magistratum eligendi?* Quibus adfirmativa placet, his utuntur argumentis: 1.) *Jephtah* fuit filius mulieris meretricis, idem tamen a proceribus Gilead eligitur in principem, ac fortiter & feliciter rem gerit. Jud. XI. 1. & seqq. 2.) Addunt exempla ex historiis profanis, Herculis, Thesei, Teucri, Menelai, Themistoclis, &c. Marcus Brutus omnibus virtutum numeris absolutissimus ex adulterio natus fuit. Arnulphus, qui primus ante Ottonem ex Gallia in Germaniam imperii titulum transtulit ex Caroli magni pronepotibus spurius fuit. Alciat. tract. de duello cap. 17. p. 27. Heliogabalus cæsar, Lampridio teste, Varius dictus, propterea quod ex meretrice natus esset. 3.) *Crimen paternum non potest filio maculam infligere*, crimen, de pœnis. Naturæ

tiæ potius caidam inclementiæ id adscribendum, quæ tales eos produxit. Palæotus de spur. cap. 55. *homines undecunque prodierint, Dei aeque filii sunt.* cap. *Undecunque* &c. dist. 56. *Nec natales quemquam, vel minima ulla in re valent polluere.* cap. *Nunquam* &c. dist. eadem ex Chrysostomo: *Christus voluit non solum de alienigenis commixtionibus, sed etiam adulterinis nasci, quo nobis magnam fiduciam praestaret, ut qualicunque modo nascamur, dum tamen vestigia ejus imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cujus per fidem membra effecti sumus.* cap. *Dominus* &c. dist. 56. *Nasci de adulterio*, inquit Hieronymus, *non est ejus culpa, qui nascitur, sed qui generat.* 4.) Magna quandoque virtutis documenta in spuriis deprehenduntur. Euripides in Andromach. *Saepenumero certe arida profundam terram vincit satio. Spurius multis legitimis melior.* Talia exempla commemorat Tiraq. in tractat. de nobilitate. c. 15. n. 30. Palæotus de spuriis cap. ult. Cardanus de utilitat. ex adv. capiend. tit. de adult. uxor. 5.) Vnde olim ad maximas dignitates etiam ad decurionum ordinem evehi potuerunt, l. *generaliter* §. 1. l. *infamia* l. *Spurii* ff. *de decurion.* ubi ratio decisionis additur: *Non impedienda est dignitas ejus, qui nihil admisit.* Qui in negantem abeunt, proferunt: 1.) *constitutionem divinam*: Deut. XXIII. 2. *Non ingredietur de scorto natus in ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.* מַמְזֵר est idem, quod זָר *extraneus, spurius, foris genitus ex scorto natus*: is prohibetur ingredi in ecclesiam, quod quidam interpretantur, non debet habere *jus ducendi Israelitidem.* Salomon notante Fagio in h. l. & Duareno lib. IV. de sacris eccles. minist. c. 5. sed rectius accipitur de *officiis publicis*, ad quæ spuriis in ecclesia & republica non debeat patere aditus, etiam decima generatione. Voluit Deus hac constitutione admonere, quam graviter detestetur vagas libidines & illicitos congressus. Rabbini in explicatione hujus legis triplices enumerant spurios, *primi* sunt, de quibus non ambigitur, *secundi*, qui sunt incerti, *tertii*, quos scribæ tales habebant. Primi illegitime nati feruntur ex incestu, alteri nati putantur ab uxore, quæ alteri nupserit marito primo adhuc superstite: tertii a scribis ob causas sæpenumero leves tales habebantur. Innocentius III. distinguit inter nothum, spurium & mamzerem, lib. I. decretal. tit. 9. cap. 10. quam distinctionem copiose explicat Palæotus l. *de nothis & spuriis* cap. 18. Sed Græci promiscue omnes illegitime natos dixerunt νόθους, quos scholiastes in II. Iliad. Homeri sic describit, quod sint οἱ μὴ ἐκ νομίμης γυναικὸς γεννηθέντες, ἀλλ' ἐκ παλλακίδος. Cœl. Rhodiginus lib. XV. lect. antiq. cap. 24. refert eosdem vocare *scotios*, id est, clandestino concubitu natos apud Homerum: *parthenios*, qui ea producti, quæ cum nuberet, credita sit virgo. Quidam octo enumerant species, quæ sint *spurii* incerto patre, aut matre orti, nihil nisi semen ab iis habentes ἀπὸ τοῦ σπείρειν, vel quasi σποραδὴν concepti, vel quasi sine patre. *Vulgo concepti*, qui patrem quidem norunt, sed eum, quem habere non licet, aut quorum mater publice quæstum non facit, sed clam domi, ac proinde raro verum, sed tantum putativum habent patrem. *Varii*, quasi e vario semine nati. *Mamzeres*, qui ex scorto & fœmina publica nati. *Incestuosi*, qui e consanguineis, aut adfinibus contra leges suscepti, *Adulterini*, qui vel e stupro, vel adulterio proveniunt. Νόθοι, qui in concubinatu gignuntur. *Hybridae*, qui ex imparibus orti parentibus. *Bastardi* omnes illegitime nati, quasi dicas, *base Art*, degeneris ingenii. De his omnibus divina constitutio dicit, quod non debeant publicis officiis fungi etiam decima generatione, hoc est, in sempiternum, cujus constitutionis causas longe gravissimas enumeravimus tract. de bapt. §. CCVI. 2.) *Exempla bene constitutarum rerumpublicarum*, in quibus spurii nunquam ad honores & officia fuere admissi. Aurea bulla Caroli IV. ad electoratus successionem illum duntaxat admittit, *der ein rechtes Ehekind.* In legibus fundamentalibus regni Galliæ etiam hæc habetur: *Ne quis nothus, ne legitimatus quidem, ad regni successionem admittatur.* Hotomannus in tract. de success. in regn. Franc.

lib. III. p. 34. Solonis lex erat, *ut spurius publicum esset civitatis mancipium.* Auctor horol. princ. 218. Vnde apud Athenienses spurii nec ad publica officia admissi, imo nec genti adscripti fuere. Plutarchus in Pericle. Apud Suecos, Gothos & Norvegos olim vix licuit spuriis in honestorum virorum versari consortio. Joh. Magnus lib. XVIII. cap. 6. Apud Helvetios non admittitur ad gubernationem spurius. Siml. de republ. Helvet. p. 148. Aristoteles libr. IV. politic. cap. 6. *Omnibus licet ad rempublicam accedere, quos modo generis conditio non repellit*, ubi per generis exceptionem interpretes intelligunt spurios. 3.) *Jura canonica* a sacrorum administratione eos arcent, quamvis ad ipsum pontificatum spurios quosdam evectos fuisse, exempla Dionysii I. Leonis V. Johannis X. Clementis VII. Innocentii VIII. & aliorum testentur. cap. *Si gens Anglorum &c.* dist. 56. *Divulgatum est, incestuosos & adulterinos nec bello seculari esse fortes, nec in fide stabiles, nec hominibus honorabiles*, cap. Venerabilem. extra qui filii sint legitimi. *Mamseres & spurios canon vetat ad sacros ordines promoveri, secularibus quoque legibus non solum repellentibus eos a successione paterna, sed negantibus etiam ipsis alimenta.* Calixtus c. conjunctiones 35. q. 2. *Nos sequentes patres nostros infamia eos notamus & infames esse censemus, quia infamiae maculis sunt conspersi, & quoniam eos vel designare funestum est.* 4.)

Qui viret in ramis, venit a radicibus humor,
Et patrum in natos abeunt cum semine mores;

ait *Baptista Mantuanus.* Ex ortu turpi depravati nascuntur animi. In liberis & posteris exempla paterni criminis metuuntur. Sap. III. 16. Τέκνα μοιχῶν ἀτέλεσα ἔσται, καὶ ἐκ παρανόμε κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται v. 17. ἐάν τε γὰρ μακρόβιοι γένωνται, εἰς ὐδὲν λογισθήσονται, καὶ ἄτιμον ἐπ' ἐσχάτων τὸ γῆρας αὐτῶν. cap. IV. 3. ἐκ νόθων μοχευμάτων ὲ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος, ὐδὲ ἀσφαλῆ βάσιν ἐδράσει. quod tamen eum quadam limitatione intelligendum, ut ostendimus in tract. de bapt. §. CCVIII. Euripides in Phœnissis graviter pronunciat: μὴ νεμιμοι παῖδες μητρὸς λοχευμα, πατρος μίασμα. ac Plutarchus in lib. περὶ παιδ. ἀγωγ. τοῖς μητρόθεν ἢ πατρόθεν ἐκ εὖ γεγονύσιν ἀνεξάλειπτα παρακολυθεῖ τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη παρὰ πάντα τὸν βίον καὶ πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις, ubi etiam adducit dictum poetæ: ὁταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένες ὀρθῶς, ἀνάγκη δυσχεῖν τὰς ἐκγόνας. 5.) Magistratus debet auctoritatem apud subditos obtinere, ex enim nervus est obedientiæ. At qui non sunt legitime nati, in extremo versantur contemtu, unde *abominabiles & exosi* omni jure dicuntur. Cassander p. XI. consil. 15. 6.) Illegitimo toro & incerto patre nati plerumque turbulenti sunt aliisque deteriores propter mala principia & institutionem minus diligentem. Chrysostomus homil. 29. in cap. 12. Hebr. docet, Deum se verum & genuinum patrem exhibere, quando nos castigat, nam *patres spurios & nothos negligunt.* 7.) Exemplo plurimum id reipublicæ nocet, ac latam aperit libidinibus fenestram, si portæ honorum ac dignitatum spuriis pateant. *Quid aliud est spurios ad senatum civitatis admittere, quam libidinis quasi faces accendere?* Casus lib. IV. sph. civit. cap. 6. q. 2. 8.) Spurii cum *patrem non habere intelligantur.* l. 23. *de statu hom. ar.* l. 5. *de in jus voc.* §. 12. *inst. de nupt.* nullam etiam in bonis patris successionem habere possunt; quod si in bonis privatorum hoc sancte custoditur, multo magis in publicis observari debet, unde spurius non fuit admissus ad decurionatum, si habuit competitorem legitime quæsitum l. 3. §. *spurios 2. ff. de decurion.* Distinguendum tamen inter *regulam generalem*, & *extraordinarium necessitatis casum.* Regulariter spurii non sunt admittendi ad magistratus officium; interim extraordinarie propter heroicam virtutem & certas quasdam reipublicæ circumstantias admitti possunt. Distinguendum etiam inter illum *spurium, qui paternis vestigiis insistens* re & vita inhonestus est, & inter eum, qui *maculam generis vitae honestate & rebus praeclare gestis eluit.* De priore recte dicitur, quod

quod omnes dignitatum portæ ipſæ præcluſæ eſſe debeant, c. *Nunquam* c. *Domini* diſt. 56.

3.) *An generis ſplendor?*

§. CVIII. Quæritur III.) *An qui obſcuro loco nati in magiſtratum eligendi?* Negativam his ſtabiliunt argumentis: 1.)

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

ut eſt apud Horatium.

Non etenim e ſquilla roſa naſcitur, aut hyacinthus,

εἰκὸς βελτίσς εἶναι τὰς ἐκ βελτιόνων, ait philoſophus lib. VIII. polit. cap. 7. 2.) Humili loco orti ſi ad imperium evehantur, criſtas erigunt, ac impotenter ſe gerunt priſtinæ conditionis immemores. 3.) Diſtinctio familiarum magnum reipublicæ ornamentum ac munimentum, ea vero labaſcit, ſi plebeiis ad magiſtratus officium aditus conceditur. Sed enim quamvis facile concedamus, generis dignitatem non eſſe in electione poſthabendam, ac proinde quando duo, vel plures adſunt ſufficientibus requiſitis inſtructi, præferendum eſſe eum, cujus virtuti generis dignitas eſt conjuncta; tamen virtus primum ac præcipuum eſt in magiſtratu requiſitum; quod cumprimis in electione reſpiciendum, proinde generis conditio neminem debet a magiſtratu excludere, ſi donis ac virtutibus ſufficientibus ſit inſtructus. *a*) *Saul* primus Iſraelitarum rex divinitus conſtitutus de ſe ipſo inquit 1 Sam. IX. 21. *Numquid non filius Jemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea parva inter omnes familias de tribu Benjamin?* David a paſtura gregis divino mandato in regium collocatus eſt ſolium. 1. Sam XVI. 11. Si Pharao & ipſius optimates generis nobilitatem ſpectaſſent, nunquam *Joſephum* Ægypti proregem conſtituiſſent. Gen. XLI. 40. *b*) Nec deſunt exempla eorum, qui infimo loco nati ad principatum ſunt evecti, & res magnas in eo geſſerunt. *Agathocles*, Siciliæ rex, patre figulo natus fuit. Juſtinus lib. XXII. hiſt. in cujus ortus ſui memoriam fictilibus ſemper cœnavit. *Auguſtus* imperator avum habuit argentarium. *Helvius Pertinax* patre natus eſt libertino. *Valerius Aurelianus*, *Anaſtaſius Maximus*, &c. imperatores humili fuere loco nati. Et ante illos *reges Romanorum* a vomere & ſliva plerumque lecti. *Tulli Hoſtilii* incunabula agreſte tugurium cœpit, ejusque adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata. Tzezes hiſt. chil. VI. cap. 27. *Servius Tullius* matre ſerva natus fuit. Florus lib. I. cap. 6. *c*) Virtutes parentum non ſunt in liberis hæreditariæ, ideo optimus quisque merito cenſendus nobiliſſimus. Vellejus lib. II. *Poteſt ex caſa vir magnus exire*, inquit Seneca libr. IX. epiſt. 79.

4.) *An patriae conſortium?*

§. CIX. Quæritur IV.) circa *patriam*: *An peregrini ad reipublicae clavum collocandi?* Qui adſirmant, hæc proferunt: 1.) Si exteri admittantur, tollitur inter cives æmulationis ſtudium, ex qua inteſtinæ diſcordiæ, & conſequenter reipublicæ clades oboriri ſolent. 2.) Augetur potentia reipublicæ, ſi vires externi principis illi conjungantur. 3.) Vt generi non eſt adligata virtus, ita nec patriæ; unde Claudius imperator in ſenatu diſſeruit, *etiam extraneos, modo ſint fidi, prudentes & reipublicae utiles, poſſe, imo debere ad reipublicae gubernacula admitti.* 4.) Exempla teſtantur, etiam peregrinis faſces fuiſſe delatos: *Tarquinius Priſcus* apud Livium in oratione in comitiis habita, *ſe non petere rem novam*, inquit, *cum non primus, quod quisquam indignari mirarive poſſet, ſed tertius Romae peregrinus regnum adfectet.* Ante ipſum *Numa* e Sabinis ad regnum evocatus: Livius lib. I. p. 21. *Trajanus*, a Nerva ſucceſſor conſtitutus, & Auguſtus dictus, fuit natione Hiſpanus. Cenſuit enim Nerva virtutem cujusque, non patriam æſtimari & ponderari oportere. Dionyſius l. LXVIII. p. 778. *Severus*, *Maximinus*, *Philippus Arabs* imperatores fuere exteri. Tacitus lib. XI. ann. Romæ multos advenas *ſenatores* factos memorat. *Poloni* ex regionibus exteris ſuos advocare ſolent reges. 5.) Alciatus de præſumt. reg. I. præſ. 73. originarios exteris præferendos dicit *in rebus ipſius civita-*

tis administrandæ, & quæ ad ejus curam spectant; *sed in jurisdictione* exteros præferendos esse statuit, ne scilicet originarii quidpiam ex gratia & favore amicorum & utilitate rerum, quas ibi possident, agant. Emericus a Rosbach. in proc. jud. tit. 7. num. 16. aliam rationem addit, quod *is, qui jurisdictionem & magistratum gerit, ab hominibus suspici, aestimari ac magni prae aliis haberi debeat*; sed in patria, ubi concivibus familiares, adfines & amici sumus, raro hoc fieri solet. Sed enim quamvis extraordinarie incidere possit tempus ejusmodi, ut sit e salute reipublicæ peregrinum eligi, quando scilicet inter indigenas non inveniuntur satis digni & habiles, quando metuenda civium seditio, quando reipublicæ status externi alicujus præsidium requirit, &c. tamen ordinarie ac regulariter indigenæ præferendi sunt in electione magistratus peregrinis. 1.) Deus ipse in politia Israelitica hanc tulit legem: Deut. XVII. 15. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* 3.) Indigenæ morum animorumque provinciæ gnari melius curant res patriæ notas, provocant subditos amore & benevolentia ad culturam virtutis ac morum. *Caput reipublicae est perspectos habere civium mores*, inquit Tullius lib. II. offic. Etsi princeps aliquis externus bene rem gerat & commode gubernet, tamen quia *moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repraesentare potest benevolentiam, ac si esset indigena, inde faciles oriuntur dissensionum occasiones*, inquit Cominæus in comment. libr. VIII. p. 271. 3.) Princeps alienigena juxta id, quod honestum videtur & erat apud suos, civium novorum mores conformare volet, sicque rempublicam non emendabit, sed perdet. Petr. Gregorius lib. VII. de republica cap. 4. n. 13. 4.) Ingratus est populus, qui spretis legitimis principum de se meritorum familiis regnum ad alienigenas & ignotos transfert. Polybius lib. IV. unde Cominæus dicit, *miserrimam esse populi illius conditionem, qui peregrinum principem eligere compellitur, propterea quod indigenis ad regnandum aptis carere convincatur.* 5.) *Externis moribus adsuetus institutusque princeps potius, quam patriis, non tantum populo suspectus est, verum etiam ingratus.* Tacitus lib. II. annal. *Vt fortior sis*, inquiunt Scythæ ad Alexandrum magnum apud Curtium libr. VII. *quam quisquam alius, tamen alienigenam dominum nemo pati vult.* 6.) Extranei plerumque sunt πλεονεκτικοὶ, nec curant rempublicam, utpote alienam, sed suum tantum ex ea quæstum faciunt. 7.) Peregrinus princeps non potest esse tutus a periculis, nisi validissimo præsidio se ipsum inprimis, deinde arces muniat, illa vero præsidia multum secum trahunt incommodi. Bodinus lib. VI. de repub. cap. 5. n. 744. 8.) Præsto sunt exempla plurimarum rerumpublicarum, quæ peregrinos ab imperio excludunt. Legibus *imperii Romani* fundamentalibus cautum est, ne dignitas imperii transferatur ad eum, qui non est natione Germanus. Sleidanus libr. I. comm. an. 1519. ac inter leges & conditiones, in quas Carolus V. juravit, etiam hæc est: *Negotiis publicis praeficiat non exteros, verum Germanos ex nobilitate delectos.* Lycurgus apud *Lacedaemonas* prohibuit, ne peregrini in urbem admitterentur, tantum abest, ut imperium ipsis tribui vellet. Plutarchus in Lycurg. In republica *Venetorum* peregrinis non patet ad imperium aditus. Patritius lib. III. de instit. reipubl. tit. 2. Apud *Helvetios* nullum munus illi solet committi, qui extra provinciam natus est. Inter leges, in quas principes *Belgae* Belgico populo jurare solent, hæc habetur: *Nullum peregrinum, aut exterum publicis muneribus praeficiunto.* Althusius cap. 15. polit. p. 180.

§. CX. Quæritur V.) circa sexum: *An fœminae ad imperii majestatem admittendae?* Qui adfirmant, hisce nituntur fundamentis: 1.) In populo Israelitico *Debora* prophetissa imperio præfuit, & populum judicavit, Jud. IV. 4. cujus imperium victoria a Cananæis reportata fuit nobilitatum. 2.) Fœminas cum populorum commodo imperium gessisse, bella confecisse, & consilia apte terminasse, multis exemplis confirmant Tiraq. in leg. connub. 11. n. 11. 5.) *An virilis sexus?*

Cas-

Caſſander part. II. catal. glor. mund. cap. 8. Rich. Dinothus lib. VII. de reb. memorab. Petrus Gregorius lib. VII. de republ. c. 11. n. 29. Junius part. qq. polit. q. 13. Schönbornius libr. II. polit. cap. 12. de *Scythis* Juſtinus lib. II. hiſt. ſcribit, quod *non magis virorum imperio, quam fœminarum virtutibus claruerint.* Arianus lib. I. de reb. geſt. Alex. *Receptum ſolitumque in Aſia jam inde a Semiramide, & fœminas imperium inire.* Nec noſtra ætas exemplis fuit deſtituta. 3.) Sexus virtutem non excludit. *Virtutum omnium capax eſt fœmina, quarum capax eſt mas ipſe.* Plato lib. V. de republ. Inveniuntur fœminæ, quæ virili prudentia ſexum ſuum transſcendunt. Tacitus lib. VI. annal. Prudentia, robur animi, & virtutes reliquæ non exſulant ab hoc ſexu. *Generationi inſervit ſexus, hic autem non agitur de ea facultate, ſed de alia, quae aliunde, quam ex ea parte pendet*, inquit Tholozanus d. l. num. 25. Qui fœminæ imperium committendum eſſe negant, hæc proferunt: 1.) *Deus ipſe* viro in re œconomica imperium dedit, mulierem vero ſubeſſe voluit; Gen. III. 16. 1. Cor. XIV. 34. 1. Tim. II. 12 præpoſterum autem foret, in republica illi tribuere imperium, cui in œconomia illud denegatum. Quidam huc adferunt dictum Eſa. III. 12. ubi inter mala Iſraelitici populi refertur, quod *mulieres illi ſint dominatae*; ſed ibi non tam de fœminis, quam de effœminatis gubernatoribus agitur, de illis ſcilicet, qui gerunt animum muliebrem ac timidum. 2.) *Quidquid maſculum, natura magis factum ad imperandum, quam quod fœmineum eſt*, ait philoſophus lib. I. polit. cap. 8. *Mulier debet habere poteſtatem ſuper caput ſuum*, inquit apoſtolus 1. Cor. XI. 10. hoc eſt, velamen in ſignum poteſtatis maritalis, cui eſt ſubdita, idque *naturam ipſam* nos docere ſubjungit v. 4. ergo non divino ſolum, ſed & naturali jure fœminis ſubjectio competit, γυναικὶ δ' ἀρχὴν ἐ δίδωσιν φύσις, inquit Menander. Hunc naturæ ductum & inſtinctum oſtendunt ipſa bruta, quæ ita vivunt, *ut mares fœminis imperent.* Plinius lib. IV. nat. hiſt. cap. 3. 3.) *Honeſtas* ab imperio fœminas excludit. Eſt enim contra pudorem ſexui huic congruentem virilibus convenubus intereſſe, virilia officia tractare, arma virilia gerere. *Nec docere poteſt fœmina, nec teſtis eſſe, nec judicare*, quanto ergo minus imperare. Auguſtinus in qq. vet. teſt. q. 45. Pheretima ad Evelthonem, Salaminis regem, profecta precabatur, ut ſe filiumque Cyrenen cum exercitu reduceret. Ille omnia potius, quam exercitum huic dabat. Cumque ad omnia, quæ dabantur, diceret, *bonum id quidem eſſe, ſed melius facturum eum, ſi quod obſecraretur, daret exercitum*; miſit tandem illi dono fuſum aureum ac colum penſo circumdatam, dicens: *talibus rebus donari fœminas, non exercitu* Herodotus lib. IV. f. 132. 4.) Fœminæ deſtituuntur *requiſitis* ad imperandum neceſſariis. Deeſt illis *prudentia.* Chryſoſtomus hom. XXIII. in Matth. *Mollis & incautus eſt hic ſexus*: mollis, quia facile deflectit a malo ad bonum, vel de bono ad malum; incautus, quia non omnia, quæ videt, aut audit, cum ſapientia & ratione conſiderat. Cicero pro Cluent. *Abundat mulier audacia, conſilio & ratione deſtituitur*; unde ex omnibus fœminis una Pallas Jovis cerebro nata matre caruit, ut intelligeretur, ſapientiam a fœminis manare non poſſe. Deeſt illis *conſtantia.*

— — — *Varium & mutabile ſemper Fœmina*; — — — —

inquit Maro. In ſola inconſtantia & levitate conſtantiſſima eſt, nec

— — *Vlla diu fœmina pondus habet*;

canit Propertius. Deeſt *animi & corporis robur.* Ille conditor noſtri Deus *pectus nobis inſtruxit dolis, ſed vim negavit*, inquit illa apud Senecam in Octav. Quod ſi quæ fœminæ fortiores, eo vehementiores habent impetus, a quibus quæ metuenda ſint pericula, late explicat Petrus Gregorius lib. 47. ſynt. c. 11. n. 11. Deeſt *taciturnitas.* אין סוד בנשים, *nihil arcanum in mulieribus*, dicunt Rabbini. *Loquaculae omnes ſumus, nec mutam repertam eſſe dicunt ullam ullo in ſeculo*, dicit illa apud Plautum, in aulul. act. 2. Deeſt in conficiendis negotiis *celeritas. Quaevis alia, quae*

mora

mora est, aeque mora. Minor ea videtur, quam quae per mulierem est. Plautus in milit. Deest. *animi moderatio*: ἰσὴ λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης, *aequalis leaenae & mulieris crudelitas*, ait Menander.

— — *Quoties facit ira nocentem*
Hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur
Praecipites, ut saxa jugis abrepta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit?

5.) Aut *connubio* jungetur fœmina, aut per se imperabit. Si nupserit, gynæcocratia tamen erit, quoniam ea lege nubit, ut penes illam sint jura majestatis. Sin nuptias recusarit, majus est periculum, quia magno & forti animo subditi muliebre imperium & contumeliosum nec diu sibi tolerandum putabunt. Bodinus lib. VI. de republica cap. 5. num. 739. 6.) *Legibus* plurimorum regnorum ab imperio excluduntur. Inter leges fundamentales regni Gallici, quas recenset Hotomannus lib. I. de antiquit. jure regn. c. 23. est ea: *Ne virgo, neve mulier ad regni haereditatem admittatur, sed agnatus defuncto regi proximus, quamvis gradu fœmina posterior, ei tamen praeferatur.* Quam legem vocant *Salicam.* Comin. de reb. gestis Ludov. & Carol. libr. VIII. p. 271. unde anno 1594. in consultationibus de eligendo rege novo Novarræ regem præferebant infanti Hispaniarum, Philippi regis Hispaniæ filiæ. Mercurius Gallobelgicus lib. VIII. p. 159. 7.) Præsto sunt multa reipublicæ pessime a fœminis administratæ *exempla*, quales fuere *Athalia*, quæ omne semen regium interfecit. 2. Reg. XI. 1. 2. Paral. XXII. 10. *Tomyris*, *Cleopatra*, *&c. Ea familia, quae a muliere gubernatur, non fuit unquam, quae non interierit*, ait Antiphanes apud Stobæum serm. LXXII. Quod si hoc in domestica societate obtinet, multo magis in civili obtinebit. Pro decisione quæstionis notandum: *a*) Si fœmina legitimis mediis ad imperii fastigium est evecta, non debet illi propter has, vel alias rationes imperium divinitus datum eripi. *b*) Distinguendum est inter *electionem* & *successionem.* Si leges regni fundamentales, vel consuetudo publice recepta & continuata fasces imperii fœminæ per successionem deferant; omnino debet gubernationi rerum præfici, cum jure etiam civili fœmina pari jure ad successionem vocetur, sublato veteri inter masculos & fœminas quoad successionem discrimine. §. 15. instit. *de haered. quae intest. c*) Distinguendum inter electionem liberam, & ad certam familiam restrictam. Si electio sit restricta, legibus vel consuetudine, non potest præteriri fœmina. *d*) Distinguendum est inter exempla quædam heroicarum fœminarum extraordinaria, & inter ordinariam electionis regulam. Respectu posteriore excluduntur, sed respectu priore admittuntur.

§. CXI. Quæritur VI.) circa *aetatem*: *An juveni committenda reipublicae gubernacula?* Qui affirmant, hisce nituntur fundamentis: 1.) *Joas septem annorum* erat, cum regnare cœpisset, 2. Reg. XI. 21. qui laudabiliter imperium administravit. *Josias* octo annorum erat, cum regnare cœpisset, qui *fecit, quod placitum erat coram Domino* 2. Reg. XXII. 1. 2. Paral. XXXIV. 1. *Salomon* ad imperium evectus orat: 1. Reg. III. 7. *Tu Domine Deus meus regnare fecisti servum tuum pro David patre meo, ego autem sum puer parvulus ignorans egressum & introitum meum. Manasses* duodecim annorum erat, cum regnare cœpisset. 2. Reg. XXI. 1. *Jehojachin* decem & octo annorum. cap. XXIV. 8. &c. 2.) Similia *exempla* occurrunt apud profanos scriptores. Herodianus lib. VI. in fine de *Alexandro Severo* scribit: *Milites Alexandrum imperatorem consalutatum in aulam Palatinam deduxerunt, adolescentulum admodum & adhuc aviae praeceptis obtemperantem. Theodosium* adhuc in cunis vagientem pater adpellavit Augustum. *Henricus IV.* imperator electus fuit cum esset octo annorum. *Carolus V.* anno ætatis 18. magno procerum consensu imperator est electus. Sleidanus libro I. Imperium consulare apud Romanos quamvis nemini nisi exacto tertio & quadragesimo ætatis anno capere liceret, pluribus tamen infra eam ætatem, si quid dignum operæ pretium reipublicæ præstitit.

6.) *An aetas juvenilis?*

ſtitiſſent, conſulatum gerere permiſſum. Tullius Philipp. V. ubi bene multos recenſet, qui admodum adoleſcentes conſules fuerunt. Quis neſcit *Scipionem* imberbem, quis *Octavium* adoleſcentem, quis *Pompejum* illum ante annos magnum, quis *Corvinum* aliosque, qui ob celerem prudentiæ maturitatem non exſpectato ætatis juſto legibusque præſcripto termino conſulatus faſtigium cum laude ingreſſi ſunt? Ciriac. lib. XVII. obſerv. 34. Alexander ab Alexandr. lib. III. genial. dier. cap. 3. Nec præturæ ac quæſturæ ætas præſcripta ſemper tam exacte obſervata eſt. 3.) Neque id injuria. *Ab excellenti enim eximiaque virtute progreſſus aetatis non oportet exſpectari.* Tullius l. d. & *ab optima indole non exigitur annorum numerus.* Plinius in epiſt. *In eo non exſpectanda aetas, qui & virtutibus fulgeat, & moribus polleat,* ait Valerianus apud Vopiſcum in Probo. Vt ſenes quidam ſemper pueri, ita ſunt quidam juvenes, *in quibus aliquid ſenile.* Cicero in Cat. maj. Multi antiquorum tempora præveniunt meritis, & quod ætati deeſt, virtutibus compenſant.

Parcite natales timidi numerare deorum,
Principibus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit, & ignavae fert male damna morae;

quod de Tiberio canit Naſo. 4.) *Principem juvenem plures ſpectant, colunt & admirantur, quam ſenem jam caducum.* Comin. cap. 137. quo pertinet illud Pompeji: *Plures adorant ſolem orientem, quam occidentem.* 5.) Si ſenes ſolum eligantur, crebra accidit rerumpublicarum mutatio, quæ eisdem pernicioſa. Qui negant, hæc fere urgent: 1) Deſunt juvenibus *requiſita* ad imperium recte gerendum neceſſaria. Deeſt *prudentia*, quam ætas demum adfert:

- - - - *Seris venit uſus ab annis.*

Ovidius lib. VI. metam. Deeſt *animi moderatio.* Ariſtoteles ethic. Nicom. cap. 3. *Juvenes ſunt imperiti actionum vitae, & perturbationes ſequuntur.* Seneca in Troade: *Juvenile vitium eſt regere non poſſe impetus.* Deeſt *conſtantia*: Seneca in Octav. *Juvenilis ardor impetu primo furit, langueſcit idem facile, nec durat diu.* Deeſt *auctoritas*:

- - - *Tenero tractari pectore neſcit*
Publica majeſtas;

canit poëta. Contra vero *in ſenum vultu obſervanda maturitas adparet.* Plutarchus in libr. an ſeni gerenda reſpublica? *Plus valet umbra ſenis, quam gladius juvenis,* dicebat Baldus. 2.) Juvenibus ante annum ætatis 25. honores publicos non conferri, optima ratione nititur l. *ad remp.* 8. ff. *de num. & hon.* l. 2. *fin.* ff. *de jure immunit.* 3) Pejora juvenes facile conſilia audiunt, ex quibus præſentiſſimum reipublicæ imminet periculum. *Roboam*, Salomonis filius derelinquens conſilium ſenum, & *audiens juniores, qui nutriti fuerant cum eo, occaſionem dat defectioni decem tribuum.* 1. Reg. XII. 8. & 19. In deciſione quæſtionis *a*) diſtinguendum inter *electionem & ſucceſſionem.* Si juveni ratione ſucceſſionis debetur imperium, non debet illi prætextu ætatis auferri, ſed ſi adhuc minorennis ſit, tutores illi conſtituendi. *b*) Diſtinguendum inter *aetatem puerilem* ac *juvenilem;* neque enim ut pueri, ita quoque juvenes a regno electivo ſimpliciter arcendi, modo prudentia & auctoritate ſenili polleant. *c*) Diſtinguendum inter *ordinariam electionis regulam*, & *extraordinaria heroicarum virtutum in quibusdam juvenibus exempla.* *d*) In *ariſtocratico reipublicae ſtatu* convenit juniores adjungere ſenioribus, ut ex utriusque ætatis temperatura optima gubernatio efflorescat.

§. CXII. Quæritur VII.) *An ſeni committenda reſpublica?* Qui negant, vitia ſenum urgent, quod ſint 1.) *ad rem* plus quam par eſt, *adtenti*, jam vero avaritia a magiſtratu exſulare debet. 2.) Quod ſint *morosi* ac difficiles; nec quidquam rectum putent, niſi ipſi quod fecerint. 3.) Quod *prudentia* ipſorum, qua rempublicam regere poſſint, evanuerit. 4.) Quod *viribus corporis*, quibus in pace & bello opus eſt ad negotia conficienda, deſtituantur. Sed hæc 7.) *An aetas ſenilis?*

in quibusdam duntaxat senibus, præsertim capularibus obtinent, ac propterea nequaquam evincunt, in magistratum non posse, nec debere eligi senes, qui adhuc sunt vegetiores; non enim tam corporis, quam animi viribus, prudentia, auctoritate & experientia imperium geritur.

8.) *An forma & robur corporis?*

§. CXIII. Quæritur VIII.) circa *formam & robur corporis*: *An etiam formae ac roboris quaedam ratio in magistratu constituendo sit habenda?* Qui adfirmant, hæc proferunt: 1.) *Deus ipse* talem constituit Israelitis regem, *qui altior fuit universo populo ab humero & sursum*, sic enim describitur *Saul* 1. Sam. X. 23. de *Davide* dicitur, quod fuerit *rubicundus, pulcer adspectu & decora facie*: 1. Sam. XVI. 12. Rabbini commemorant, ad synedrium magnum eos duntaxat fuisse admissos, qui *mundi erant ab omnibus corporis vitiis*. Fagius in Deut. XVI. 2.) Apes *naturae* instinctu regem sibi deligunt insignis formæ dissimilemque cæteris tum magnitudine, tum nitore: Columella lib. IX. cap. 10. 3.) *Gentibus* quamplurimis illud usitatum. De *Indis*, qui Cathaeam incolunt, id refert Strabo libr. XVI. de *Macrobiis in Meroe* Alexander ab Alexandr. lib. IV. genial. dier. c. 23. *Aethiopes*, quem ex popularibus validissimum judicant, hunc regem deligendum censent, Herodotus lib. III. f. 81. *Plurimisque barbaris hominibus in corporum majestate veneratio est, qui magnorum facinorum non alios capaces putant, quam quos natura eximia donavit specie*: Curtius lib. VI. hist. Archidamum regem pecunia mulctabant *Lacedaemonii*, quod pusillam uxorem duxisset, ac proinde non βασιλέας, sed βασιλίδια ipsis relinquere cogitasset. Plutarchus περὶ παιδ. ἀγωγ. 4.) Augustam regis personam augusta decet facies. Jud. VIII. 18. *Vnus ex illis quasi filius regis*, id est, forma & facie augusta conspicuus. *Etiam corporis proceritas & oris dignitas commendant principem*, inquit Plinius in paneg. Trajani. *Reverendum quid & admiratione dignum continere videtur pulcritudo.* Dius Pythagoricus apud Stobæum ser. LXIII. Egregia principis forma est ἀδορυφόρητος βασιλεία, *regnum absque satellitio*, inquit Carneades philosophus. Oris contra ac corporis deformitas virtutis laudisque gloriam aliqua ex parte minuere videtur, & hominem obnoxium reddere detractoribus. Patritius lib. II. de regno tit. 3. 5.) Corporis pulcritudini animi qualitates utplurimum respondent. Platonicis visum *pulcritudinem esse instar circuli, cujus centrum bonitas, & ut circulus nequit esse sine centro, sic pulcritudinem non posse esse sine bonitate.* Item *pulcritudinem esse illud trophaeum, quod victrix anima statuit, quando virtute divina dominatur materiei suoque lumine tenebras vincit.* Castilion. lib. IV. de aulic. p. 383. & 385. Contra vero *incompositio corporis inaequalitatem indicat mentis, ac cujus facies deformis, vix potest habere bonos mores.* Rhases lib. II. ad Almans. c. 33. In Wenceslao Caroli IV. filio nihil fuit homini simile præter speciem, quamquam & ea fuerit distorta & deformis, Thersiti, quam principi similior, ingenio fuit hebeti ac sordido. Philipp. lib. V. chron. p. 614. *Is ergo ad regendam rempublicam deligendus*, inquit Pacatus in panegyr. orat. ad Theodosium, *cui felix patria, cui domus clara, cui forma divina, cui aetas integra, cui denique militarium ac civilium rerum usus contingit.* Sed hæc tunc demum locum habent, *a*) quando quæstio est de *libera electione.* In successore enim non quærenda est corporis forma, sed qualiscunque ea sit, acceptanda. Præstat regem, quam regnum oculo carere, & regem, quam regnum claudicare. 2.) Quando pulcritudini & robori *virtus* est conjuncta, ea enim primario ac principaliter est respicienda, quæ si adsit, facilis formæ est jactura. Non uti inter pecudes, sic inter homines potestas & imperium valentioribus debentur, *virtute, non corporis viribus commendantur reges*, ait Plinius in paneg. Trajan. 3.) ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Quandoque enim in eburneo corpore plumbeus est animus, *nec corporis deformitate animus fœdatur, sed pulcritudine animi corpus ornatur.*

Seneca

Seneca epist. LXVII. *Depravati animi labes illustris formae specie aliquandiu contegi potest.* Ex Jovio Rich. Dinothus in sent. histor. *Non, ut quibusdam placet, qualia sunt corpora, talis consuevit esse animus, sed ex animi institutis mores corporis effingi solent,* ait Sozomenus lib. V. histor. eccles. cap. 6.

9.) *An potentiae & divitiae recipiendae?*

§. CXIV. Quæritur IX.) circa *potentiam & divitias: An potentiae & divitiarum in magistratu eligendo ratio sit habenda?* Qui adfirmant, urgent: 1.) Quod potentia in eo, qui eligitur, potentius ac stabilius reddat novum illud regnum, cui præficitur. 2.) Quod quo minus potentiæ in magistratu, eo etiam minus auctoritatis. 3.) Quod paupertas multis occasionem dederit delinquendi Eccl. XXVII. 1. cum quo consentit illud Lactantii de ira Dei cap. 20. *Multa sunt, quae ad pectandum invitant, aetas, violentia, egestas, occasio.* 4.) Inde etiam l. 6. §. *debitores.* ff. *de muner. & honor.* illi, qui ære alieno nimio gravati, ab omni muneris administratione arcentur; illi enim si reipublicæ gubernacula capessunt, expilationibus studeant & impostoris, ut nexu illo sese liberent. Sed hæc omnia ita accipienda sunt, ut virtutis prima semper habenda sit ratio, *omnia enim ei adsunt bona, penes quem est virtus,* ait Comicus.

10.) *An liceat petere magistratum?*

§. CXV. Quæritur X.) *An liceat petere magistratum? & an petenti sit commendandus? Tarquinius* V. rex Romanorum & petiisse ambitiose regnum & orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam, quem ingenti consensu populus regnare jussit. Livius lib. I. decad. 1. Sed tales prensationes vel nullæ, vel modestæ esse debent. *Saul* cum in regem Israelitarum se constituendum sciret, *abscondit se apud vasa*; 1. Sam. X. 22. tantum abest, ut regno se ipsum obtulerit. Qui enim difficultatem hujus provinciæ recte æstimat, non ingerit se ipsum ex levitate, vel inani gloriæ cupiditate; qui non considerat, prudentia ad imperandum necessaria destituitur. Ælianus lib. IX. variar. histor. refert *Themistoclem* dicere solitum: εἰ μοί τις ὁδὸς δύο προφαίνοι, τὴν μὲν εἰς ἄδου φέρουσαν, τὴν δὲ ἐπὶ τὸ βῆμα, ἥδιον ἂν τὴν ἑτέραν ἐλθεῖν τὴν ἐυθὺ τοῦ ἄδου. Qui rem levem existimant reipublicæ administrationem, difficultatibus negotiorum postea fracti animo deficiunt, & pedem cum pudore referunt, quem temere reipublicæ inferre voluerunt.

11.) *An recusanti deferendus magistratus?*

§. CXVI. Quæritur XI.) *An magistratum liceat recusare, & an invito deferendus sit magistratus? Epaminondae*, laudatissimo Thebanorum duci, recusanti omnia imperia ingesta sunt, quæ tamen ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Justinus libr. VI. p. 52. *Titus Quinctius* ruri procul ab ambitione ac foro agens, invitus coactusque dux electus est, qui tamen optime præfuit. Livius lib. VII. decad. 1. p. 311. *Helvius Pertinax* imperator coactus imperavit, repugnansque imperium suscipiens cognomentum illud fortitus est. Aurelius Victor in ipsius vita. *Galba imperator* equestria & senatoria officia non nisi recusantibus dedit. Suetonius in Galba. Nemo tamen legitime ad imperium vocatus, si requisitorum necessariorum sibi conscius sit, nec justas recusationis causas habeat, puta ætatem ingravescentem, vel corporis imbecillitatem, vel vitæ statum ac professionem, &c. pertinaciter reluctetur, quia ut natura rerum particularis universalis naturæ obsequio cedit; sic bonum publicum carius esse cuique debet, quam privatum, nec quisquam nostrum sibi soli natus est, sed ortus *nostri partem sibi patria vindicat, partem parentes, partem amici.* Plato epist. IX. ad Archit. Cicero lib. I. off. quin imo omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica est cuique nostrum, ac facile fieri potest, ut dignis & idoneis ad rempublicam pertinaciter recusantibus aditus pateat indignis, unde *Athenienses* capite, *Romani* libertate, *Lacedaemonii* exsilio eos mulctarunt, qui oblatum imperium recusarunt. Junius I. quæst. polit. 8. *Josephus* oblatum a Pharaone & proceribus

ceribus principatum minime recusavit, Gen. LXI. 40. Dei *consilium & manum* unice respiciens. Sed enim comprobatum est multorum exemplo, quosdam vel maxime imperium desiderare & expetere, cum illud exterius videntur recusare, unde Seneca in Oedip.

Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica: otium ac somnum loqui:
Ab inquieto saepe laudatur quies.

CAPVT V.

DE CAVSA FORMALI MAGISTRATVS.

Causa formalis magistratus.

§. CXVII. Ad *causam formalem magistratus* referri potest: 1) *Ipsa potestas politica*, qua divinitus instructus est magistratus; per hanc enim magistratus est id, quod est, & ab aliis non solum privatis personis, sed etiam reliquis ecclesiae ordinibus, ecclesiastico scilicet & œconomico, distinguitur. Si esset absque illa potestate & auctoritate, qua Deus magistratum armavit, magistratus esset inane nomen ac nudum aliquod sceleton. 2.) *Variae species magistratus*, per quas illi ipsi, qui officio magistratus funguntur, invicem distinguuntur. Cum enim pleraeque divisiones magistratus petantur a potestatis, qua instructi sunt, & in qua essentialis forma hujus ordinis consistit, diversitate, & ab adjunctis variis, quae accidentalem formam constituunt, ideo haud incommode ad classem causae formalis variae magistratus species referri possunt. 3.) *Variae rerumpublicarum formae*. Cum enim in politiis rebusque publicis, vel *ad unum*, vel ad *plures*, eosque vel *optimates*, vel *singulos ex plebe* potestas pertineat, inde nascuntur tres celebratissimae politiarum formae: *monarchia, aristocratia & democratia*; quae cum ex diversimoda potestatis politicae communicatione originem trahant, ideo ipsae quoque ad hunc locum ἐκ ἀμεθόδως referuntur.

SECTIO I.

DE POTESTATE POLITICA, QVA DIVINITVS INSTRVCTVS EST MAGISTRATVS.

Dari politicam potestatem.

§. CXVIII. Magistratum *potestate aliqua* instructum esse patet 1.) Ex *scripturae* dictis, quae magistratui potestatem disertis verbis tribuunt. Classicus ac primarius locus habetur Rom. XIII. 1. *Omnis anima subdita sit* ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, *potestatibus sublimioribus, ac eminentioribus, non enim est potestas nisi a Deo.* Ἐξουσία ab ἔξεστι, *licet*, significat proprie *licentiam, potestatem & auctoritatem*, unde apud Plutarchum & Herodianum ἐξουσία & δύναμις conjunguntur, ὑπερέχειν est *eminere, supereminere, praestare, antecellere*: dicuntur igitur magistratus ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, propterea quod ἐχουσι ἐξουσίαν ὑπερ ἄλλων, quod in alios obtineant potestatem, quod honore, auctoritate, & potestate divinitus concessa alios antecellant. Dan. II. 37. dicit propheta ad Nabuchodonosorem: *Deus caeli regnum & facultates & potentiam & gloriam tibi dedit.* cap. VII. 12. *Potestas bestiarum* & monarchiarum per bestias praefiguratarum. Sap. VI. 4. *Audite reges, & intelligite, quia data est vobis potestas a Domino & virtus ab altissimo.* 2.) Ex *honorificis encomiis*, quae magistratui tribuuntur. Vocantur ἐξουσιάζοντες, Luc. XXII. 25. ἄρχοντες, Matth. XX. 25. Rom. XIII. 3. &c. & *abstracti* nomine pro *concreto* posito ἐξουσίαι, Matth. VIII. 9. Luc. VII. 8. Rom. XIII. 1. ἀρχαὶ, Luc. XII. 11. XX. 20. Tit. III. 1. δυ-

νάμεις,

τάμεις, 1. Cor. XV. 24. Vocantur אֱלֹהִים, *patres, paſtores, reges, principes*, &c. ut ſuperius oſtendimus, quæ encomia non tribuerentur ipſis a Spiritu ſancto, ſi non obtinerent aliquam poteſtatem divinitus ipſis datam & conceſſam. 3.) *Exemplis* judicum, regum & ducum in populo Iſraelitico, qui poteſtate divinitus ſibi conceſſa in officio magiſtratus uſi ſunt, nec minus propterea Deo placuerunt. 4.) *Rationibus*: absque poteſtate politica non poteſt magiſtratus partes officii ſui peragere. Ergo Deus talem poteſtatem magiſtratui conceſſit. *Conſequentia* eſt in propatulo, qui enim vult finem, etiam media ad finem neceſſario & eſſentialiter requiſita. *Antecedens* patet ex enumeratione eorum, quæ pertinent ad officium magiſtratus, quæ ſunt, ſubditos in officio continere, leges honeſtas ad reipublicæ ſalutem ſpectantes promulgare, delinquentes coercere, bonos tueri, &c. at hæc omnia requirunt aliquam poteſtatem. Si in ordine œconomico datur poteſtas patria, utique etiam in ordine politico dabitur poteſtas politica. Si in ordine eccleſiaſtico datur poteſtas eccleſiaſtica, utique etiam in ordine politico dabitur poteſtas politica.

Qualis ſit politica poteſtas?

§. CXIX. Poteſtas illa magiſtratus non eſt *abſoluta, illimitata & indeterminata*, ſed ad *leges & normam ſuperioris alicujus poteſtatis reſtricta*. 1.) Cum enim poteſtatem ſuam a Deo magiſtratus acceperit, ideo Deum ſuperiorem recognoſcere & illius voluntati ac legibus in uſu poteſtatis hujus ſeſe conformare tenetur.

Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Dei.

Quemadmodum vaſallus domino feudi certis legibus eſt obſtrictus, ſic reges & principes, cum ſint Dei vaſalli, ipſi quoque eidem certis legibus obſtricti tenentur. Sap. VI. 2. *Audite reges & intelligite, diſcite judices finium terrae*, v. 4. *quoniam a Domino vobis data eſt poteſtas*; id eſt, cogitate, a ſuperiore vobis conceſſam eſſe imperii poteſtatem, cujus miniſtri eſtis, ac perinde ad nutum & imperium illius officium gerere vos convenit. 2.) Præterea quicunque ad rationem reddendam alteri obſtrictus eſt, illius poteſtas non eſt abſoluta & indeterminata. Sed magiſtratus ad rationem reddendam Deo ſunt obſtricti. Pſ. LXXXII. 1. *Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* v. 2. *Vsque quo judicatis iniquitatem, & facies impiorum ſumitis.* Sap. VI. 4. *Data eſt vobis poteſtas a Domino, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur.* v. 5. *Quoniam, cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiae, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.* v. 6. *Horrende & cito adparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum in his, qui praeſunt, fiet.* Luc. XII. 48. *Cui multum eſt datum, ab eo multum quaeretur, & cui multum commendaverunt, ab eo plus petent.* 3.) Denique quibus certæ leges ac mandata præſcribuntur, juxta quæ in officio ſuo agere tenentur, illorum poteſtas non eſt abſoluta & illimitata. Sed magiſtratui certæ leges ac mandata divinitus ſunt præſcripta, juxta quæ in ſuo ſe gerere debet officio, ut in ſequenti capite dicetur. Ergo magiſtratus poteſtas non eſt abſoluta & illimitata. Nequaquam igitur probari poteſt illud Antonii reſponſum Cleopatræ datum, a qua cum inſtigaretur, ut Herodem Aſcalonitam multa crudeliter & imperioſe agentem ad rationes conſiliorum reddendas adigeret, reſpondit, *regi factorum rationem exhibendam non eſſe, quippe cui una cum regia dignitate quidvis agendi poteſtas conceſſa ſit*; apud Joſephum lib. XV. antiq. Jud. cap. 4. uti nec illud conſiliariorum Perſicorum, qui Cambyſi regi percunctanti, *num quae lex eſſet, quae cum ſorore matrimonium contrahere permitteret*, reſpondeſunt, *ſe quidem nullam legem, qua fratri ſororem in tori ſociam adſumere liceret, ſcire, ſed eſſe aliam quamdam legem, qua liceret regi Perſarum, quod liberet.* Ex hoc principio, quod poteſtas magiſtratus non ſit abſoluta, pendet deciſio illius quæſtionis: *an ſimpliciter & in omnibus imperio magiſtratus ſubditi teneantur parere?* de qua inferius ſuo loco pluribus agemus, hic repetimus dictum Chriſti Matth.

XXII. 21. *Reddite quae sunt caesaris, caesari, & quae sunt Dei, Deo*, in quæ verba sic commentatur Tertullianus lib. de idololatr. cap. 15. *Reddenda sunt caesari, quae sunt caesaris. Bene, quod adposuit: & quae sunt Dei, Deo*, hoc est, *imaginem caesaris caesari, quae in numo est, & imaginem Dei Deo, quae in homine est, ut caesari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum.* Itemque dictum apostolorum Act. V. 29. *Oportet Deo plus obedire, quam hominibus.*

§. CXX. Quando ergo politici *absolutam* potestatem *summo magistratui* tribuunt, id non est accipiendum *simpliciter*, nec *respectu superioris*, ipsius scilicet Dei, a quo omnis omnino magistratus, etiam summi, potestas pendet, sed duntaxat respectu inferiorum magistratuum. Sic Bodinus lib. I. de rep. cap. 8. triplicem statuit potestatem politicam: *absolutam, determinatam & subordinatam.* Absolutam, quam vocat majestatem, tribuit soli imperatori, determinatam principibus, subordinatam omnibus magistratibus. *Solus imperator*, inquit, *majestatis & regiae dignitatis adpellatione, principes imperii titulo celsitudinis & serenitatis utuntur, ac se imperii & imperatoris vicarios adpellant.* Alii potestatem politicam faciunt duplicem: *absolutam & determinatam*, illam vocant majestatem, quæ est summa & legibus soluta in cives ac subditos potestas, hanc adsignant magistratui, qui summæ potestatis est vicarius, per quem illa suum imperium exsequitur. Pari ratione, quod *principem legibus solutum esse*, disputant, id accipiendum non de legibus divinis, quæ omnes homines, etiam summos magistratus obligant, sed de legibus politicis, quæ a principe feruntur in usum reipublicæ. Item, quod princeps ad obedientiam legibus præstandam cogi nequeat; interim tamen, si bonus sit, sponte sese illis subjiciat, qua de re infra plenius. Nisi hæ limitationes & explicationes addantur, locum habebit querela Warem. ab Ehrenb. de subsid. regn. & oner. subdit. 15. num. 16. *Adulatores de plenitudine potestatis talia tradiderunt, quae adeo sunt deformia & impia, ut abhorreant ab omni ratione, humanitate & pietate, ut quandoque dubitare cogar, an ab homine sint prolata, an a diabolo?*

Quae pertineant ad politicam potestatem?

§. CXXI. Quid ad politicam potestatem proprie spectet, & in quibus quasi *partibus* illa consistat, ex officio magistratus rectissime colligitur. Quod enim ad officium magistratus divinitus ipsi commendatum pertinet, ad illud exsequendum potestatem divinitus accepisse recte dicitur. Quia igitur generaliter loquendo magistratus officium est, subditos bene regere, ideo potestas magistratus generali adpellatione dici potest ἀρχικὴ, *imperatoria.* Vicissim, quia in specie officium magistratus potissimum in tribus occupatur: 1.) in *ordinando*, ut ferat leges honestas ac salutares ad subditorum & reipublicæ commodum pertinentes; 2.) in *judicando*, ut juxta legum normam in judiciis sententiam ferat, ac justitiam subditis administret; 3.) in *vindicando*, ut obedientes honestis legibus præmiis ornet, inobedientes vero ac delinquentes pœnis coerceat, inde triplex statui potest magistratus potestas, νομοθετικὴ, δικαστικὴ & κολαστικὴ, *legislatoria, judicatoria & punitoria.* Ac quia punitoria potestas est summus gradus potestatis magistratui concessæ, siquidem legislatoria promulgat honestas leges, judicatoria secundum earum normam decernit, punitoria earum transgressores coercet, ideo apostolus *gladii* nomine potestatem magistratus breviter complectitur Rom. XIII. 4. *non gerit gladium frustra;* ex quo loco apostolico magistratus potestas sic describi potest, quod sit *potestas a Deo ordinata, gladio armata in laudem bonorum & terrorem malorum, vindex in iram illis, qui malum agunt*, hoc est, qui leges perrumpunt, & civilem societatem delictis suis turbant. Quomodo hæc politica potestas ab ecclesiastica differat, expositum est in tractatu de ministerio cap. V. & in principio hujus tractatus §. II.

§. CXXII.

Consequens potestatis majestas.

§. CXXII. Ex potestate magistratui divinitus concessa oritur *majestas*, quæ a magnitudine quasi *major status* dicta existimatur. Tholosanus lib. VIII. de rep. cap. 3. §. 2. quid *sit proprie imperii majestas, non facile describi, aut exprimi posse* scribit, ipse arbitratur *esse latens quiddam, quod praeter naturam propriam quidpiam admirabile reddat.* Lipsius lib. II. polit. cap. 16. eodem fere modo describit majestatem, quod *reverendam quamdam amplitudinem ponat ob meritum virtutis rerum adjuvium.* Alii sic definiunt majestatem, quod *sit vis quaedam, per quam princeps sibi conciliat in hominum animis singularem quamdam admirationem ac venerationem, & cum utraque conjunctum metum.* Eam vero oriri dicimus vel ex *causa occulta*, vel *manifesta.* Quoad causam occultam Deus secretam quamdam majestatem addit personis regum ac principum, ut agnosci possit, has personas ex genere humano selectas esse, & ad majorem gradum ac statum evectas, ita quidem ut effrenati homines in conspectum principum ducti occulto quodam sensu cohorrescant. Quoad causas apertas, eæ sunt potissimum triplices, mores egregii & virtutes principis heroicæ, forma regiminis prudens & temperata, denique successus felix & admirandus. Atque hæc quidem sensu eo dicuntur, ut majestas pro consequente, vel adjuncto potestatis politicæ, videlicet auctoritate & reverentia in animis subditorum per eam excitata, accipiatur; sed quando politici & jurisconsulti *jura majestatis* explicant, tunc majestatis nomen pro ipsa potestatis essentia potius accipiunt, quam pro ejus consequente, quo sensu nihil aliud est, quam ipsum jus & potestas libere exsequendi & procurandi ea, quæ ad salutem reipublicæ pertinent.

Requisita majestatis.

§. CXXIII. Ad majestatem *quatuor* requiri censet Bodinus lib. I. de rep. c. 8. 1.) Vt is, penes quem est majestas, posti Deum immortalem superiorem non cognoscat, habeatque summum imperium & jurisdictionem sine provocatione, quia provocatio semper cum ordine magistratuum adscendit, donec ad summam terminetur potestatem, in qua ipsam quoque figi & desinere necesse est. 2.) Vt potestas illa non sit ad tempus concessa, sed perpetuo & ad finem usque vitæ perduret. 3.) Vt potestas illa sit propria, vel hæreditatis jure, vel electionis suffragio concessa, non aliena seu precario adtributa. 4.) Vt potestas illa sit legibus soluta. Sed notandum, nomen majestatis dupliciter accipi: *generaliter* & *late* pro jure ac potestate disponendi, ordinandi ac procurandi media ad salutem reipublicæ pertinentia, quo respectu cuivis perfectæ reipublicæ ac cuicunque superiorem non cognoscenti majestas competit; deinde *specialiter* & *stricte* pro summi magistratus potestate, quo respectu Bodinus eam d. l. describit. Quidam majestatem faciunt duplicem *reipublicae & personae.* Reipublicæ & imperii majestatem statuunt eam, quæ cum republica nascitur, & cum eadem interit, quam reipublicæ fundamentum vocant. Dicitur etiam *realis*, quia rei ipsi perpetuo inhæret, & est imperio coæva, nec per decessum principis aut regis exspirat, sed quamdiu corpus regni durat, permanet, ac sub ipsis interregnis & alterationibus gubernationum persistit. *Personae*, sive *personalis* majestas est, quæ in personam collata transferri ex una persona in aliam potest, ac tota ex reipublicæ potestate dependet, & cum persona concidit. Sed cavendum, ne hac distinctione abutantur seditiosi regicidæ, qui existimant reges & principes impune violari posse absque majestatis, quæ regno proprio inhæret, violatione, qua de re inferius suo loco.

Jura majestatis.

§. CXXIV. *Jura majestatis* (*) alii plura, alii pauciora recensent. Aristoteles lib. IV. polit. c. 14. tres facit partes gubernationis: quarum prima est βελευόμενον

(*) Diversa scilicet sunt summæ potestatis objecta circa quæ versatur; unde diversas sortitur denominationes. Hinc & a nonnullis ut totum aliquod potestativum consideratur, cujus partes, *jura majestatis*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841162-p0319-1

μενον περὶ τῶν κοινῶν, sub quo comprehendit potestatem belli & pacis ineundæ, vel dissolvendæ societatis, legum ferendarum, vel abrogandarum, mortis vel exsilii publicationis, bonorum & reposcendarum rationum. Altera pars est βυλευόμενον περὶ τὰς ἀρχάς, id est, quos oporteat creare magistratus, & quomodo & quarum rerum potestatem iis tribuere. Tertia est τὸ δικάζον, quod in jurisdictione versatur. Alii duo enumerant majestatis jura, quorum prius est magistratum creare, illiusque munus definire; posterius jus dicere, hoc est, leges ferre. In codice Justinianeo tria constituuntur majestatis capita, *jus sacrorum*, *jus boni publici* & *jus belli indicendi*. Bodinus lib. I. de rep. c. 10. revocat ea ad hæc capita: 1.) Legem universis ac singulis dare posse; summæ enim potestatis est imperare, imperatur autem magna ex parte legibus, eas igitur in manu summi principis consistere oportet, alioquin nullam vim obtinebunt, nisi illius auctoritate muniantur, qui plenitudinem imperii possidet, atque huc pertinet potestas solvendi a legibus, legitimatio, naturalium restitutio. 2.) Habere summum imperium & jurisdictionem sine provocatione. 3.) Instituere magistratus. Quia enim magistratus imperio & jurisdictione precaria utuntur, ideo non possunt eam aliunde accepisse, quam a majestate, cujus sunt propria. 4.) Exigere tributum & vectigalia. 5.) Habere jus tractandorum armorum, quod constitit non tantum in cura armamentarii publici, sed in potestate disponendi & statuendi de indicendo gerendoque bello. Hisce accensent alii: 1.) Vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, thesauros in publicis locis inventos, res pro derelictis habitas. Quæ enim nullius propria sunt, aut dominum perdiderunt, ad universalem dominum pertinent. 2.) Venationem præscriptione in principes derivatam. 3.) Confiscationem bonorum damnatorum. 4.) Jus signandæ monetæ. Arnisius in polit. cap. 12. Quidam jura majestatis faciunt duplicia: *majora & minora*. *Majora* ipsis sunt: 1.) Legem universis ac singulis dare, 2.) Magistratus & dignitates constituere, 3.) Bellum indicere & pace finire, 4.) Omnium judiciorum ordinationes & provocationes habere, 5.) Vitæ & famæ restituere. *Minora* vocant pœnarum & mulctarum compendia, vectigalia, tributa & similia. Vide Arnisium libr. II. de jur. majest. cap. 1. num. 8.

§. CXXV. Sed de his latius tractant jurisconsulti & politici, transeamus igitur ad ea, quæ propius ad nostrum forum spectant. Quæstio est, an 1. Sam. VIII. 11. & seqq. describantur *jura majestatis*, an vero *mores* tyrannorum? hoc est, an *de jure*, an vero *consuetudine* regum ibi tractetur? Multis videtur, non de jure, sed de vulgata regum consuetudine Samuelem loqui, quid scilicet reges agant, non autem quid agere debeant? Bartolinus de regim. civ. n. 4. Bodinus lib. I. de rep. cap. 10. Philippus in epit. Phil. moral. p. 197. Brentius hom. XXVII. in 1. lib. Sam. Osiander in notis ad h. l. Pezelius part. ult. object. p. 999. Lepperus in explic. legum Mosaic. lib. IV. cap. 8. Tossanus in notis biblicis h. l. Rossius de reip. christ. potest. supra reges cap. 2. p. 103. Hunnius jurisconsultus in relol. disp. Treutlerus disp. I. vol. 1. p. 73. (*) 1.) Quia

An 1. Sam. VIII. jura majestatis describantur?

ca, itemque *regalia* adpellari solent. Plures sunt scriptores, qui de iisdem data opera sunt commentati. Ex iis, qui hoc fecerunt, præ reliquis commendari meretur Caspar Zieglervs in præclaro opere *de juribus majestaticis*, quod an. MDCLXXXI. primum prodiit atque A. MDCXCVIII. & MDCCX. fuit recusum. Reliqua scripta huc spectantia recensentur in *bibliotheca juris imperantium quadripartita*, *p. 88. 107. & 152.*

(*) Scriptoribus hisce a Gerhardo excitatis, qui per משפט המלך *jus regis*, cujus 1. *Sam. VIII.* 11. fit mentio, meram consuetudinem, etsi iniquam intelligunt, accensendi quoque sunt Wolfg. Franzivs *de interpret. script. orac.* CXXVI. Melchior Leydekkervs *de republ. ebraeor. tom. I. libr. VII. cap. IV. p. 431.* Jo. Clericvs in *commentar. ad 1 Sam. VIII.* 11. Jo. Franc. Buddevs in *histor. eccleſiaſt. vet. teſt. tom. II. p. m. 266.* Sedney, ſcriptor Anglus, in libro, cui titulus; *de*

1.) Quia in Hebræo est מִשְׁפָּט, quod non solum significat *jus* & *legem*, sed etiam *morem* & *consuetudinem*: Jud. XVIII. 7. *habitans secure* בְּמִשְׁפַּט, *juxta judicium*, Targum בְּהֲלָכַת, *juxta consuetudinem Zidoniorum*, quo modo etiam vertit Lutherus: *nach der Weise der Zidonier* Gen. XL. 13. *Porriges calicem* כְּמִשְׁפָּט *juxta pristinum morem*, Lutherus: *nach der vorigen Weise*. Exod. XXI. 1. 1. Sam. XXVII. 11. 2. Reg. XI. 14. XVII. 26. Psal. CXIX. 132. Ezech. XVI. 38. *jus adulterarum*. 2.) Quia Deut. XVII. 16. alia lex regia a Deo ipso proponitur huic מִשְׁפָּט plane contraria: *Cum fuerit rex constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus*. Sed hoc loco v. 11. *filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & praecursores quadrigarum suarum*. Deut. XVII. 17. *Non habebit argenti & auri immensa pondera*; sed hoc loco v. 14. *agros vestros & vineas & oliveta optima tollet*, v. 15. *segetes vestras & vinearum reditus addecimabit*, v. 16. *servos etiam vestros & ancillas & juvenes optimos & asinos auferet*, v. 17. *greges vestros addecimabit*. Deut. XVII. 20. *Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos*; sed hoc loco v. 17. *vos eritis ei servi*. Ezech. XLV. 9. & XLVI. 18. *Non accipiet princeps de haereditate populi*. At regi id hoc loco conceditur. 3.) Decimæ jure divino Levitis erant debitæ, sed hic eædem vindicantur regi. 4.) Achabus hoc nomine punitur, quod Nabotho vineam suam eripere voluerit. 1. Reg. XXI. atqui hoc refertur inter מִשְׁפַּט regis v. 14. *vineas vestras tollet*. 5.) Futuri regis, quem Israelitæ inconsulto & repudiato Deo sibi deposcebant, potentia, ut pœna temeritatis, populo denunciatur. *Eritis ipsius servi*, (inquit Samuel) *& clamabitis in die illa a facie regis vestri, & non audiet vos Dominus in die illa*. At legitima potentia & justi reditus magistratuum non sunt pœnæ subditorum. 6.) Scopus Samuelis erat, populum ab incepto dehortari v. 19. Atqui per id, quod bonum & justum est, aliquem dehortari velle est absurdum. Alii contra statuunt, jus regiæ majestatis hic describi, sicut etiam Lutherus vertit: *das ist das Recht eines Kæniges*; & in postill. domest. sup. evang. dom. XXIII. post Trinit. conc. I. dicit, *ea, quae caesaris esse dicuntur*, Matth. XXII. 21. *esse jus illud regis, quod describitur* 1. Sam. VIII. jam vero ea, quæ Christus cæsaris esse dicit, jure illi competere in confesso est. Strigelius in hunc locum p. 27. *Hic dicunt aliqui, describi tyrannum, non regem, nec dici haec ita tanquam adprobante Domino servitutem; sed textus nominat jus regis, & loquitur de oneribus stipendiorum causa impositis*. Warem. ab Ehrenberg in verisim. theol. jurid. & polit. per totum librum & alii complures. (*) 1.) Quia מִשְׁפָּט proprie significat jus, *legem*, *statu-*

du gouvernement, *tom. I. sect. IX. p. 280*, Jac. Savrinvs in *discours historiques & theologiques sur les evenemens les plus memorables du vieux & du nouv. testament*, *discours* XCV. *§. 34.* & *35. p. 452. seqq.* Gvstav. Georg. Zeltnervs in brevioribus *adnotationibus*, quas *bibliis* suis germanico sermone editis adjunxit ad h. l. aliique, laudati Gisberto Voetio, *disput. select. part. IV p. 214.*

(*) In hancce classem pertinent Gvil. Schickardvs, de *jure regio p. 64.* Jo. Ad. Osiander ad Hvg. Grotivm *de jure belli & pacis*, *libr. I. cap. IV. p. 534. seqq.* Abrah. Calovivs ad *1. Sam. VIII. 10.* Arg. Pfeiffervs in *dubiis vexatis cent. II. loc. LXIX. p. 368.* alii, quos nominare supersedemus.

Vt vero, quæ nostra hac de re sit sententia, paucis exponamus, *primo* quidem tanquam concessum ab omnibus supponimus, vocem משפט non tantum significare *legem*, seu *judicium*, sed & *morem*, *consuetudinem*, *vitae rationem*. Exempla hujus significatus supra, sub initium §. CXXV. ipsemet adduxit Gerhardvs; quibus & alia adjungi possunt, veluti *Jud. XIII. 12. 1. Sam. II. 3. X. 25. XXVII. 11.* Proinde, quod *secundo* notamus משפט מלך hoc loco denotat *morem*, seu *consuetudinem regum*, qui in Israëlitas regnaturi essent, quam eo scopo eaque intentione populo suo proposuit Deus, ut illis ostenderet incommoda, quæ status regius secum vehere soleat. Nec sane, quod *tertio* loco adjungimus, vocibus משפט מלך *jus regium* idque *proprie* sic dictum intelligi heic potest, cum plura injusta in subsequentibus verbis commemorentur a scriptore divino, ex consuetudinibus vicinorum regum desumta, quæ ebræorum reges postea,

ſtatutum, a radice חקק, *judicavit.* 2.) Quia reſcripta ſunt interpretanda ſecundum petita. Jam vero Iſraelitæ non *tyrannum*, ſed *regem* ſibi dari petierant. 3.) Cur peculiariter hunc morem regis eſſe Samuel diceret, cum is quoque conſueverit eſſe mos aliorum magiſtratuum, ut poteſtate ſua abutantur? An non Abimelechum rhamno arborum peſſimæ comparat Jotham. Jud. IX. 14? an non de filiis Eli & Samuelis, judicum, commemoratur, quod *avaritiae dediti acceperint munera*, & *perverterint judicium* 1. Sam. II. 16. VIII. 3? At ſi regibus non competit major poteſtas, quam judicibus, fruſtra dicitur jus regum, quod fuerat etiam judicum. 4.) Quæcunque hoc loco enumerantur, ita comparata ſunt, ut rex ea, utpote ad jus majeſtatis pertinentia, a ſubditis exigente reipublicæ ſalute ac neceſſitate poſtulare poſſit. *Filios veſtros* (inquit Samuel) *tollet*, *& ponet in curribus ſuis*, *& faciet equites & praecurſores quadrigarum ſuarum*, *& conſtituet ſibi tribunos & centuriones*, *& aratores agrorum ſuorum & meſſores ſegetum & fabros armorum & curruum ſuorum.* In hiſce verbis proponitur conſtitutio præſidiorum & ſatellitiorum, quæ omnino ad majeſtatem & incolumitatem regis requiruntur, quippe absque præſidio militari majeſtas & incolumitas regi, vel regno, conſtare nequit. *Filias veſtras* (inquit Samuel) *faciet ſibi unguentarias*, *focarias & panificas.* At ſi ex ſubditis rex tales elegerit, nec in Deum, nec honeſtatem peccat, ſed regiæ ſuæ menſæ & magnificentiæ conſulit. *Agros veſtros* (inquit Samuel) *& vineas & oliveta optima tollet*, *& dabit ſervis ſuis.* At ſi juſta & neceſſaria cauſa, reipublicæ ſcilicet utilitas, vel neceſſitas illud exegerit, poteſt omnino rex agros & vineas auferre ac militibus dare. *Segetes veſtras* (inquit Samuel) *& vinearum reditus addecimabit*, *ut det ſervis ſuis*, *greges quoque veſtros addecimabit.* Atqui exigere decimas, proventus ex agris & vineis ſumere, in ſe ac per ſe non eſt regi illicitum, cum præceptum de decimis non ſit ſimpliciter *cerimoniale*, ſed *morale*, inditum judicio rationalis naturæ, quæ dictitat, his qui communi utilitati invigilant, deberi ſtipendia: ac jure divino magiſtratui deberi vectigalia, tributa, conſtat ex Matth. XVII. 25. XXII. 19. Rom. XIII. 7. *Servos veſtros* (inquit Samuel) *& ancillas & juvenes optimos & aſinos auferet*; *& ponet in opere ſuo.* At hoc eſt jus operarum, *die Frondienſte*, quo etiam inferiores perſonæ ſæpius utuntur; *& eritis ipſi ſervi*, inquit Samuel, atqui etiam optimorum regum ſervi dicuntur ſubditi. 5.) David, Salomon, & alii reges Iſraelitici tyrannidis nunquam adcuſati ea ſibi vindicarunt, quæ hoc loco enumerantur; adjunxerunt enim ſibi ſatellites, conſtituerunt tribunos, centuriones, regia menſa uſi ſunt tempore pacis, arma, currus militares, equos & equites diſpoſuerunt ac tractarunt. 2. Sam. VIII. 1. Reg. IV. & X. 1. Paral. I. 6.) Samuel non regem, ſed populum adloquitur, quin & hanc *legem regni ſcripſit in libro*, *& repoſuit coram Domino*, puta in latus arcæ fœderalis, ut æternæ memoriæ traderetur, & eſſet apud poſteros teſtimonium eorum, quæ prædixerat. Joſephus lib. VI. antiq. Judaic. cap. 5. Gregorius lib. IV. expoſ. in lib. 1. Reg. cap. ult. At quare injuſta ſervitia a populo exigeret, & de iniquis oneribus legem ſcriberet in tabulas publicas referendam? Diſtinguendum igitur inter *temerariam regis cupiditatem*, & *reipublicae utilitatem ac neceſſitatem.* Si rex privata libidine & habendi cupiditate impulſus talia ſibi vindicet, injuſte ac tyrannice agit, ſed ſi reipublicæ ſalute & utilitate id exigente talia poſtulet, regia ſua poteſtate merito utitur. Diſtinguendum etiam inter *rem* & *rei modum.* Si rex in hiſce exigendis modum juſtum ac legiti-

ſtea imitati ſunt. Vnde, quod *quarto* nonnulli obſervant, duplex ſtatui poteſt *jus regium*, unum antiquum a Deo propitio dictatum atque a Moſe indicatum *Deut. XVII. 14*; alterum vero jus *ſumtum* magis, quam *datum*, a Deo irato atque irritato permiſſum, quod Samuel hoc loco non tam dictitat, quam potius præſagit, ut DANNHAVERI verbis in *politica Baſilica* tantiſper utamur. Conferenda, quæ hanc in rem ſcripſit ANDR. AD. HOCHSTETTERVS, eximius quondam univerſitatis noſtræ theologus, in *collegio Pufendorfiano*, *exercitat. XI. §. IX. p. 464. ſeqq.*

gitimum servet, & absque violentia operas, decimas & tributa pro regni sui statu ac necessitate exigat, non potest dici tyrannus: si vero modum necessarium & legitimum fuerit egressus, & ex subditorum incommodo suum duntaxat quærat commodum, potestate sua abutitur. Quo pertinet illud Lyræ in comm. h. l. „Sciendum, quod aliqua sunt de jure regis in necessitate posiți propter bonum commune regni, & sic omnia, quæ hic exprimuntur, sunt de jure regis, quia in tali casu omnia sunt regis, vel principis, & exponenda, vel expendenda pro bono communi, sicut & in corpore naturali videmus, quod manus, vel etiam alia pars corporis naturali instinctu exponitur pro conservatione vitæ ipsius corporis. Si autem alio modo accipiatur jus regis extra necessitatem, sic plura exprimuntur, quæ non pertinent ad jus ipsius regis, utpote omnia illa, quæ reddunt populum subditum servilem, & quæ non respiciunt bonum commune, sed magis hominis in regno positi voluntatem, & talia prædixit eis ad retrahendum, ne peterent regem, quia eis non expediebat, & quia regimen propter magnitudinem potestatis facile degenerat in tyrannidem.„ Gregorius lib. IV. in expos. 1. Reg. II. potestatem illam regibus concessam vocat *jus regium tyrannorum*. *Electus rex David* (inquit) *cum ad aedificandum altare Domino Ornam Jebusaei aram peteret, regio illo tyrannorum jure uti noluit. Regium* vocat, quia regibus omnibus convenit, *tyrannorum* adpellat; quia in illud facile degenerat, nisi eo debito loco & tempore ac debita moderatione reges utantur. Arnisæus lib. II. de juribus majestat. cap. 1. num. 4.

SECTIO II.

DE VARIIS SPECIEBUS MAGISTRATUS.

Species magistratus.

§. CXXVI. Esse plures magistratus *species* colligitur ex loco apostolico Rom. XIII. 1. ubi in plurali vocat ἐξουσίας ὑπεροχούσας, ut ostendat non unam, sed plures esse magistratus species, quibus omnibus & singulis obedientia a subditis debeatur. Cæterum divisiones specierum magistratus desumuntur vel ab *essentiali*, videlicet ab ipsa potestatis diversitate, vel a quibusdam *accidentalibus*. Ratione potestatis est quidam magistratus *summus*, quidam *inferior*. *Summus* est, qui merum, seu plenum habet imperium, nec in terris aliquem recognoscit superiorem, sed a solo Deo dependet. *Inferior* est, qui habet potestatem & jurisdictionem a superiore sibi delegatam, ideoque ab eo dependentem. Fundamentum hujus divi-

1.) *Ab essentiali.*

sionis consistit in jurisdictionis & potestatis gradibus ac diversitate, ad quam respicit etiam Petrus 1. epist. II 13. *Subditi estote omni humanae creaturae, sive regi, tanquam praecellenti*, v. 14. *sive ducibus, tanquam ab eo missis*, &c. Centurio Capernaiticus Matth. VIII. 9. ad classem inferiorum magistratuum semet ipsum referens, inquit: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alteri: Veni, & venit: & servo meo: Fac hoc, & facit.* Eamdem divisionem probat historia sacra & profana utriusque speciei exempla subministrans longe plurima. I.) Genes. XII. 15. fit mentio *Pharaonis regis & principum ejus*, qui videntur fuisse principes regni, inferiore quadam potestate & dignitate, quam fuit regia, instructi. Gen. XXI. 22. *Abimelech, rex Gerarae, & Phichol, princeps exercitus ejus* cum Abrahamo fœdus ineunt, ubi nomen Abimelechi est nomen commune regum Palæstinæ, ut Pharao & postea Ptolemæus commune fuit nomen regum Ægypti, & cæsar Romanorum imperatorum, Hieronymus lib. IX. in Ezech. Abimelech enim significat *patrem regem*, q. d. pater patriæ. Gen. XXVI. 26. fit mentio alterius cujusdam Abimelechi, qui centum annis fuit posterior eo, qui cum Abrahamo fœdus contraxit. Gregorius Tholosanus lib. VI. de rep. cap. 14. exi-

a.) *In vet. test.*

ſtimat omnes alienigenarum gentium reges in ſcripturis vocari Abimelech. Idem dicendum de *Phichol*, quod itidem videtur fuiſſe nomen ducum militiæ publicæ, qui hodie vocantur generales exercitus; eſt enim Phichol *omnis facies, vel omne os*, quaſi omnium militum facies, animi, ora & oculi in hunc militiæ ducem eſſent converſi, quodque ſicut facies totum corpus, ita ipſe totum exercitum præire ac ducere deberet. Abimelecho Gen. XXVI. 26. adjungitur Ochozat, qui *ipſius amicus* dicitur. LXX. interpretes vocant *paranymphum*; illi enim intimi alicujus ſunt amici, qui in nuptiis ejus ſunt pronubi: Joh. III. 29. hic paranymphus regisque amicus intimus apud Perſas erat *ſecundus a rege*, vocaturque *Surenas*, cujus erat coronare regem. Is præerat cohorti regiæ, quæ ex ſelectiſſimis, fideliſſimis regique amiciſſimis, nobilibus ſcilicet & dynaſtis, qui cum rege nutriti & educati fuerant, conſtabat, unde erat *quaſi dux & primus inter aulae nobiles & regis amicos*. Cornelius a Lapid. in comm. cap. 26. Gen. Gen. XLI. 40. Pſal. CV. 21. Joſephus conſtituitur a Pharaone, Ægypti rege, præfectus domus & totius regni: *Tu eris* (inquit) *ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni ſolio te praecedam.* v. 41. *Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Aegypti*; v. 45. unde vocavit eum *ſecretiſſimum conſiliarium*. Exod. XVIII. 21. Jetro Moſi, genero ſuo, ſuadet, ut *conſtituat millenarios, centuriones, quinquagenarios & decuriones, qui populum judicent*, v. 22. quidquid majus fuerit, ad Moſen referant, & ipſi tantummodo minora judicent. In Hebræo eſt שָׂרִים, *principes*. Fuerunt autem in populo Iſraelitico tria potiſſimum genera principum, videlicet, *principes tribuum*, *principes familiarum & principes urbium*. *Principes tribuum* שָׂרֵי הַשְּׁבָטִים ſingulas tribus duxerunt. Vt ergo duodecim tribus, ita duodecim earum fuere principes, qui ſingulis tribubus jus reddiderunt. *Principes familiarum* שָׂרֵי מִשְׁפָּחוֹת præerant familiis; ſingulæ enim tribus diviſæ erant in certas familias, harum principes familias convocabant & in bello earum duces erant. *Principes urbium* שָׂרֵי עָרִים urbibus præerant. Familiæ enim erant diſtributæ in urbes, quarum principes erant complures, videlicet שָׂרֵי אֲלָפִים, *chiliarchae*, principes millenariorum שָׂרֵי מֵאוֹת, *hecatontarchae*, principes centenariorum, שָׂרֵי חֲמִשִּׁים, *principes quinorum*, vel quinquagenarii, שָׂרֵי עֲשָׂרוֹת, *principes denorum*, vel decuriones. Conjunge 2. Paral. I. 2. Num. XI. 16. eligit Moſes, Dei mandato *ſeptuaginta ſenieres*, qui una cum ipſo onus gubernationis ſuſtineant. Ad imitationem horum LXX. ſeniorum inſtitutum fuit *Sanhedrim*, ſeu ſynedrion, quod erat ſummum conſiſtorium in populo judaico, conſtans viris ſeptuaginta, ſapientia, virtute, doctrina, auctoritate & Spiritus ſancti donis præſtantibus, qui ex ſacerdotibus, Levitis & reliquis tribubus eligebantur, penes quos erat ſumma poteſtas dijudicandi controverſias, exercendi judicia publica, quin & reges eligendi ac deponendi, unde a thalmudiſtis vocatur *domus judicii magna, collegium ſceptri & publicae poteſtatis*. Præerat illis unus Hannaſi dictus, ſive Naſi, id eſt, prælatus, & Muphla, id eſt, excellens, qui vocatur *judex* Deut. XVII. 12. cui ſummus ſacerdos fuit adjunctus, ut ſic collegium illud in univerſum 72. ſenioribus conſtiterit. Paulus Fagius in Deut. XVI. commemorat, tria fuiſſe apud Iſraelitas judicia: *minimum, parvum & magnum*. *Minimum* conſtabat tribus judicibus, & vocabatur *judicium trium*, ſeu *domus judicii triumviralis*: in illo pronunciabatur de cauſis, quæ erant manifeſti juris, tale judicium erat in qualibet civitate, quæ 120. incolas non habebat. *Parvum* habebat judices 23. quæ dicebatur *domus judicii parva & ſynedrion minus*; in illo judicabatur de cauſis, quæ aliquid habebant controverſiæ, ac tale ſynedrion parvum erat in qualibet civitate Iſrael, quæ habebat 120. incolas. *Magnum* conſtabat ſeptuaginta judicibus, qui judicabant de ſummis cauſis, ac tale judicium erat unum duntaxat, & quidem Hieroſolymis. Deut. XVI. 18. jubentur conſtitui שֹׁפְטִים וְשֹׁטְרִים, *judices & praefecti* in omnibus portis, vel civitatibus, de quorum diſtinctio-

ctione hæc tradunt rabbini: *Schopthim* (inquiunt) *sunt judices, qui determinant causam, sive judicium. Schotrim sunt, qui dominantur populo, & exsequuntur mandata eorum cum virga & flagello.* Videntur igitur Schotrim potius fuisse officiales & adparitores, quam magistratus, quin magistratibus proprie competit tum jurisdictio & causæ cognitio, tum potestas mandandi exsecutioni sententiam; sed officiales sunt ministri magistratuum, quibus sola rerum judicatarum exsecutio demandatur, quales Romæ erant olim viatores. Refert enim Schindlerus in lexico in voce שטר quod tales שֹׁטְרִים sive *adparitores* sententias judicum exsecutioni dederint habentes baculum & lorum, & circumeuntes in urbe ac plateis ejus, ad corrigendum pravum, ad faciendum justas mensuras & pondera, idque omne juxta mandata judicum; sicut apud Turcas *custodes civitatis*, aut officiales gestant baculos, quibus litigantes, aut alteri injuriam facientes, puniunt. Jos. XXIII. 2. *Vocavit Josua omnem Israelem, majores natu, & principes, & judices, & præfectos*; ex quo loco colligitur, fuisse quatuor gradus officiorum civilium in qualibet civitate: 1.) זְקֵנִים, *senes, vel senatus*: 2.) רָאשֵׁי אָבוֹת, *capita patrum*, singularum tribuum primates, primi & eminentiores in urbe: 3.) שׁוֹפְטִים, *judices*, qui jus noverant ac dicebant: 4.) שֹׁטְרִים, *adparitores*, qui res judicatas exsequebantur, ac baculo & loro cogebant populum ad observantiam præceptorum. Jud. II. 16. mentio fit judicum, qui *extraordinarie* a Deo excitabantur, ut populum, quando premebatur ab hostibus, liberarent, & in pristinam libertatem vindicarent, tales judices tempore belli auctoritate valebant, sed post dimissos milites quandoque privatim vivebant, quandoque vero magistratum gerebant; sed non fuit hic principatus hæreditarius, unde nec semper in eadem familia, nec tribu mansit. 2. Reg. IV. 13. mentio fit שַׂר הַצָּבָא, principis militaris: *An est loquendum de te ad regem, vel ad principem militiæ?* Talis princeps militiæ post regem summam in castris habuit potestatem atque erat *generalis dux*, seu imperator belli, cui parebant chiliarchæ, hecatontarchæ, &c.

§. CXXVII. II.) In nov. test. mentio fit *caesaris* Matth. XXII. 21. Luc. II. 1. *regis*, 1. Petr. II. 13. Matth. II. 1. *ducum, reguli*, Joh. IV. 47. quem Chrysostomus putat dictum βασιλικὸν ex eo, quod fuerit generis regii, hom. XXXIV. in Joh. sed rectius ab officio sic adpellatus censetur, quod fuerit regio quodam munere perfunctus. Syrus adpellat eum עֲבַר מַלְכָּא, *ministrum regium*. Hieronymus in LXV. Esa. vocat *palatinum*. Luc. VIII. 3. Chuza vocatur ἐπίτροπος, *procurator Herodis*. Est enim ἐπίτροπος, cui cura alicujus rei committitur, vel commissa est, *curator, procurator, vicarius*. Ὁ κατὰ τὴν λιβύην ἐπίτροπος apud Herodianum lib. VII. est Libyæ administrandæ præfectus, seu Africæ procurator, ut Polit. vertit. Luc. II. 2. III. 1. Cyrenius & Pilatus, *Romani praesides* in Judæam ab imperatoribus missi vocantur ἡγεμονεύοντες. Post relegatum enim Archelaum ipsius ditio, Idumæa scilicet, Judæa proprie sic dicta & Samaria in formam provinciæ redactæ non per proprium, aut ordinarium principem, sed per præsidem, qui a Romanis eo mittebatur, & pro occasione mutabatur, illo tempore gubernabatur. Ibidem etiam mentio fit *tetrarcharum*. Strabo lib. XIII. scribit, regionem Galatarum in quatuor præfecturas fuisse divisam, quæ fuerint dictæ *tetrarchiae*, & earum præfecti *tetrarchae*, inde factum, ut generali quadam adpellatione præfecti provinciarum dicerentur tetrarchæ, ratione adpellationis ex quadripartita illa divisione deducta; quamvis etiam proprie tetrarchæ nomen hic accipi posset, quia Herodes magnus in testamento totum suum regnum ita divisit, ut dimidia ejus pars, Idumæa scilicet; Judæa & Samaria Archelao, reliquæ medietatis una pars, ut Galilæa & Peræa, Herodi Antipæ, altera vero pars, Trachonitis scilicet & Ituræa, Philippo cederet, quia igitur Archelai ditio duabus reliquis portionibus Herodi & Philippo adsignatis æquipollebat, inde evangelista tetrarcharum adpellatione innuere voluit, ex quatuor portionibus seu tetrarchiis singulas cessisse Herodi & Philippo

b.) In nov. test.

lippo, Archelao vero duas, qui ideo ἐθνάρχης dictus fuit. Chemnitius in harm. c. 16. p. 293. ubi erudite hos gradus potestatis & imperii in Judæa recenset: 1.) *imperator Romanus*, 2.) *rex*, 3.) ἐθνάρχης, quo nomine Augustus & Archelaum, quem nolebat regem vocare, & tamen tetrarcha majorem esse volebat, adpellavit, 4.) ἡγεμών, præses, qui vicario imperatoris nomine provinciam administrabat, 5.) *tetrarcha*, 6.) *toparcha*, quia tota Judæa divisa fuit in 11. toparchias. Josephus lib. III. de bell. Jud. c. II. lib. 6.

c.) *In aliis scriptoribus.*

§. CXXVIII. Adfinis est huic divisioni magistratus ex gradibus & diversitate potestatis petitæ ea, qua quidam dicuntur νομοθέται, *legumlatores*, quidam vero νομοφύλακες, *legum custodes*, & exsecutores; item, quod quidam statuuntur *senatores*, qui de publicis regni negotiis deliberant, quidam *judices*, qui privatorum lites dijudicant ac dirimunt, iique vel *civilium negotiorum*, vel *capitalium criminum* judices sunt constituti. In regno Persico septem *satrapae* sive principes, apud Spartanos *ephori*, apud Athenienses *demarchi*, apud Romanos *tribuni plebis* erant constituti, qui summo magistratui erant additi, ut exuberantem ejus potentiam intra limites continerent, ad quorum imitationem septemviri in imperio Romano cæsari sunt additi, absque quorum consilio & suffragio in gravioribus negotiis totius imperii salutem concernentibus imperator nihil agit.

2.) *Ab accidentalibus.*

§. CXXIX. Ex illis, quæ magistratui sunt *accidentalia*, variæ ejusdem divisiones petuntur. 1.) Ratione *qualitatis* quidam sunt *fideles*, christianæ religioni addicti, quidam vero *infideles*, quales erant imperatores Romani primis duobus post Christum natum seculis; quidam sunt *orthodoxi*, & veræ religioni addicti, quidam vero *haereticis* opinionibus imbuti ac fascinati; & inter hos quidam sunt *verae religionis persecutores*, quidam vero eidem in suis regnis & ditionibus *sedem* aliquam concedunt, qui & ipsi maximis laudum præconiis digni sunt censendi; quidam sunt *boni*, qui potestate sua ad subditorum utilitatem utuntur, quidam *mali*, qui eadem ad perniciem & oppressionem subditorum abutuntur, per *crudelitatem* scilicet, vel per *avaritiam*, &c. 2.) Ratione *adjuncti temporis* quidam sunt *togati*, qui præsunt tempore pacis, quidam *militares*, qui tempore belli præsunt: quorumdam magistratus est *perpetuus*; quorumdam vero *ambulatorius*.

An magistratus debeat esse perpetuus, vel ambulatorius?

§. CXXX. Quæritur hoc loco: *Praestetne ambulatoriam, vel perpetuam esse magistratus dignitatem?* Qui prius suadent, hisce utuntur argumentis: 1.) *Natura* omnes fecit pares, per vices igitur parendum, per vices imperandum. Insolens enim & infrequens foret inter eos, qui sunt æquales, nonnullos reliquis tantum antecellere, quantum deos & heroas hominibus præstare credimus. Aristoteles lib. II. polit. 2. lib. VII. polit. 14. 2.) Vicissitudo magistratus gerendi ac deponendi reprimit ingenia *fastuosa*, nec inebriari nimia licentia sinit, quam vehementer auget fixa & perpetua apud unum magistratus dignitas. 3.) Eadem vicissitudo alit civium *concordiam*. Si quando uni honor & dignitas nimis diu continuantur, is proceribus redditur invisus, ac insidiis, vel criminationibus impetitur, sicut Camillus a Capitolino apud Livium lib. VI. decad. 1. Seditionis in republica causa est præmiorum inæqualitas; jam vero est e salute reipublicæ, omnes seditionum ac discordiarum civilium fibras evellere. Bodinus lib. IV. de rep. cap. 4. n. 431. 4.) Id ipsum requirit *justitia*. Quis enim supplicia perpetuis magistratibus delinquentibus irrogabit? at in annuis & ambulatoriis rationem reddet privatus, qui consul noluit. 5.) *Res familiaris* deterius administratur ab illis, qui perpetuum gerunt magistratum, ut Epaminondæ, Lysandri, Aristidis & Fabricii exemplis probat Junius part. I. q. polit. q. ult. Qui posterius suadent, hæc proferunt: 1.) Vicissitudo illa magistra-

gistratus *splendorem* non mediocriter obfuscat. 2.) Eadem civibus plurimum *molesta* est, cum novos culices & hirundines subinde ipsis immittat. Tiberius dicebat, *non facile, nec celeriter praefecturas esse mutandas, esse enim praefectos pecuniae lucrique ut plurimum cupidos & muscarum similes, quae quo diutius corporibus insideant minus graves & molestae fiunt, quippe quae jam sunt repletae.* Nicephorus lib. I. c. 17. 3.) In ambulatoriis & annuis magistratibus prius aliquis officio abire cogitur, quam ejus, quod didicit, *specimen* exhibere potest. 4.) Vt crebra *victus mutatio* in corporibus hominum a medicis; sic magistratuum mutatio in rebuspublicis improbatur. 5.) Nullus est magistratus novus, quin aliquid *novi* adportet, & cui non displiceat aliquid ex moribus anteccessoris. 6.) Apud *Persas* delecti judices perpetuo id munus obtinent, nisi delicti alicujus convicti fuerint. Herodotus lib. III. p. 83. Distinguendum *a*) inter *magistratum summum & inferiores*: *b*) inter statum reipublicae *monarchicum & polyarchicum*: *c*) inter *cives inaequales*, quorum quidam ad regimen minus idonei, & *aequales*, pari prudentia & regnandi scientia instructos. Respectu magistratus summi, in monarchico reipublicae statu, & inter cives inaequales praestat magistratum esse perpetuum. Respectu inferiorum magistratuum, & in statu reipublicae aristocratico ac democratico, ac quando cives sunt aequales, ambulatorium praestat esse magistratum.

SECTIO III.

DE VARIIS RERVMPVBLICARVM FORMIS AC GENERIBVS.

Forma rerumpublicarum.

§. CXXXI. Aristoteles lib. III. pol. c. 7. secutus Herodotum in Thal. Isocratem orat. III. ad Nicocl. Platonem VIII. de rep. & alios veteres, tres enumerat rerumpublicarum legitimarum species. „Cum gubernatio civitatis (inquit) & regimen idem significent, „regimen autem sit potestas civitatis; necesse „est, potestatem hujusmodi aut penes unum „esse, aut penes paucos, aut penes multos. „Quando igitur unus, vel pauci, vel multi communem utilitatem in gubernatione sequuntur, „has esse rectas rerumpublicarum *species*, τὰς „ὀρθὰς πολιτείας εἶναι, necesse est: quando autem ad propriam utilitatem vel unius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, transgressiones sunt & labes, παρεκβάσεις. Vocare „autem consuevimus, cum unus ad utilitatem „communem respiciens gubernat, regiam potestatem βασιλείαν; cum vero pauci gubernant, plures tamen uno, optimatum gubernationem, ἀριστοκρατίαν, vel ex eo, quia „optimi praesunt, vel ex eo, quia ad optimum „publicum administrant. Cum autem multitudo gubernat ad communem utilitatem, vocatur communi nomine rerumpublicarum omnium respublica, πολιτεία. Prolabuntur vero ac „transgrediuntur hujusmodi species ex regia „gubernatione in tyrannidem, ex optimatibus „in paucorum potentiam, ex republica autem „in popularem statum, ἡ τυραννὶς παρέκβασίς „ἐστι βασιλείας, ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας, δη„μοκρατία δὲ πολιτείας. Tyrannidem enim esse „dicimus dominatum unius ad proprium commodum intendentis, paucorum autem potentiam, cum ad opulentiorum commodum gubernatur, popularem autem statum, cum ad „commodum egenorum.„ Haec philosophus, quibus plerique omnes politici suffragantur. Corn. Tacitus lib. IV. annal. *Cunctas nationes & urbes aut populus, aut primores, aut singuli regunt.* Augustinus lib. II. de civ. Dei c. 21. ex Cicerone lib. III. de rep. *Respublica res est populi, cum bene ac juste geritur ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Monarchicus* Israeliticae reipublicae

status

ſtatus fuiſſe videtur ſub regibus; *ariſtocraticus* ſub ſenioribus & tribuum principibus, cum nondum rex eſſet conſtitutus; *democraticus*, quando ex ſuffragio totius populi de ſumma rerum ſtatuebatur. Jud. XX. & XXI. Qui dichotomiis delectantur, politias dividere poſſunt in *rectas* & *vitioſas*. *Rectae* ſunt, quæ publicum; *vitioſae*, quæ privatum bonum reſpiciunt. In rectis regimen & jurisdictio eſt aut *penes unum*, aut *penes plures*, eosque vel *optimates*, vel *omnes*, unde ſtatus reipublicæ vel eſt *monarchicus*, vel *polyarchicus*, isque vel *ariſtocraticus*, vel *democraticus*. Quibus opponuntur totidem ſpecies vitioſarum rerumpublicarum ſive παρεκβάσεων. Quemadmodum enim ferro rubigo, ligno vermiculi ac teredones adnaſcentes perniciem adferunt, & quamquam externa cuncta nocumenta effugiant, ab iſtis tamen, quæ adnata ſunt, abſumuntur; hoc pacto & reipublicæ cuilibet pro natura ipſius quædam adnaſcitur & adhæret peculiaris malitia, in quam facile degenerat, utpote regno tyrannis, ariſtocratiæ oligarchia, democratiæ ochlocratia. Polybius lib. VI, ubi notandum, *democratiae* vocem eſſe ἐκ τῶν ἐν μέσῳ κειμένων. Ab Ariſtotele enim ſumitur in malam partem pro παρεκβάσει πολιτείας, ab aliis vero ſcriptoribus politicis in bonam pro tertia reipublicæ rectæ ſpecie, quod ipſum etiam de *tyrannidis* adpellatione dicendum.

1.) *An detur reipublicae forma mixta?*

§. CXXXIII. I.) An præter haſce tres rerumpublicarum formas, quas vocant *ſimplices*, detur adhuc quædam *mixta*, acriter controvertitur inter politicos, quibusdam adfirmantibus, ut Moro, Contareno, Machiavello, Fricio, qui ex Herodoto, Ariſtotele, Polybio & Cicerone ſuæ ſententiæ robur quærere nituntur. Petr. Gregorius in ſynt. art. mirab. libr. II. c. 4. mixtæ reipubl. exemplum proponit in Venetorum republica, quam ex democratia & ariſtocratia mixtam cenſet: quibusdam vero negantibus, quorum partes propugnat Bodinus lib. II. de republ. c. 1. n. 176. Quamvis vero, hæ ſpecies inter ſe miſceantur intendendo ac remittendo, ſemper tamen *praeeminet ac praeponderat una*, a qua illius denominatio petitur. Petrus Gregorius lib. V. de republ. cap. 1. num. 3. Lipſius lib. II. polit. cap. 2. Arniſæus in polit. cap. 8. p. 162. talem mixtionis modum dari poſſe diſputat, quo *jura majeſtatis* ſeparantur, & diverſa diverſis ſtatibus adtribuuntur, utpote, ſi *populus* habeat curam ærarii publici, *ſenatus* iis rebus præficiatur, quæ maxime indigent prudentia, ut ſunt judicia publica, *princeps* vero habeat ſummam & perfectiſſimam poteſtatem.

2.) *Quae reipublicae forma ſit reliquis praeferenda?*

§. CXXXIII. II.) Nec minore conatu quæritur inter politicos, *quaenam forma reipublicae reliquis ſit praeferenda?* Monarchiæ primas tribuunt plerique omnes. *Ex omnibus reipublicae formis, etiam bonis, optima eſt monarchia*, inquit Darius apud Herodotum lib. III. *Vt monarchia bonis legibus inſtituta eſt omnium reipublicae formarum praeſtantiſſima, ſic bonus rex eſt velut Deus quidam inter mortales*, inquit Plato in dial. polit. ἐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς canit Homerus Iliad. β. quem verſiculum ſæpe commendat Ariſtoteles. Eſt enim monarchia 1.) *naturae ipſi convenientiſſima*, quippe quæ non ſolum univerſa unum habet conditorem & gubernatorem Deum & ſolem unum, a quo ſublunaria omnia illuminantur: *Divinitas aeterna ſua ineffabili providentia regnat ſola in univerſo mundo unus conditor mundi, qui regit omnia ſalubriter*, ait Philo in decal. p. 487. *Omnium in terra bonorum auctor eſt ſol, ſi vero gemini forent ſoles, periculum eſſet, ne omnia conflagrarent*, ut quidam Lydorum ad Crœſum dixit, qui fratrem ad imperii conſortium adſumſerat, apud Stobæum ſerm. XLV. *nec mundus duobus ſolibus regi poteſt, nec duo ſumma regna habere*, inquit Alexander magnus apud Curtium lib. V. & Juſtinum lib. XI. ſed particularis etiam natura unius directione gaudet. Vt in homine eſt *anima una*, quæ omnia dirigit, ſic unum reipublicæ corpus unius animo regendum:

Aſſinius

Asinius apud Tacitum lib. I. annal. quod repetit Pontanus lib. IV. de obed. cap. 2. Vt in domestica societate est *unus paterfamilias*, sic in civili sit unus monarcha. Inter *apes ac grues* unus est, qui cæteros omnes regit, eisque præit. Aristoteles lib. I. de hist. anim. c. 1. Plinius lib. XI. nat. hist. c. 17. breviter, *in omni rerum conditarum genere unum quiddam eminere cernimus, quod caeteris ejusdem generis dignius.* Savanarola epitom. ethic. concl. 19. 2.) *Antiquissima*; Augustinus lib. IV. de civ. Dei c. 6. *Monarchicus status est omnium antiquissimus. Primum in terris fuit imperii nomen*, inquit Salustius in Catilin. Adamus velut unus aliquis monarcha omnibus non solum irrationalibus animantibus, sed etiam hominibus fuit præpositus. 3.) Eadem *constantissima ac tutissima.*

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit; - - -

Lucanus lib. I. Rarius unus, sæpius secum multi dissident. Exemplis hoc demonstrat Junius part. I. quæst. polit. q. 4. *Vnius principatus bellis dissidiisque solet esse liber*, inquit Justinus in exhort. ad gentes. *Virtus unita semper est fortior. Vnum & bonum convertuntur*, inquit philosophus, illud ergo optimum, quod maxime unum. 4.) Eadem *subditis accommodatissima.* Facilius enim unius, quam multorum imperio obtemperari potest. *Quanto facilius est*, inquit Isocrates in Nicocle, *animum unius viri instituto accommodare, quam multis variisque opinionibus placere conari.* 5.) Eadem *aequissima. Monarchiae plurimum tribuunt optimo, deinde secundo quod post primum est, deinde tertio & quarto ac reliquis eadem ratione pro meritis cujusque.* Isocrates in Nicocle: *Facilius unus quispiam vir bonus reperitur, & si illum inventu difficilem quis putet, necesse est fateatur, & plures inventiri difficilius.* Dionysius lib. XLIV. hist. 6.) Eadem *felicissima.* εὐδαιμον πτολίεθρον ἑνὸς κίρυκος ἄκεον, qui versiculus Soloni ab oraculo redditus apud Plutarchum in conv. sap. Plures gubernatores navis licet artem noverint, tamen sibi invicem sunt impedimento. 7.) Eadem *communi fere omnium gentium consensu* reliquis rerumpublicarum formis *antepositа*, ut late ostendit Petr. Greg. Tholozanus lib. IV. de repub. c. 8. ad eam in omni periculoso reipublicæ statu sapientes quique tanquam ad sacram anchoram confugerunt. In difficilimis quibusque temporibus dictator Romæ creabatur, qui summum imperii jus habebat & potestatem plane regiam. Plura argumenta pro monarchiæ dignitate cumulata exstant apud Plutarchum l. de unius & mult. domin. Stobæum serm. Quod opt. sit monarch. Xenophontem in Cyropæd. Beroaldum de opt. reip. statu. Petr. Gregorium lib. V. de repub. c. 3. Bodinum lib. VI. de repub. c. 4. Lipsium lib. II. polit. 2. Thom. Morum lib. I. de repub. c. 2. Simanc. l. 3. de rep. c. 2. Patritium lib. I. de regno tit. 3. Junium lib. I. polit. quæst. q. 4. Hippolytum a Collibus in princ. c. 1. p. 13. 14. Althusium c. 32. polit.

§. CXXXIV. Pontificii ex hoc principio politico de monarchiæ præstantia colligunt, *etiam in ecclesia debere esse unum aliquem monarcham & visibile aliquod caput*, pontificem scilicet Romanum, qui summam in reliquos episcopos & totam ecclesiam obtineat potestatem, ut adparet ex Bellarm. lib. I. de pontif. Rom. c. 1. & seqq. Costero in enchir. controv. c. 3. p. 119. Gretsero in defens. Bellarmini tom. II. Sandero in lib. de monarch. eccl. &c. Atqui 1.) non ex principiis politicis, sed ex scripturis sacris de optimo *ecclesiae* regimine differendum. Ex scripturis igitur primo omnium demonstrandum fuerit, Christum ordinasse, ut ecclesia nov. test. a quodam visibili capite & monarcha gubernaretur, nec *de hac summa rei christianae* (ut Bellarminus in præfat. lib. de pontif. primatum pontificis vocat) ex conjecturis politicis statuendum, alias committitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. 2.) Si vel maxime concedamus, regimen ecclesiæ debere esse monarchicum, nondum tamen evictum erit, pontifici Romano illud competere, sed *Christus*, uti solus

est ecclesiæ suæ sponsus, ἀρχιποιμὴν, caput & fundamentum, ita quoque solus est ecclesiæ monarcha. 3.) Nondum apud omnes politicos est in confesso, monarchiam simpliciter præstare reliquis formis. Quidam existimant de formis rerumpublicarum earumque præstantia non esse in *comparativo*, sed *positivo* loquendum, cum uterque regiminis modus tam aristocraticus, quam monarchicus sit bonus & eligibilis, uterque Dei ordinatio, & paria adferat commoda. Banosius de polit. civ. Dei c. 14. sat. 2. Quidam aristocratiam præferunt, quam ita dictam putant, quod non solum sit ἀρίστων, sed etiam ἀρίστη ἀρχὴ, quidam monarchiam aristocratia temperatam præferunt, quin imo, qui in liberis rebuspublicis hodie vivunt, tantum abest, ut monarchicum unius dominatum præferant, ut vitam potius, quam libertatem amittere malint. Et qui monarchiam præferunt, certas addunt limitationes. Thomas p. II. q. 105. art. 1. *Regnum* (monarchia) *est optimum regimen populi, si non corrumpatur; sed propter magnam potestatem, quae regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus ejus, cui talis potestas conceditur, perfecta autem virtus in paucis invenitur, & praecipue Judaei crudeles erant, & ad avaritiam proni, per quae vitia maxime in tyrannidem decidunt, ideo Dominus a principio eis regem non instituit cum plena potestate.* Bellarminus ipse lib. I. de pont. Rom. c. 3. *simplici monarchiae* præfert *mixtam & ex aristocratia temperatam, si circumstantiae & ratio hujus vitae consideretur;* unde etiam quidam distinguunt inter præstantiam regiminum consideratam *in thesi* citra circumstantiarum respectum, & *in hypothesi*, hujus vel illius reipublicæ respectu, quo adcommodari potest distinctio philosophi inter ἁπλῶς ἀγαθὸν, & τίνι ἀγαθὸν. Quamvis absolute & simpliciter loquendo monarchia sit præstantior, tamen respectu hujus, vel illius politiæ, alia regiminis forma potest esse adcommodatior, ac proinde magis eligenda. Item inter monarchiam *in abstracto* ratione essentiæ, & *in concreto* ratione existentiæ. Si monarchia in se & ratione quidditatis suæ æstimetur, & omnia boni monarchæ requisita præsupponantur, negari forte nequit, eam esse omnium formarum præstantissimam; sed si consideretur ratione existentiæ, qualis esse solet in tanta humanæ naturæ imbecillitate, non injuria dubitatur, an ea semper sit eligibilior ac præstantior? Vide Meisnerum in disp. de regim. eccles. q. 2. th. 71.

§. CXXXV. III.) Theologi quando ex c. II. & VII. Daniel. quatuor monarchias statuunt, *Babylonicam* scil. *Persicam*, *Graecam* & *Romanam*; (*) in sensu quodam specialiore monarchiæ nomen accipiunt pro regnis totius mundi

3.) *Quo sensu ac respectu quatuor tantum monarchiae a theologis statuantur?*

(*) iis, quæ hac paragrapho & seqq. de *quatuor monarchiis* Danielis, ac sigillatim *quarta*, *Romana*, GERHARDVS disseruit, pauca quædam adjungere non alienum videtur.

Ac sane vicit, qua ipse stat, sententia, si ex antiquitatis consensu, opinantiumque numero & auctoritate judicari res debeat. Præivit eandem JOSEPHVS *ant. Jud.* l. X. c. X. sect. 4. haud nominatis quidem regnis, quæ a Daniele indicari putaret, in quo studiose ille sibi cavit ab offensione Romanorum, quos fata imperio quarto v. 44. prædicta ægre laturos esse poterat præsentire, sed ipsa illa diligentia, additaque significatione, non *futura*, sed præterita memoriæ a se prodi, haud obscure docuit, regnum Danielis *quartum* quærendum in *Romano* sibi videri. Credo equidem Josephum referre communem gentis suæ opinionem, quod probat, qua Josephi sæculo universa gens flagrabat, exspectatio regni domestici, (ita quippe intelligebant v. 44.) quod Messias proxime esset instauraturus translata adeo a Romanis ad Judæos rerum summa, & confirmat etiam testimonium JONATHANIS VZZIELIDÆ, adlatum in libro satis obvio THOMÆ NEVTONI *von den Weissagungen, die merkwürdig erfüllt sind.* P. I. p. 326.

Transiit ea sententia a Judæis ad christianos, & miro quidem consensu in eandem iverunt antiquiores ecclesiæ doctores, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, HIPPOLYTVS, ORIGENES, CYRILLVS *Hierosolymitanus*, HIERONYMVS, SVLPITIVS SEVERVS, THEO-

mundi amplissimis, potentissimis ac florentissimis, sibi invicem succedentibus, & serie non interrupta ad Christi usque adventum durantibus. De Assyriorum monarcha Nabuchodonosore dicitur Dan. IV. 19. *Potestatem ipsius perveniſſe in terminos universae terrae.* De Medorum & Persarum monarchia Dan. VIII. 4. dicitur, *omnes bestias non potuisse ei resistere,*

Theodoretvs, Isidorvs Pelvsiota, quorum loca huc pertinentia collecta exhibet Joh. Gvil. Jannvs, rarae quondam eruditionis theologus Wittebergensis, in libello *de quatuor monarchiis* capite primo integro. Exstitit quidem saeculo III. qui secus, ac ferebat vulgaris sententia, opinari coepit, imperium non Romanum, sed successorum Alexandri M. *Seleucidarum* ac *Lagidarum*, cui fata populi Judaici insigniter innexa essent, quarto loco ab auctore libri Danielis positum ratus: at cum ille esset a christianorum sacris alieniſſimus, erat enim Porphyrivs, & vero ea in re pessimo consilio egisset, sautorem sententiae inter christianos neminem nactus, sed mox impugnatus etiam ab Methodio, Apollinari & Evsebio *Caesariensi*, teste Hieronymo in *praef. comment.* in *Danielem.*

Fecit illa antiquitatis constans in hanc sententiam consensio, ut tenaces ejusdem essent sequentium saeculorum doctores; cumque post repurgata sacra non modo Lvtherivs, Zwinglivs & Calvinvs eam servarent, sed quam maxime Melanchthon in *chronico* universam fere historiam secundum ordinem istarum quatuor monarchiarum describeret, idque repeteret Joh. Sleidanvs in libro variorum postea curis aucto de *quatuor ſummis imperiis*, quorum vel ad ductum apud nos historia tradi, vel ad exemplum compendia historica pleraque formari solebant, factum est, ut, cui a teneris adsueti essent, sententiae longe plurimi fideliter inhaererent, & quae sola antiquis sacra erat, non desineret certe esse hodienum maxime omnium communis opinio. Sanciri autem potuit eo facilius, quo planior & adcommodatior esse videtur illius adplicatio ad descriptionem regni quarti apud Danielem, cui quam apte respondeat vel ea docent, quae adtulit Gerhardvs §. CXXXVI. & sq.

Primus fere bellum receptae sententiae post *Porphyrium* indixit Bodinvs, Gerhardo nominatus, a qua discessionem postea plures fecerunt. Et cum Bodino alii quidem veteri impugnata, novam Danielis explicationem stabilire voluerunt, e quibus nominasse sufficiat Herm. Conringivm in *exercitationibus academicis de rep. imp. Germ. exerc. II. §. 54.* & Vlr. Hvbervm *dissert. de genuina aetate Assyriorum p. 141. seqq.*

Alii autem praeter Junivm, Polanvm, Piscatorem, citatos Gerhardo, imperium successorum Alexandri M. *Seleucidarum* ac *Lagidarum*, quarto loco a Daniele *cap. II. & VII.* poni contenderunt. Sunt in eorum numero Grotivs in *adnotationibus* in *Danielem* Ant. Hvlsivs *theol. Jud. P. I. p. 556. &c.*

Const. L'Emperevr in *notis ad Jacchiadae paraphraſin in Danielem.* Joh. Christoph. Becmannvs in *meditationibus politicis cap. XXVI.* toto. Calmetvs, Wallivs aliique interpretes *Angli*; conf. *biblia* ipsorum curis *illuſtrata tom. X.* Eo pluribus probavit se haec sententia, quo magis placere coepit illa ratio interpretationis prophetarum, quae, ubi vaticiniorum implementum in temporibus prophetae propioribus ostendi potest, aliud remotius quaeri non vult. Posse autem ostendi hujus, & quae *cap. VII.* est, prophetiae implementum in temporibus, quae ipsi statuant, id patere existimant in primis ex eo, quod *characteres* regni quarti *cap. II. 40 — 43.* & *VII. 19 — 26.* non minus quadrent in regnum Seleucidarum ac Lagidarum, quam in Romanorum imperium; sint etiam in iis, quae multo melius illi conveniant, quam huic; ut cum dicatur v. 43. fore, ut paci rebusque prosperis divini regni praesidia ex connubiis quaerantur, cujus rei illustria exempla, (quorum unum ab ipso vate sacro adlatum *c. XI. 6.*) habeantur in historia Lagidarum ac Seleucidarum, longe autem nimis petita sint, quae pro communi sententia heic adferri soleant. Porro, decem illos reges e regno quarto prodituros *cap. VII. 24.* perinde multo certius, quam possint in imperio Romano, inveniri in serie illorum, quibuscum Judaeis res fuit, Ægypti ac Syriae regum, ad quos a vate sacro respici aperte doceat ipse textus, cum iisdem subjungat regem eum v. 24. & 25. qui exacte referat Antiochvm Epiphanem, Danieli indubie memoratum *c. VIII. 9 — 13. 23 — 25.* & explanatius adhuc *c. XI.* quod fateri cogantur ipsi communis sententiae patroni. Esse autem maxime omnium probabile, a vate *c. II.* primas lineas duci eorum, quae deinceps *c. VII. VIII.* & *XI.* distinctius exponat: neque vero tanti esse rationes, quae in contrarium proferantur, ut difficile sit bene ad illas respondere: ex *collatione* autem *apocalypseos*, cui procul dubio plurimum suae auctoritatis acceptum referat communis opinio, effici nihil posse amplius, praeter id, quod rem similem simili, qua poterat, ratione expresserit ejusdem auctor, quod eos certe offendere non debeat, qui post *Hieronymum* Antiochum Epiphanem, *cap. VIII.* & *XI.* clare notatum, typum Antichristi facere ament.

At vero causam hanc agere instituti nostri non est; adeat, cui lubet peroratam legere, scriptores supra laudatos, quibus unum adhuc instar omnium adjungimus Henr Benzelivm, Scaniae Bl kingiaeque episcopum, *dissertationum*, quae collectae prodierunt anno MDCCXLV. in 4. *tom. I. dissert I. de quatuor orbis monarchiis.* Aliam

ſtere, nec liberari de manu ejus. De Græcorum monarchia dicitur Dan. II. 39. quod *univerſae terrae ſit imperatura.* De quarta, Romana ſcilicet monarchia, Dan. II 40. quod *omnia ſit contritura, ac comminutura.* Ideo enim Daniel in ſpecie horum quatuor regnorum ſub typo ſtatuæ & beſtiarum diſtinctam mentionem facere voluit, tum quia inter reliqua mundi regna ſingulis temporibus præcipua eorum fuit auctoritas, tum quia eccleſiæ ſtatus illis magis, quam aliis fuit obnoxius. Bodinus in method. hiſtor. c. 7. per illas quatuor beſtias propheticas intelligit *Medos*, *Perſas*, *Graecos*, *& Parthos*, quatenus Babylonem ſubegerunt. Fr. Junius, Polanus, Piſcator & quidam alii per *quartam Danielis beſtiam* non Romanam monarchiam, ſed Alexandri magni ſucceſſores, *Seleucidarum* ſcilicet ac *Lagidarum* regnum, ac per corniculum parvum inter decem reliqua exortum Antiochum Epiphanem intelligendos eſſe ſtatuunt, qua ratione Danielis prophetiam intra arctiſſimos paucorum annorum carceres, videlicet intra tempus, quod a captivitate Babylonica usque ad ſynagogæ excidium interceſſit, includunt, ſicque hodiernam eccleſiam a fructu hujus prophetiæ excludunt, quibus ſequentia merito opponuntur argumenta.

An per quartam Danielis beſtiam intelligatur monarchia Romana?

§. CXXXVI. I.) *Ex prophetica tum quartae beſtiae, tum etiam corniculi inter decem cornua enati* deſcriptione. 1.) Quarta beſtia apud Danielem ſic deſcribitur: *a.*) quod ſit *prorſus alia ac diverſa* a præcedentibus: quod adparet tum ex *generali beſtiarum diſcretione*: Dan. VII. 3. *quatuor beſtiae grandes adſcendebant de mari diverſae inter ſe*; tum ex *ſpeciali quartae beſtiae explicatione* v. 7. 12. 19. 23. ubi notanter dicitur, *diſſimilis reliquis beſtiis.* At ſucceſſores Alexandri non ſunt diverſi a præcedente tertia beſtia, quia v. 6. *per quatuor alas & quatuor capita* tertiæ beſtiæ denotantur, ut colligitur ex Dan. VIII. 22. Ergo ſucceſſores Alexandri & ipſorum regnum non ſunt quarta beſtia. *b.*) Quod ſit *duratura* usque ad judicium extremum, ut colligitur *ex deſcriptione judicii*, immediate hujus beſtiæ deſcriptioni ſubjuncta: Dan. VII. 9. 10. 13. cumprimis ex v. 21. & 22. ubi dicitur, quod *cornu illud praevaluerit adverſus ſanctos, donec venit antiquus dierum & judicium ſedit.* Atqui regnum ſucceſſorum Alexandri jampridem ſublatum eſt, nec duravit integros trecentos annos. Qui de particulari Dei judicio adverſus Seleucidas exercendo & regno Maccabæis poſt illud vaticinium propheticum con-

Aliam, eamque ſingularem opinionem propugnavit HERMANNVS van der HARDT in libello *de* IV. *monarchiis Babyloniae ad illuſtrandum Coloſſum in ſomnio Nebucadnezaris*, *Dan* II. anno MDCCVIII. latine atque gallice edito. Diſcedit autem a duabus prioribus non modo in deſcriptione formæ, ſed etiam in expoſitione ominis Coloſſi illius Nabuchodonoſoro per ſomnium oblati, arbitratus nimirum per ejusdem partes non integra regna, ſed *ſingulos reges* Nabuchodonoſoro proxime ſucceſſuros ſignificari. Expoſitam examinatamque *van der Hardtii* ſententiam habes in libello ante laudato JOH. GVIL. JANI, c. VII. Eidem vero nuperrime acceſſit S. R. HARENBERGIVS in *der Aufklærung des Buchs Daniels* &c. quæ lucem vidit MDCCLXXII. & MDCCLXXIII. ea quidem ex parte, ut omen Coloſſi iſtius ad reges Nabuchodonoſoro proximos ipſiusque familiæ adſcriptos reſtringeret, illud autem *ſaxum* v. 35. & 45. de Cyro interpretaretur; negaret vero parallelam huic eſſe viſionem *cap. VII.* prophetæ exhibitam, in qua explicanda conſentit iis, qui quartum locum tribuunt ſucceſſoribus Alexandri M. & v. 27. intelligit de regimine Maccabæorum, patriæ vindicum; regnum autem *cap. II. v.* 44. poſt quatuor illa regna memoratum exponit de ipſo Dei in omnia imperio, quod ſolum immutabile & firmum eſſe ipſa illa potentiſſimi regni Babylonici deſtructione, velut luculento exemplo declaraturus ſit ſummus ille rerum humanarum arbiter. Imperium Romanum perpetuo manſurum ſedemque eccleſiæ præbiturum illud eſſe dixerat GROTIVS, cujus inventum in ſuos uſus rapuit ANT. COLLINVS, deiſta Anglus, conf. LILIENTHAL in *der guten Sache der gœttlichen Offenbarung tom. II. p. 801. ſq.* Qui *quartam* monarchiam in regno Seleucidarum ac Lagidarum inveniunt, etſi ſunt inter eos, qui Grotium ſequantur etiam ex hac parte, plurimi tamen regnum v. 44. prædictum interpretantur de regno Chriſti per univerſum orbem ſine gentium diſcrimine erigendo ac ſublata tandem rerum humanarum fragilitate omni in gloriam deſituro; illud autem ביומיהון vertunt, *poſt haec autem*.

conferendo exponunt, refelluntur descriptione tum *judicii a filio hominis* exercendi; id enim ita comparatum est, ut non nisi extremo judicio competat; tum *regni* post illud judicium *sanctis dandi*, quod usque *in seculum & seculum seculorum* iidem dicuntur possessuri v. 18. *At si hoc de Maccabaeis intelligitur, doceat, qui ista contendit, quomodo regnum eorum sit perpetuum?* inquit Hieronymus in comm. Dan.

§. CXXXVII. 2.) Vt autem quartæ bestiæ descriptio non convenit Alexandri successoribus, ita nec cornu parvi descriptio Antiocho Epiphani competit, sed regno Turcico, id quod manifestum fiet, si descriptionis partes singulas examinemus. *a) Adpellatio.* Cornu quartæ bestiæ adpellatur זְעִירָה *parvum* Dan. VII. 8. at Antiochus vocatur מִצְּעִירֵי *ex minore* inter quatuor, cap. VIII. 9. ut hæc adpellatio ad stirpem, non ad personam pertineat. *b) Origo.* De ortu hujus parvi cornu usurpatur verbum סְרָקָה v. 8. & 20. quod de ortu bestiarum e mari etiam usurpatur v. 3. ex quo colligitur, cornu illud *non esse quartam bestiam*, sed immediate *ex mari* oriturum, hoc est, eum, qui per cornu parvum denotatur, non per successionem, sed per novam adscensionem ad imperium perventurum. Atqui Antiochus per successionem imperium obtinuit. *c) Tempus originis.* Ortus corniculi refertur *ad tempus quartae bestiae.* v. 8. At Antiochus Epiphanes non prodiit ex quarta bestia, sed ex tertia Dan. VIII. 9. & 23. *d) Incrementum.* De corniculo dicitur, quod *in principio* fuerit parvum, sed postea præ reliquis *evaserit magnum*: Dan. VII. 19. *Adspectus ejus magnus prae sociis suis.* At Antiochus Epiphanes erat magnus nascens, quia Antiochi magni filius fuit, nec major reliquis evasit, imo ne par quidem parenti, qualis, antequam a Romanis regni magna parte exueretur, exstitit. *e) Res gestae.* De corniculo illo dicitur, quod *tria cornua ex decem cornibus bestiae sit evulsurum* v. 8. hoc est, *tres reges humiliaturum.* v. 24. At nec decem cornua in Alexandri successoribus, nec tria cornua, sive regna ex illis ab Epiphane decussa monstrari possunt. Junius nominat 1.) Ptolemæum Philopatora, 2) Seleucum Philopatora, 3) Demetrium filium. Atqui Demetrius post Epiphanem regnavit, ergo cornu hoc non fuit ab Epiphane dejectum. Præterea cornua dejecta oportuit ante regnare, & in numero decem cornuum bestiæ locum prius habere. Jam vero Demetrius ante Antiochum Epiphanem non regnavit, teste Josepho libr. XII. antiquit. cap. 15. nec ipse Junius Demetrium inter decem cornua ponit. Polanus loco Demetrii ponit Antiochum magnum, at is non a filio, sed a seditiosa plebe fuit interemtus, teste Justino libr. XXXII. Brugtonus nominat 1.) Seleucum Philopatora, 2.) filium ejus Demetrium, 3.) Philometorem, Ægypti regem. At nec Demetrius, nec Philometor ab Epiphane evulsus, cum uterque post ipsum regnarit, Philometor etiam cum eo & ante eum, ut ex chronologico calculo Helvicus in synopsi de quatuor summ. imper. p. 4. probat. De corniculo illo prædicitur, v. 25. quod *sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & cogitabit mutare tempora & legem.* At hæc non tam Antiocho, quam Turcæ competunt, qui tempora in algieras & legem in alcoranum mutavit. *f.) Adjuncta.* Tribuuntur corniculo *oculi, quasi oculi hominis*, qui vigilantiam in imperii finibus augendis & adfectationem singularis humanitatis notant, & *os loquens grandia*, quo notantur blasphemiæ pseudopropheticæ, qualia non tam in Epiphane, propter crudelitatem Epimane dicto, quam in Turca, regnum primitus adfectante, & in alcorano blasphema eructante deprehenduntur. *g) Interitus.* Corniculum illud interit circa extremum judicium v. 11. ac deletur immediate ab ipso judicio, ita ut cum eo totaliter deleatur *corpus bestiae* atque omne imperium terrenum v. 12. post interitum illius *nullum est tempus*, sed succedit illi *regnum sanctorum aeternum*: v. 27. At ista non possunt ad Antiochi ac regni ipsius interitum adplicari, quod jampridem interiit, & Romanorum monarchia eidem successit.

§. CXXXVIII. II.) *Ex prophetica temporis notatione.* Præsupponimus numerum monarchiarum quaternarium, tum per *quatuor partes statuae*, 1.) caput scilicet aureum, 2.) pectus & brachia argentea, 3.) ventrem & femora ærea, 4.) tibias ferreas & pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles: Dan. II. tum per *quatuor diversas bestias* Dan. VII. diverso licet respectu denotari. Atqui Dan. II. 28. dicit propheta ad regem: *Deus notificavit regi, quod futurum est in novissimo dierum.* Ergo regna illa sibi invicem eo modo succedunt, ut duret quartum usque ad novissimum diem, quo usque etiam se extendit utraque visio tum prophetæ, tum regi oblata, id quod evidenter etiam colligitur ex connexione v. 34. & 44. cum præced. vers. Dan. II. & v. 9. & 22. cum præced. Dan. VII. III.) *Ex prophetae Danielis cum apocalypsi Johannis collatione.* Ea enim evidenter ostendit, non regnum successorum Alexandri, sed Romanam monarchiam per quartam bestiam notari. Apud Danielem quarta bestia sic describitur, quod *adscenderit e mari*, Dan. VII. 3. quod *fuerit terribilis, formidabilis ac fortis, comedens, comminuens & conculcans* v. 7. *habens cornua decem*, v. eodem *dentes ferreos & ungues aeneos:* v. 19. 23. simili modo describitur bestia *decicornis* Apoc. XIII. 2. quod *fuerit similis pardo, quod fuerint pedes ejus sicut pedes ursi, & os ejus sicut os leonis*, hoc est, quod instar leonis comminuerit, instar ursi devoraverit, instar pardi conculcarit, sicut etiam apud Danielem v. 12. *reliquum bestiarum*, leonis scilicet violentia, ursi truculentia & pardi sævitia, huic quartæ bestiæ adtribuitur. Quod autem decicornis illa bestia apud Johannem denotet Romanam monarchiam, colligitur ex eo, quod Apoc. XVII. 9. *septem capita*, quæ illi tribuuntur, explicantur per *septem montes.* Atqui de Roma constat, quod septem montes ambitu suo includat, unde Maro de ea canit:

Septem quae una sibi muro circumdedit arces.

Et Propertius:

Septem urbs alta jugis, toti quae praesidet orbi.

Præterea *mulier insidens bestiae* sic explicatur Apoc. XVII. 18. quod *sit civitas magna habens regnum super reges terrae.* At tempore Johannis nulla urbs alia, quam Roma monarchiæ quartæ metropolis imperium in reges terræ habuit. Denique *color coccineus* v. 3. huic bestiæ adtributus, quid aliud notat, quam sanguinolentas persecutiones, quas tum ab imperatoribus Romanis adhuc ethnicis, tum a Romanis pontificibus ecclesia Dei sustinuit? IV.) *Ex communi saniorum interpretum testificatione.* Primus, qui a recepta discessit sententia, fuit *Porphyrius*, christiani nominis hostis, quem Hieronymus & Theodoretus refellunt, reliqui interpretes & quidem plerique omnes tum *veteres* tum *recentiores* visionem Danielis de quatuor monarchiis, & quartam ejus partem de Romana monarchia exponunt, unde Calvinus ipse in Dan p. 21. sic scribit: *Hoc ὄραμα statuae extra controversiam, quicunque praediti sunt sano judicio, & candide etiam cupiunt mentem prophetae exponere, intelligunt de quatuor monarchiis* p. 22. *Interpretes, qui & mediocri judicio pollent, & candore, ad unum omnes hunc locum exponunt de monarchia Babylonica, Persica, Graeca & Romana, Et Daniel ipse suis verbis satis ostendet.* Graserus in histor. antichr. magni exerc. prima p. 45. & seqq. ex professo Fr. Junii sententiam refellit.

An Romana monarchia sit duratura usque ad mundi finem?

§. CXXXIX. Porro ex Danielis de quatuor monarchiis vaticinio recte colligitur, *Romanam monarchiam, sub qua vivimus, usque ad finem mundi duraturam,* cum finis hujus monarchiæ & Christi ad judicium adventus immediate conjungantur. c. II. 44. VII. 9. Contrarium statuit I.) *Lactantius*, qui lib. VII. instit. c. XV. futurum scribit, *ut Romano nomine funditus deleto, reversoque in Asiam imperio, occidens serviat, oriens autem dominetur*, ubi adducit etiam testimonium Sibyllarum, & Hydaspis, Medorum regis antiquissimi, qui sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradiderit, *sublatum*

tum iri ex orbe imperium, nomenque Romanum. Resp. 1.) Certissimis Spiritus sancti oraculis non sunt præferenda incerta Sibyllarum vaticinia. 2.) Idem Lactantius lib. VII. cap. 25. diem extremi judicii intra ducentos a suo tempore annos exspectandum definit: *omnis*, inquit, *exspectatio non amplius, quam ducentorum videtur annorum.* Cum ergo claruerit Lactantius circa annum Christi 330. tempus judicii oportuisset incidere in annum a nato Christo 530. sed eventus docuit contrarium. Proinde ut in uno falli potuit Lactantius, ita quoque in altero; & ut ob unum non completum Lactantii vaticinium reliquis fides decedit, sic e contrario multa Danielis oracula ipso eventu comprobata, eorum, quæ adhuc implenda restant, fidem confirmant. 3.) Quid de talibus vaticiniis statuendum sit, similia exempla ostendunt. Phil. lib. V. chron. sub tit. Max. imper. refert, cum Maximilianus I. anno 1480. die 6. Febr. imperator eligeretur, Judæum quemdam Francofurti fuisse, qui diceret, *ultimum tunc imperatorem Germanicum* eligi, adcersitumque ad electores coram his eadem dixisse. Fuerunt, qui Rudolphum II. ultimum ex Austriaca familia imperatorem fore prædixerunt, sed eventus illorum prædictiones redarguit. II.) *Judaei hodierni*, qui magnas spes fovent, se non semper exsules fore, sed quando imperium Romanum fuerit sublatum, ad Judæam sese redituros, idque colligunt ex Thren. IV. 21. *Gaude & laetare filia Edom, quae habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis*, ubi per Edom existimant intelligi monarchiam Romanam, cum primus ejusdem fundator Julius Cæsar de Edom fuerit. Resp. 1.) Hac ratione ipsorum Judæorum regnum intelligi posset per Edom, cum Herodes fuerit Idumæus. 2.) Unde probant, Julium Cæsarem fuisse Edomitam? Edom, sive Esavus fuit ex posteritate Semi, sed orbis Europæus, in quo Roma sita est, a posteris Japheti fuit habitatus. 3.) Si vel maxime primus Romanus imperator fuisset Edomita, non tamen propterea totum Romanum imperium posset dici Idumæum, vel filia Edom. 4.) In prophetico vaticinio retinendus est sensus literalis. Filia Edom significat *regnum Idumææ* ab Edom, qui fuit Esavus, sic denominatum, Hus est nomen civitatis in hoc regno celebrioris. Consolatur enim propheta populum Israeliticum, argumento a pœnis hostium & præcipue Idumæorum, qui erant perpetui & implacabiles Judæorum hostes desumto, & ironice jubet eos gaudere & lætari super miseriis Judæorum, brevi enim hujus lætitiæ finem fore dicit, cum ad ipsos quoque calix iræ divinæ perventurus sit. Similes prædictiones exstant Jer. XLIX. 10. Ezech. XXV. 12. XXXV. 3. ac quinto post Hierosolymæ expugnationem anno Idumæis & aliis vicinis gentibus ea, quæ hic prædicuntur, contigisse commemorat Josephus lib. X. antiq. Judaic. c. XI.

CAPVT VI.

DE FINE ET EFFECTV MAGISTRATVS.

Finis magistratus.

§. CXL. *Finis magistratus* est vel *principalis*, & summus, vel *minus principalis* & intermedius. Finis *principalis*, ut aliarum divinarum ordinationum, ita quoque magistratus, est *Dei gloria.* Prov. XVI. 4. *Vniversa propter se ipsum operatus est Dominus.* Intermedius & *minus principalis* finis in genere ab apostolo exprimitur Rom. XIII. 4. quod sit *bonum publicum*, cui inest etiam bonum singulorum subditorum privatum. *Dei minister est*, inquit, *tibi in bonum.* In specie illud bonum statuitur tripartitum 1. Tim. II. 2. *ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate.* Primum igitur bonum est 1.) ἡσυχία, *publica quies & tranquillitas.* Si absque magistratus cura ac defensione esset, omnia cyclopicis confusionibus essent turbata; quod vita & fortunæ nostræ ab aliorum oppressionibus & rapinis sunt securæ, id post Deum magistratui unice debemus. *Omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias*

cias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. De regno Salomonis scribitur 1. Reg. IV. 25. *Habitabat Juda & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua & sub ficu sua cunctis diebus Salomonis.* Jer. XXIX. 7. dicit propheta ad Israëlitas: *Quaerite pacem civitatis*, (Babylonis) *& orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Bar. I. 11. *Orate pro vita Nabuchodonosor & Balthasar, ut vivamus sub umbra eorum.* Huc referenda est visio Danielis prophetæ, in qua beneficia magistratus describuntur sub typo *arboris procerae & magnae*, sub qua *umbram inveniunt animalia campi, in ramis ejus nidulantur volucres, & ex ea vescitur omnis caro.* Dan. IV. 8. 9. Cæterum hanc quietem & tranquillitatem publicam procurat magistratus *legum promulgatione, justitiae administratione, bonorum defensione, malorum correctione, judicum institutione, &c.* 2.) Εὐσέβεια, *cultus divini exercitium publicum ac liberum.* Si absque magistratus cura ac defensione esset, non possent institui conventus ecclesiastici, in quibus doctrina cœlestis proponitur. Quod scholæ & templa in pace florent, id magistratui debemus, qui propterea vocatur *nutritius ecclesiae* Esaj. XLIX. 23. 3.) Σεμνότης, *publica honestas*, qua subditi in officio continentur, ne perfractis legum & honestatis repagulis tradant se libidinibus, morum turpitudini & omnis generis improbitati. Magistratus tuetur externam disciplinam, ac positis honestis legibus prohibet ea, quæ belluinam feritatem ac turpitudinem introducunt.

Officium magistratus.

§. CXLI. Ad hunc *finem* tanquam aliquem scopum magistratus officium tanquam *medium* perducit & spectat. Officii illius partes diversimode a diversis recensentur. Quidam revocant illud ad custodiam *utriusque decalogi tabulae.* Quidam ad *res divinas* & *humanas.* Quidam occupari illud statuunt vel *circa res*, vel *circa personas.* Quidam ad *judicium* & *justitiam* partes officii illius revocant. Quidam illud versari dicunt in *ordinando*, *judicando* & *vindicando.* Quidam vel *pacis*, vel *belli* tempore illud spectandum esse censent. Dicimus requiri ad pium, christianum & laudabilem magistratum, 1.) *legitimam officii occupationem*, ne scilicet violenta aliorum oppressione, vel malis artibus, vel aliis mediis illegitimis & illicitis solium occupet; sed aliquo modorum ac mediorum legitimorum superius recensitorum ad illud evehatur: 2.) *legitimam ejusdem administrationem*, quæ in eo consistit, ut magistratus recte se gerat erga *Deum*, & erga *homines.* Hominum nomine complectimur tum ipsum *magistratum*, tum *alios homines.* Requiritur igitur, ut magistratus recte se gerat erga *se ipsum*, & erga *alios*, eosque vel *amicos*, vel *inimicos* & hostes. Amici sunt vel *domestici* & familiares, vel *extranei.* Domesticorum & familiarium nomine intelligimus *parentes*, *uxorem*, *liberos*, *consiliarios*, &c. Extranei sunt vel *aequales*, quo nomine ὡς ἐν πλάτει intelligimus *vicinos* & *magistratus* alios, vel *inferiores*, quo nomine accipimus *subditos*, potestati ac jurisdictioni magistratus subjectos. Quemadmodum enim apostolus regulam vitæ christianæ omnibus ac singulis præscripturus, Tit. II. 12. requirit, ut quilibet σωφρόνως, δικαίως καὶ εὐσεβῶς vivat, εὐσεβῶς scilicet respectu *Dei*, σωφρόνως respectu *sui ipsius*, δικαίως respectu *proximi*; ita quoque officium magistratus non incommode ad hæc capita revocari potest, ut recte se gerat erga *Deum*, erga *se ipsum* & erga *homines alios. Multiplex & multiformis debet esse princeps*, inquit Philo in l. de Josepho, *alius in bello*, *alius in pace*, *alius erga hostes*, *alius erga subditos.*

CON-

CONSPECTVS
LOCORVM,
CAPITVM, SECTIONVM ET RELIQVORVM
CONTENTORVM
IN TOMO HOC XIII. OCCVRRENTIVM.

Locvs XXIV.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Caput IV.

DE CAVSA MATERIALI MINISTERII ECCLESIASTICI.

Sectio I.

de materia in qua, sive subjecto ministerii.

I) *Subjectum* ministerii sunt *homines*; quorum opera Deus *ordinarie* utitur ob rationes sapientissimas tum *respectu Dei*, §. CLXXIX. tum *respectu hominum* §. CLXXX.

II) *Quales* esse debeant personae ad ministerium eligendae? ex 1. *Tim.* III. & *Tit.* I. docetur §. CLXXXI - CLXXXIII.

III) Reliqua de *subjecto* ministerii dicenda complectuntur *quaestiones* quinque

1) an ministerium in N. T. perinde ut in V. T. sit ad *certam familiam* adligatum? §. CLXXXIV.
2) an *certus annorum numerus* in vocandis requiratur? §. CLXXXV.
3) an & *feminae* ad officia ecclesiastica admittendae? §. CLXXXVI.
4) an *corporis vitio adfectis* ea sint committenda? §. CLXXXVII.
5) an eadem *invitis* deferenda? §. CLXXXVIII.

SECTIO II.

de materia circa quam, sive objecto ministerii.

Objectum ministerii est *grex dominicus* pastorum curae & fidei commissus. §. CLXXXIX.

CAPVT V.

de forma ministerii ecclesiastici.

Ea statuitur duplex: *interna*, quae est *potestas ecclesiastica*, divinitus huic muneri concessa: *externa*, quam constituunt *diversi gradus* & *ordines* ministrorum §. CXC.

SECTIO I.

de potestate ecclesiastica.

I) Ministerio ecclesiastico *competit* potestas. §. CXCI.
II) Quæ *qualis* sit ex Aug. Conf. art. VII, abus. declaratur. §. CXCII.
1) est ea tum *ordinis* §. CXCIII. tum *jurisdictionis*. §. CXCIV.
2) non est *dominatus* quidam *politicus* §. CXCV. nec potestas αυτοκρατορικη. §. CXCVI.
III) *Antithesis* pontificiorum exponitur §. CXCVII — CXCIX. & respondetur ad eorum *argumenta* pro adserenda potestate αυτοκρατορικη cleri petita ex
1) Matth. XVI. 19. XVIII. 18. §. CC.
2) 1. Cor. XI. 34. §. CCI.
3) 1. Tim. V. 17. coll. Hebr. XIII. 17. §. CCII.
4) 1. Tim. V. 19. §. CCIII.

SECTIO II.

de gradibus ministrorum ecclesiae.

Dispicitur
I) An *sint* & *esse debeant* gradus inter ministros ecclesiæ? §. CCIV. quibus de causis? §. CCV. Adduntur *monita* quædam ad *naturam* & *usum* horum graduum pertinentia. §. CCVI.
II) *Quinam* & *quot* sint gradus illi? §. CCVII. ubi recensentur
Gradus & *ordines* ministrorum
A) in *vet. Test.*
a) *ante* legem Mosaicam. §. CCVIII.
b) *post* legem promulgatam. §. CCIX. speciatim *ordines* Levitarum a *Davide* instituti, singulorumque *officia* §. CCX. in primis *scribarum* §. CCXI. *sacerdotumque* & *prophetarum* discrimen notatur. §. CCXII.
B) *in nov. Test.* ubi αρχιποιμην Christus. §. CCXIII.
a) *ante* adscensionem Christi in cælos. §. CCXIV.
b) *post* eandem. §. CCXV. qui enumerantur
1) ex 1. *Cor.* XII. 28. *Eph.* IV. 11. hinc
α) *apostoli*. §. CCXVI. ubi excutiuntur *quaestiones* tres.
א) an Petrus fuerit apostolorum princeps? §. CCXVII.
* nota *Editoris* præcipuos auctores, qui causam hanc adversus pontificios perorarunt, memorat, & controversiam inter pontificios *de aequali* Petri & Pauli *dignitate* ortam indicat.
ב) an apostoli privilegio non errandi fuerint instructi? §. CCXVIII.
ג) an apostolatus adhuc vigeat in ecclesia? §. CCXIX. quod negatur contra *Bellarminum* statuentem Papam in apostolatu succedere Petro, apostolorum capiti §. ead. contra *Saravium* §. CCXX. cujus *argumenta* expenduntur. §. CCXXI — CCXXV.
β) *prophetae*. §. CCXXVI.
γ) *evangelistae*. §. CCXXVII.
δ) *pastores*. §. CCXXVIII.
ε) *doctores*. §. CCXXIX.
ζ) *instructi variis donis Spiritus Sancti*. §. CCXXX.
2) ex 1. *Tim.* III. 2. 8. V. 17. *Tit.* I. 5. &c. unde
α) *episcopi*. §. CCXXXI.
β) *presbyteri*. §. CCXXXII.
γ) *diaconi*. §. CCXXXIII.
Subjungitur quæstio:
an episcopi presbyteris jure divino sint superiores? §. CCXXXIV.
א) *Nostra thesis* declaratur & adseritur
a) ex *scripturae dictis*. §. CCXXXV.
b) ex testimoniis *patrum*. §. CCXXXVI.
c) ex testimoniis *adversariorum*. §. CCXXXVII.
ב) *Antithesis* pontificiorum exponitur, & sublatis *argumentis*, quibus *Bellarminus* probare contendit episcopos presbyteris superiores esse jure divino
a) quoad potestatem *ordinis*. §. CCXXXVIII.
b) quoad potestatem *jurisdictionis*. §. CCXXXIX-CCXLIII.
ג) *Ordines* pontificiorum enumerantur. §. CCXLIV. eidemque enumerationi undecim desideria opponuntur. §. CCXLV. subdivisio sacerdotum Romana in ordines *majores* & *minores* expenditur §. CCXLVI. subjuncta brevi recensione geographica hierarchiæ episcoporum papalis in Germania ex Casp. Bruschio §. CCXLVII.

CAPVT VI.

de fine & effectu ministerii ecclesiastici.

SECTIO I.

de fine & effectu ministerii in abstracto.

Exponitur
I) *Quisnam* sit ministerii finis secundum scripturam? §. CCXLIX. adlata simul *thesi Aug. Conf. art.* V §. CCL. cujus loci explicationem addit nota *Editoris*
II)

B) *Antithesis* Schwenkfeldii & ὁμοψηφων §. CCL.
* nota *Editoris* refert præcipua memorabilia historica de *Schwenkfeldio* & familiæ anabaptisticæ primipilis:
1) notantur *Schwenkfeldianismum* sapientes *Calvinismi*. §. CCLI. *pontificii* quidam §. CCLII.
2) error Schwenkfeldii impugnatur
a) ex *hypothesibus* quibusdam *generalibus*. §. CCLIII.
b) ex *argumentis* e *scriptura* petitis. §. CCLIV.
α) ex Psalmis Davidis. §. CCLV.
β) ex dictis propheticis §. CCLVI.
γ) ex dictis servatoris. §. CCLVII.
δ) ex dictis apostolicis. §. CCLVIII - CCLX.
ε) ex dictis, in quibus ministris verbi spirituales & divini effectus tribuuntur. §. CCLXI.
ζ) ex dictis, in quibus Christus ac Spiritus S. dicitur loqui per ministros. §. CCLXII. quæ singula ab exceptionibus simul vindicantur.
c) refutatione *argumentorum* pro caussa sua ab eodem adlatorum
α) ex scriptura. §. CCLXIII.
β) ex rationibus. §. CCLXIV.

SECTIO II.

de fine & effectu ministerii in concreto, sive officiis ministrorum ecclesiae.

Traditur
I) *Generalis* delineatio officiorum ministrorum ecclesiæ, cum eorundem fundamentis. §. CCLXV.
II) *Specialis* illorum recensio: incumbit nimirum ministris ecclesiæ
1) *verbi praedicatio*. §. CCLXVI. unde
a) colligitur Pontificem Rom. (quos in hac caussa ab antiqua praxi recessisse *Editoris* nota docet) ejusdemque prælatos non esse veros episcopos. §. CCLXVII.
b) quæritur, quomodo instituendæ sint *conciones*? §. CCLXVIII. speciatim quoad *elenchum*:
α) an magistratus prohibere possit hæreticorum refutationem? §. CCLXIX.
β) an formulæ damnatoriæ pugnent cum caritate christiana? §. CCLXX.
γ) an damnandi nondum in conciliis auditi? §. CCLXXI.
δ) an adprobanda in elencho scripta ανωνυμα & ψευδωνυμα? §. CCLXXII.
2) *sacramentorum dispensatio*. §. CCLXXIII.
3) *precatio* pro commisso grege. §. CCLXXIV.
4) *morum* ac *vitae* honesta gubernatio. §. CCLXXV. ubi virtutes in ministris requisitæ & ex 1. *Tim.* II. *Tit.* I. adlegatæ *secundum* filum utriusque decalogi tabulæ pertractantur: Requiruntur se. ibidem in iis virtutes
a) resp. *primae* tabulæ §. CCLXXVI.
b) resp. *secundae* tabulæ
α) *generales*. §. CCLXXVI - CCCLXXVIII.
β) *speciales*.
א) secundum præceptum IV. §. CCLXXIX.
ב) secundum præceptum V. §. CCLXXX.
* ad vocem Φιλοξενος *Editor* de hospitalitate veteris ecclesiæ ejusque primaria causa quædam addit.
ג) secundum præceptum VI. §. CCLXXXI. CCLXXXII.
ד) secundum præceptum VII. §. CCLXXXIII.
ה) secundum præceptum VIII. §. CCLXXXIV.
5) *disciplinae eccl. justificae administratio*. §. CCLXXXV. unde
a) *canones* de eadem & *caute*lae *quaedam* insigniores *generales* adferuntur. §. CCLXXXVI.
b) adjunguntur *quaestiones tres*:
α) an actio contra ministrum in taxandis auditorum delictis vehementiorem sit concedenda? §. ead. (in nota)
β) an & quos intra limites liceat ministris magistratum peccantem publice arguere? §. CCLXXXVII.
γ) an quis possit alteri, quam ordinario suo pastori confiteri? §. ead. (in nota)
6) *rituum ecclesiasticorum conservatio*. §. CCLXXXVIII.
7) *cura pauperum aegrotorumque visitatio*. §. CCLXXXIX.
Specaliori huic expositioni officiorum ministrorum ecclesiæ subjunguntur *quaestiones* aliquæ ad judicium *fidelitatis* eorundem in officio suo pertinentes.
a) an liceat ministro *fugere* tempore *pestis*? §. CCXC.
b) an tempore *persecutionis*? §. CCXCI.
c) an sponte abire officio ob auditorum pertinaciam? §. CCXCII.
d) an medicam artem exercere? §. ead. in nota.
e) an, qui semel se ministerio addixit, abdicare se ab eodem unquam libere & licite possit? ib.
f) an propter veritatis confessionem captus, vel capiendus, salva conscientia pretio redimere se possit? ib.
g) an exosus omnibus auditoribus suis deserere suam conditionem possit, etsi alibi novæ alterius consequendæ spes non adpareat? ib.
h) an liceat resignare munus, si altera ejus pars, scilicet sacramentorum administratio denegetur? ib.
III) *Officia* sacerdotum *juxta pontificios*
1) recensentur: §. CCXCIII. quae sunt:
a) *offerre*. §. CCXCIII.
b) *praeesse*. §. CCXCIV.
c) *benedicere*. ib.
d) *praedicare*. ib.
2) negatur *to praeesse* sensu pontificio sumtum, probaturque personas ecclesiasticas officio civilis magistratus fungi non debere. §. CCXCV.
a) ex Christi *interdicto*. Matth. XX. 25. §. CCXCV.
b) ex Christi *exemplo* Joh. XVIII. 36. §. CCXCVI.
* qui locus in ampla *Editoris* nota illustratur & ab exceptionibus vindicatur.

c) ex Petri *interdicto*. 1. Petr. V. 2. §. CCXCVII.
d) ex apostolorum *exemplo*. §. CCXCVIII.
e) ex *regula generali*. 1. Tim. II. 4. §. CCXCIX.
f) ex *discrimine* potestatis *politicae* & *ecclesiasticae*. §. CCC.
g) ex testimoniis *veterum canonum* & *scriptorum ecclesiasticorum*. §. CCCI.
h) ex *rescriptis imperatorum* & *regum*. §. CCC II.
i) ex testimoniis *politicorum*, *jurisconsultorum*, *historicorum*. §. CCCIII.
k) ex testimoniis quorundam *doctorum pontificiorum*. §. CCCIV.

IV) *Antithesis* pontificiorum de temporali potestate Papae & episcoporum
1) e *Bellarmino* declaratur. §. CCCV — CCCVII.
2) ejusdem *argumenta* expenduntur, producta
a) ad tuendam Pontificis Rom. potestatem *indirectam*, eaque petita
N) a *rationibus*.
α) ex potestatis civilis sub spiritualem subjectione. §. CCCVIII.
β) ex reip. christianae perfectione. §. CCCIX.
γ) ex necessaria regum infidelium & haereticorum depositione. §. CCCX.
δ) ex sceptrorum in manus pontificis resignatione. §. CCCXI.
ε) ex pastoralis officii conditione. §. CCCXII.
ב) ab *exemplis*.
α) Oziae regis. §. CCCXIII.
β) Jojadae sacerdotis §. CCCXIV.
γ) Ambrosii. §. CCCXV.
δ) variorum episcoporum Romanorum. §. CCCXVI. ad quorum *facta quaedam* maxime illegitima respondetur paucis. §. CCCXVII.
b) ad probandum, quod *unus idemque* possit simul esse *princeps ecclesiasticus* & *politicus* petita
α) ab *exemplis*. §. CCCXVIII.
β) a *rationibus*. §. CCCXIX.
γ) ab *experientia*. §. CCCXX. ubi veritas & valor adsertae a Romanis *donationis Constantini* sub examen vocatur. §. CCCXXI — CCCXXIII.
* cujus fabulae natales pandit nota *Editoris*.

CAPVT VII.

de adjunctis ministerii ecclesiastici.

SECTIO I.

de stipendiis ministrorum ecclesiae.

Quaeritur:
I) an *licitum* sit iisdem accipere stipendia? ubi
1) thesis nostra probatur. §. CCCXXIV.
2) declaratur praxis contraria *Waldensium* & *anabaptistarum*, ejusque fundamenta ex *Mich.* III. 11. *Matth.* X. 8. *Act.* XX. 33. diruuntur §. CCCXXV.
* *Editor* additis in nota, quae faciunt ad adcurationem praxeos *Waldensium* cognitionem, laudat *Thomasii* dissertationem *de officio principis evangelici circa augenda ministrorum ecclesiae salaria*.
II) an idem licitum sit quoque *ditioribus* ministris? §. CCCXXVI.
III) an licitum ministris sit armenta alere, agriculturam exercere? §. CCCXXVII.
IV) an aequanda sint omnium ministrorum stipendia? §. CCCXXVIII.
V) an in privata confessione aliquid accipere liceat? §. CCCXXIX.
VI) an decimae ex justitia debeantur ministris ecclesiae: an non sint dona gratuita? §. ead. (in nota)

SECTIO II.

de conjugio ministrorum ecclesiae.

Status quaestionis rite formato §. CCCXXX.
A) *argumenta pro* conjugio ministrorum ecclesiae adseruntur hausta.
I) ex *dictis* scripturae:
a) 1. Tim. III. 2. §. CCCXXXI.
b) Ebr XIV 4 §. CCCXXXII.
c) 1. Cor. IX. 5. §. CCCXXXIII. ad quem locum testimonio *Ignatii* in epistola ad Philadelphenses de Paulo conjugato notam historico-criticam addidit *Editor*.
II) ex *rationum* momentis petitarum
a) a conjugii libertate. §. CCCXXXIV.
b) a juris divini & naturalis aequitate. §. CCCXXXV.
c) a continentiae raritate. §. CCCXXXVI. CCCXXXVII.
d) a legis de caelibatu incommoditate. §. CCCXXXVIII. agnita ab ipsis adversariis. §. CCCXXXIX.
e) ab exemplorum paritate. §. CCCXL.
f) a conjugii dignitate. §. CCCXLI.
g) ab hypothesi pontificia de sacramenti utilitate. §. CCCXLII.
h) a legis de caelibatu clericorum origine gentili. §. CCCXLIII.
III) ex *canonibus* conciliorum. §. CCCXLIV.
V) ex

IV) ex probatis *exemplis* conjugatorum ministrorum in ecclesia primitiva. §. CCCXLV.
V) ex *adversariorum testimoniis*. §. CCCXLVI.
B) ad *argumenta* adversariorum fit transitus, ubi
1) notantur eorum in hac causa calumniæ, iguominiose dicta & dissensiones. §. CCCXLVII.
II) *Bellarmini*
1) sententia exponitur. §. CCCXLVIII.
2) argumenta expenduntur, petita
a) ex dictis scripturæ:
α) nov. test. *Tit.* I. 9. §. CCCXLIX. 2. *Tim.* II. 4. §. CCCL. 1. *Cor.* VII. 5. §. CCCLI.
β) vet. test. §. CCCLII.
b) ex historia ecclesiastica. §. CCCLIII.
c) ex ratione. §. CCCLIV.
C) *Secundae* nuptiæ ministrorum num probandæ? §. CCCLV. ubi excusso loco 1. *Tim.* III. 2. adducuntur
1) argumenta *adfirmantium*.
a) ex iterata nuptiarum permissione. §. CCCLVI.
b) ex earum in certis personis necessaria concessione. §. CCCLVII.
c) ex apostolica episcopi descriptione. §. CCCLVIII.
d) ex monogamiæ conditione §. CCCLIX,
e) ex collatione locorum 1. *Cor.* VII. 2. §. CCCLX. & 1. *Cor.* IX. 5. §. CCCLXI.
f) ex circumlocutione textus. 1. *Tim.* III. §. CCCLXII.
g) ex prohibitionis origine gentili. §. CCCLXIII.
2) argumentum *pontificiorum*, (quos non solos *negativam* tenere docet *Editor*) ex 1. *Tim.* III. 2. quo loco bigamiam quamlibet improbari contendit *Bellarminus*
a) ex collatione 1. *Tim.* V. 9. §. CCCLXIV.
b) ex tempore, quo Paulus id scripsit. §. CCCLXV.
c) ex auctoritate patrum. §. CCCLXVI.
d) ex consuetudine ecclesiæ §. CCCLXVII.

CAPVT VIII.

de pugnantibus cum ministerio ecclesiastico.

Vitiis quippe
1) pastorum. §. CCCLXVIII.
2) auditorum. §. CCCLXIX.
* nota *Editoris* persequitur vitium **Caesaropapiae & Papocaesariae**, laudatis, qui jus sacrorum *toti ecclesiae* tribuunt; memoratisque inter recentiores inprimis *Pufendorfio*, *Boehmero* & *Pfaffio*.
Inter vitia illa præcipue notanda *haeresis*, cujus notio & differentia a *schismate* explicatur §. CCCLXX. inde quis sit hæreticus? docetur, §. CCCLXXI. & quomodo cum talibus agendum pro diversa ipsorum conditione? §. CCCLXXI. & CCCLXXII.
* argumentum de *haeresi Editor* larga nota tractat ad §. CCCLXX. in qua
α) adlegantur memorabilia quædam scripta recentiora, quibus impeditum hoc argumentum enodatur.
β) memorantur lites tum per *Thomasii* disputationem: *an haeresis sit crimen*? tum per *Henr. Muji* diss. *de haeresi practica* excitatæ.
γ) varius & verus vocis hæreseos sensus exponitur, ejusdemque *genus duplex* indicatur:
δ) nec hæresin modo, sed ad vitia cum ministerio pugnantia referendam quam maxime etiam esse *haeretificinam*, monetur.

CAPVT IX.

usum hujus loci

tum *generalem*, tum *specialem* indicat. §. CCCLXXIII.

CAPVT X.

definitionem ministerii ecclesiastici

exhibet. CCCLXXIV.

LOCVS XXV.

DE

MAGISTRATV POLITICO.

PROOEMIVM.

Declarat
Rationem ordinis. §. I.
Magistratus & ministerii ecclesiastici convenientiam & differentiam. §. II.
Vtilitatem & necessitatem hujus doctrinæ. §. III.
Titulum loci. §. IV.

TRACTATIONIS DE MAGISTRATV PARS I.

CAPVT I.

de Onomatologia magistratus.

Notatur
I) *Etymologia.* §. V - VII.
II) *Homonymia.* §. VIII.
III) *Synonymia*, adpellationum
1) *Hebraicarum*
a) propriarum, quarum XXIV. adferuntur §. IX.
b) metaphoricarum; vocantur sc. magistratus
α) dii. §. X.
β) filii excelsi §. XI.
γ) patres. §. XII.
δ) capita. §. XIII.
ε) vertices §. XIV.
ζ) clypei.
η) fundamenta terræ. §. XV.
ϑ) paxilli. §. XVI.
ι) anguli. §. XVII.
λ) annuli sigillares. §. XVIII.
μ) montes. §. XIX.
ν) salvatores.
ο) uncti Domini.
π) pastores.
ρ) nutritii. §. XX.
σ) venatores. §. XXI.
2) *Graecarum.* §. XXII.
3) *Latinarum.* §. XXIII.

CAPVT II.

an detur magistratus politicus?

I) Probato, *quod detur* §. XXIV. quæritur:
II) an & in *statu innocentiae* locum habuerit? §. XXV. XXVI.
III) an necessarius sit in *statu corruptionis* post lapsum? §. XXVII.
IV *Antithesis* anabaptistarum declaratur. §. XXVIII, additis eorundem *argumentis*, ductis
1) a piorum justitia. §. XXVIII.
2) a Dei clementia. §. XXIX.
3) a piorum tribulatione. § XXX.
4) a divini cultus conditione. §. XXXI.

CAP. III.

de causa efficiente magistratus.

Quæ est Deus, vel *immediate*, vel *mediate* ad magistratus officium vocans. §. XXXII.

* in nota subjuncta *Editor* litem *Masio - Thomasianam* de *immediata majestatis origine a Deo* exponit & dijudicat.

SECTIO I.

de causa efficiente principali magistratus.

Causa *principalis* Deus §. XXXIII. Quod
A) Adstruitur
I) ex *scripturae* dictis:
1) Rom. XIII. 1. &c. §. XXXIV.
2) Prov. VIII. 15. §. XXXV.
3) Dan. II. 20. §. ead.
4) Sap. VI. 4.
5) Eccl. X. 4. XVII. 14. §. XXXVI.
6) Joh. XIX. 11. X. 35. §. XXXVII.
II) ex *rationibus*, ductis
1) a judicii divini administratione. §. XXXVIII.
2) ab officii divini exsecutione. §. XXXIX.
3) a donorum ad officium necessariorum collatione. §. XL.
4) a divina magistratus institutione. §. XLI.
5) ab injuriæ magistratui illatæ vindicatione. §. XLII.
6) a partium officii determinatione. §. XLIII.
7) a magistratus conservatione. §. XLIV.
8) a naturæ coordinatione. §. XLV.
III) ex probatis *exemplis*, adlatis ex historia sacra. §. XLVI. quibus adjunguntur quædam *patrum testimonia*. §. XLVII.
B) Proponuntur *antithesis* & *argumenta*
I) *Anabaptistarum*:
* nota *Editoris*, quam ad §. XXVIII. jam coeperat, uberius prosequitur expositionem genuinæ sententiæ anabaptistarum tam antiquiorum, quam recentiorum, admixtis momentis quibusdam historicis.
1) ex *scriptura*:
a) Gen. X. 10. §. XLVIII.

b) 1 Sam.

b) 1. Sam. VIII. 7. §. XLIX.
c) Hoſ. VIII. 4. §. L.
d) Joh. XII. 31. §. LI.
e) 1. Petr. II. 13. §. LII.
2) e *rationibus* : petitis
a) a primæva hominis dignitate. §. LIII.
b) a noſtra per Chriſtum parta libertate. §. LIV.
c) a regiæ tyrannidis gravitate. §. LV.
II) *Paludanorum.* §. LVI.

C) Adjunguntur *poriſmata* duo:
I) Chriſtianus illæſa conſcientia fungi poteſt magiſtratus officio. §. LVII. & LVIII. ubi iterum adferuntur & examinantur
1) *Anabaptiſtarum* antitheſis §. LIX. & argumenta petita
a) e *ſcripturis*:
α) vet. teſt. *Gen.* VI. 3. §. LX. *Gen.* XLIX. 10. §. LXI. *Jud.* IX. 9. §. LXII.
β) nov. teſt. *Matth.* V. 2. §. LXIII. *c.* VII. 10. §. LXIV. *c.* X. 16. §. LXV *c.* XVI 24. §. LXVI. c. XX. 23. §. LXVII. v. 25. §. LXVIII. *c.* XXVI. 52. §. LXIX. *Luc.* IX. 55. §. LXX. *c.* XII. 14. §. LXXI. 1. *Petr.* II. 13. §. LXXII. *Apoc.* IV. 10. §. LXXIII.
b) e *rationibus*:
α) quia Chriſtus *ſolus* rex eccleſiæ in nov. teſt.
β) clavium, non gladii uſum eccleſiæ tradidit. §. LXXIV.
2) *Photinianorum* recentiorum §. LXXV.
* quo jure Sociniani dicantur Photiniani, & quo modo hac in cauſſa ab anabaptiſtis diſſentiant *Editoris* nota exponit.
3) *Weigelii.* §. LXXVI.
4) *Metbiſtarum* & novorum *Chiliaſtarum.* §. ead.
* de his omnibus hiſtorica varia addit *Editor.*
II) Magiſtratus poteſtas & officium omnibus debent eſſe ſancta & auguſta. §. LXXVII. in quod injurii ſunt *pſeudoapoſtoli* 2. Petr. II. 10. *Manichæi*, *Donatiſtæ*, *patres Eliberitani*, §. LXXVII. *pontificii* §. LXXVIII.

D) Subneſtuntur *quaeſtiones* quatuor huc pertinentes.
1) an & ethnicus magiſtratus ſit a Deo? §. LXXIX.
2) an impius magiſtratus? §. LXXX.
3) an tyrannus? §. LXXXI.
4) an poteſtas magiſtratus dependeat a Rom. pontifice? §. LXXXII.

SECTIO II.

de cauſa inſtrumentali magiſtratus.

Vocatio ad magiſtratum eſt
I) *Immediata.* §. LXXXIII.
II) *Mediata.* §. LXXXIV. cujus *modi* ſunt
1) *legitimi*:
a) per *electionem*, quæ diſtinguitur
α) ratione cauſſæ efficientis. §. ead.
β) ratione modi. §. LXXXV.
b) per *ſucceſſionem.* §. LXXXVI.
c) per juſtam *occupationem.* §. LXXXVII.
2) *illegitimi.* §. LXXXVIII.

De modis adquirendi magiſtratum quæritur:
a) penes quem ſit jus eligendi? §. LXXXIX.
b) an electio, an ſucceſſio præferenda? §. XC.
c) an electio per ſortem probanda? XCI.
d) an primogenitus in ſucceſſione præferendus? §. XCII.
e) an magiſtratus poſſit imperium alienare? §. XCIII.

Conſequentia vocationis ad magiſtratum:
1) obligatio ad leges imperii ſervandas. §. XCIV.
2) ſolemnis inauguratio, cujus recenſentur *ritus*
a) in populo Iſraelitico. §. XCV.
d) apud alias gentes. §. XCVI.
3) homagii præſtatio. §. XCVII.

CAPVT IV.

de cauſa materiali magiſtratus.

1) Officium magiſtratus a *certis hominibus* adminiſtrari Deus voluit ſapientiſſimis de cauſſis. §. XCVIII.
2) *Characteres* eligendorum ad magiſtratum ex *Ex.* XVIII. 21. & *Deut.* I. 13 Sunto ſc.
a) Deum timentes. §. XCIX.
b) fortes. §. C.
c) veraces. §. CI.
d) avaritiam exoſi. §. CII.
e) ſapientes. §. CIII.
f) probati. §. CIV.
alia requiſita magis, vel minus principalia. §. CV.
3) Subjunguntur quæſtiones de requiſitis magiſtratus.
a) an requiratur veræ religionis profeſſio? §. CVI.
b) an generis honeſtas? §. CVII.
c) an generis ſplendor? §. CVIII.
d) an patriæ conſortium? §. CIX.
e) an ſexus virilis? §. CX.
f) an ætas maturior? §. CXI.
g) an ætas ſenilis? §. CXII.
h) an forma & robur corporis? §. CXIII.
i) an potentia & divitiæ? §. CXIV.
k) an liceat petere magiſtratum? §. CXV.
l) an recuſanti ſit deferendus magiſtratus? §. CXVI.

CAPVT V.

de causa formali magistratus.

Vbi spectanda: 1) *ipsa potestas politica.* 2) *variae magistratus species.* 3) *variae rerumpublicarum formae.* §. CXVII.

SECTIO I.

de potestate politica, qua divinitus instructus est magistratus.

1) *Datur* potestas politica. §. CXVIII.
2) ea non est *illimitata.* §. CXIX. & certo tantum respectu *absoluta* dici solet, §. CXX.
3) est vel *legislatoria*, vel *judicatoria*, vel *punitoria.* §. CXXI.
4) consequens illius est *majestas.* §. CXXII. ubi quæritur:
a) quænam sint *requisita* majestatis? §. CXXIII.
b) quænam sint *jura* ejusdem? §. CXXIV. an 1. *Sam.* VIII. hæc jura describantur? §. CXXV. quam quæstionem ulterius excutit nota *Editoris.*

SECTIO II.

de variis speciebus magistratus.

Varias magistratus *species* constituunt
1) diversitas graduum potestatis politicæ, quæ adseritur
a) oraculis α) e vet. test. §. CXXVI. β) e nov. test. §. CXXVII.
b) gentium testimonio. §. CXXVIII.
2) alia accidentalia. §. CXXIX. cui adnexa est quæstio: an præstet magistratum esse perpetuum, an ambulatorium? §. CXXX.

SECTIO III.

de variis rerumpublicarum formis.

Forma rerumpublicarum
1) est vel *monarchica*, vel *aristocratica*, vel *democratica.* §. CXXXI.
2) quæritur: an detur reipublicæ forma *mixta*? §. CXXXII.
3) quænam reip. forma reliquis sit præferenda? §. CXXXIII. & CXXXIV.
4) Quo sensu tantum *quatuor* monarchiæ a theologis statuantur? §. CXXXV.
respectu scilicet habito ad visionem Danielis cap. II. & VII. ubi figillatim inquiritur in *quartam*, eaque esse *Romana* adseritur
a) ex prophetica *quartae* bestiæ descriptione. §. CXXXVI. & CXXXVII.
b) ex prophetica temporis notatione.
c) ex collatione cum Johannis apocalypsi. §. CXXXVIII, hincque colligitur
Romanam monarchiam ad finem mundi duraturam esse. §. CXXXIX.
* nota §. CXXXV. subjuncta breviter recensitis originibus ac successu vulgaris sententiæ de *quarta* Danielis monarchia, *Romana*, præcipuos fautores illius, quæ eandem in regno *Seleucidarum* ac *Lagidarum* collocat, nominat, & potiora opinionis hujus firmamenta paucis declarat, memoratis præterea *van der Hardtii* & *Harenbergii* sententiis.

CAPVT VI.

de fine & effectu magistratus.

Est ille *Dei gloria* & *bonum publicum.* §. CXL. idemque fons *Officii* magistratus. §. CXLI.

Jg 1830
(1314)

ULB Halle 3
002 610 868

U61P

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS TERTIVS

DENVO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.



TVBINGAE
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE.
MDCCLXXV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841162-p0347-3